RERUM ITALICARUM
SCRIPTORES
TOMUS VIGESIMUSSECUNDUS.



RERUM ITALICARUM SCRIPTORES

AB ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ QUINGENTESIMO
AD MILLESIMUMQUINGENTESIMUM,

QUORUM POTISSIMA PARS NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODIT

EX AMBROSIANÆ, ESTENSIS,
ALIARUMQUE INSIGNIUM
BIBLIOTHECARUM CODICIBUS.

LUDOVICUS ANTONIUS
MURATORIUS
SERENISSIMI DUCIS MUTINÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTUS

Collegit, ordinavit, & Præfationibus auxit,

NONNULLOS IPSE, ALIOS VERO

MEDIOLANENSES PALATINI SOCII

Ad MStorum Codicum fidem exactos, summoque labore, ac diligentia castigatos, variis Lectionibus, & Notis tam editis veterum Eruditorum, quàm novissimis auxere.

ADDITIS

Ad plenius Operis, & universæ Italicæ Historiæ ornamentum, novis Tabulis Geographicis, & variis Langobardorum Regum, Imperatorum, aliorumque Principum Diplomatibus, quæ ab ipsis autographis describere licuit, vel nunc primùm vulgatis, vel emendatis, necnon antiquo Characterum specimine, & Figuris Æneis.

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.

TOMUS VIGESIMUSSECUNDUS.



Antonius Gregolini inv. del. *Hieronymus Rossi sculp.*

MEDIOLANI, MDCCXXXIII.

EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS PALATINÆ
IN REGIA CURIA.

SUPERIORUM FACULTATE.



Fran.co Zucchi Scul.

EMIN.^{MO} AC REV.^{MO}

PRINCIPI.

ANNIBALI.

ALBANO.

S. R. E. CAMERARIO.

ET CARD. AMPLISS.

CLEMENTIS. XI.

PONTIFICIS. MAXIMI.

FRATRIS. FILIO.

EPISCOPO. SABINENSI.

QUEM.

DOMESTICO. EXEMPLO. AD. VIRTUTES.

EXCITATUM.

UTINAM. PAR. ALIQUANDO. PATRUI. FORTUNA.


COMITETUR.

AD. CHRISTIANI. NOMINIS. INCREMENTUM.

MEDIOLANENSES. PALATINI. SOCI.

IN. DEDICATIONE. TOMI. XXII. RER. ITALIC.

VOTUM. L. D. S.



EMIN.[MO] AC REV.[MO] PRINCIPI ANNIBALI ALBANO S. R. E. CAMERARIO, ET CARD. AMPLISS.

&c. &c. &c.

PHILIPPUS ARGELATUS BONONIENSIS
S. P. D.

INter clarissima Virorum Principum nomina, quibus amplissimam seriem Scriptorum Italicorum ornavimus Palatini Socii Mediolanenses, splendet in XXII. Tomo, quem hodie vulgamus, ALBANUM *tuum,* PRINCEPS EM.[ME], *in dedicatione illius non sinè ingenti gaudio celebratum ob gratam Sanctissimi Pontificis* CLE-

MENTIS XI. *Patrui Tui memoriam , quæ nostrorum plures ad privatam debendi causam revocabat , universos verò ad publicam doctrinæ ipsius , & Christianæ morum severitatis laudationem excitabat . Et sanè si quis alius ad hoc persolvendum aliquando debitum anelabat , ego qui supra ceteros Pontificem Optim. Max. , dum in vivis esset , beneficum liberalemque sensi , vitio mihi tribuebam diuturnitatem silentii , tempusque nimis anxiè expectabam , quo publicitus memoriæ nominis ejus grates referre possem humili debentis animi obsequio . Atque utinam vivo Sacratissimo Principe Patruo tuo opus nostrum in vulgus exire potuisset : probasset utique studia nostra , & judicii sui splendidissima face viam ad altiora literatissimus homo aperuisset ! At eo ad Superos evocato , ad Eminentiam Tuam convertitur officium nostrum , ad Te , inquam , in quem Patrui virtutes feliciter migrarunt , quique juvandis in dies Literatorum Hominum laboribus , liberalitate largitionum , & in edendis* CLEMENTIS XI. *non morituris umquam sacris operibus eâ , quæ par erat, elegantiâ,* opes *larga manu in dies effundis , quique in amplissimo S. R. E. Camerarii munere , quo fungeris , Romanæ Curiæ Majestatem servas , & , ut liberè dicam , non semel ab astu malitiaque perditorum hominum vindicasti . Sed neganti Tibi ob singularem modestiam tuam laudationi locum, offerimus hocce munus nullo verborum ornatu comtum , sed ea simplicitate , qualem Scriptores historiæ decet , qui veritatem sequuntur, non* oratio-

nis

nis figuras. Eo namque pacto gratiores futuros nos Eminentiæ Tuæ putamus. Et si generoso animo, quo soles, acceperis, ut enixè precamur, Infelicibus fortunatisque nobis ipsi plaudemus. Interim ego salutem, & fausta quæque precatus, Sacram Purpuram Tuam humiliter exosculor. Vale.

Dabam Mediolani V. Idus Julias Ann. Sal. MDCCXXXIII.

ELENCHUS
TOMI VIGESIMISECUNDI.

TRISTANI
CARACCIOLI
PATRICII NEAPOLITANI
OPUSCULA HISTORICA

Nunc primùm luce donantur,

E MANUSCRIPTO CODICE
EXCELLENTISSIMI PRINCIPIS
TORELLÆ.

IN TRISTANI CARACCIOLI OPUSCULA

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

MUltum, ut spero, habebit, unde sibi placeat, Regia Civitas Neapolis, quod tot egregiis Scriptoribus, quos ipsa peperit, cura nunc mea veniat adjungendus etiam *Tristanus Caracciolus*. Qualis hic Scriptor & Historicus fuerit, & quam dignus, qui maturius per Eruditorum manus versaretur, Opuscula nonnulla prodent, quae nunc primum ego publicum in diem effero. Scilicet hominem ibi intueare Prudentiae ac Sapientiae non vulgaris lineamenta ubique gerentem, atque in ejus stilo quamdam gravitatis speciem sentias, quae simul erudiat atque delectet. Quod mirere, non a teneris annis, sed virili tantum aetate se contulit Tristanus ad literas excolendas, ut ipse testatum reliquit. Sed pauca prius de ejus Vita sunt delibanda. Prodiit ille Neapoli e praestantissima *Caracciolorum* gente, cujus antiquitas, nobilitas, & clarorum virorum copia, me laudatore non indiget. Satis nempe, non dicam apud Italos, sed & apud universos Europae Populos nota ac celebrata, & in qua nuper vidimus uno tempore duos Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales amplissimos. Est autem ab antiquo tempore gens ista in duas lineas divisa. Altera *de' Rossi* nunc alit praeclarissimum virum Torellae Principem, ejusque patruum Patrem Eustachium, Clericum Regularem, quem ob singularem humanitatem, eximiasque alias animi dotes ego in primis & veneror & diligo. Altera *del Leone* aut *Pisquitio*, aut *Svizzero* agnomen sortita, ea est, quae circiter Annum 1439. *Tristanum Caracciolum* protulit. Ipse vero auctor est, quo anno Alphonsus I. Aragonum & Siciliae Rex Neapolim cepit, hoc est Anno 1442. se puerulum vidisse tantam rerum mutationem, & aliquam servasse semper tanti spectaculi imaginem. Erat Tristano angusta domi supellex, tres fratres, plures sorores. Johannes vero eorum pater, qui in Regia Camera *Summariae* munere fungebatur, majori solicitudine cogitabat de paranda tot puellis dote, quae tunc inter Nobiles ad mille ducentos Aureos ascendebat, quam de maribus educandis. Propterea non arma, non equi praesto erant Tristano, ut se ad ordinis equestris exercitationes conferret. Accessit & cura domesticae rei, sublato patre, ac non leve onus consulendi tot sororibus, quas tamdem omnes (& quidem septem erant) tum ejus pater, tum ipse honestissime collocarunt. Hinc imminutum patrimonium, & fratribus persuasum, ut sub alieno coelo fortunae melioris subsidia quaererent; e quibus unus Galliarum Regi militans, illustribus est functus muneribus: alter Episcopatu auctus; tertius tamdem Regiae Camerae Praeses Neapoli constitutus fuit, teste Toppio de Orig. Tribunal. Tom. V. pag. 146. Porro domesticae hujusmodi angustiae etiam in caussa fuere, cur Tristanus serius quam optassent amici, ad uxorem ducendam se passus fuerit impelli. Haec autem fuit *Cicella Piscicella*, ab eo aetate jam virili ducta, quae unam illi tantum feminam peperit, Liviam nomine, illustri postea viro nuptam. Vix falli me putem, si ejus maritum fidenter appellem *Johannem Baptistam Spinellum Cariati Comitem*, cujus Vitam Tristanus ipse conscripsit, ego vero infra evulgabo. Quippe in ea legas, ductam a Spinello *Liviam Caracciolam nobili genere, honestisque parentibus natam*. Tristanus vero Ferdinandum Spinelli filium ibi alloquens, *Nepotem* appellat. Interea Tristanum aliquo jam otio fruentem invasit, crevitque in dies vehemens discendi cupiditas, cui ut faceret satis, Historias legere coepit. Ad majora etiam studia,

nobili viro in primis digna, cum hortabantur identidem amici docti, quibus ingenium hominis prespectum erat. Verum dolebat Tristanus, neglectam sibi hactenus fuisse Grammaticam Latinam; eumque tot annos natum, jamque maritum, immo & patrem, pudebat parem se pueris facere, & ludum literarium tam serò intrare. Sed vicit sciendi cupido. Quamobrem se sibi Magistrum statuens, describere coepit Libros de Grammatica tractantes, & memoriae commendare quaecumque rudimenta ac praecepta pueris in schola traduntur. Tum aggressus explicare veteres Scriptores, ubi aqua sibi haerebat, eruditos viros consulere in more habuit: atque hac ratione, simulque experiendo vires suas in scribendo, eam sibi Linguae Latinae peritiam comparavit, quam in ejus Opusculis si non suspicias, certe ames. Immaturo deinde fato priore Uxore sibi rapta, alteram duxit, e qua mares quatuor, totidemque feminas suscepit. Duos e maribus, magnae spei adolescentes, unus idemque mensis substulit: utrique pater ingenti dolore, sed pari etiam constantia parentavit. Primogenito deinde, quem aegritudo contracta claudicare coëgerat, uxorem quaesivit e Caracciola gente, nullo affinitatis vinculo nuptias hasce impediente. An is stirpem suam propagarit, mihi incompertum est. Tristanus verò jam in senium inclinans, publicis muneribus valedicens, reliquum vitae in otio erudito transegit: quo tempore potissimum ad Opuscula, quae supersunt, conscribenda se contulit. Annum, quo vivere desiit Tristanus, nulla adhuc monumenta mihi prodidere. Exploratum tamen habeo, ipsum ad Annum saltem 1517. vitam produxisse, quum in laudata nuper Spinelli Vita describat navigationem poene temerariam Caroli V. tunc Regis, postea inclyti Imperatoris, e Belgio in Hispaniam.

Superest, ut quae nunc publici juris facienda mihi sunt, Tristani Caraccioli Opuscula recenseam, si tamen prius professus fuero, cui ego haec ipsa debeam. Is fuit Constantinus Grimaldus, Regius Neapoli Consiliarius, cujus nomen jamdiu in Literatorum republica sonat, tum e Philosophica, tum e Theologica, eruditione, quique Jurisprudentiae suae fructus etiam sperare nos facit. Eo quippe curante descripta fuere, & ad me missa, quae nunc accepturus est Lector. Sunt autem *Vita Johannae I. Reginae Apuliae. Vita Serzanis Caraccioli magni Seneschalli. Johannis Baptistae Spinelli Cariati Comitis Vita ad Ferdinandum illius filium. De varietate fortunae. De Inquisitione Epistola. Genealogia Caroli I. Siciliae Regis. De Ferdinando, qui postea Rex Aragonum fuit, ejusque Genealogia. Nobilitatis Neapolitanae defensio ad Legatum Reipublicae Venetae.* Atque hæc hausta fuere e Codice MSto, quem adservat Princeps Torellae, mihi supra laudatus. Verum non heic constitit Tristani calamus atque industria. Sunt & alia illius Opuscula, quae sive quod extra institutum meum visa aliis fuere, sive quod jam toedium e Collectione tantae molis Lectoribus tamdem ego pertimuerim, exposcendi minime censui. Horum syllabum subjiciam. *Disceptatio quaedam priscorum cum junioribus de moribus suorum temporum. Oratio ad Alphonsum juniorem. De inconstantia. De cujusque vanitate in loquendo. Epistola de statu Civitatis Neapolis. Plura bene vivendi praecepta ad filium. De funere Ferdinandi I. Epistola. De Vita Auctoris pauca quaedam. Joviani Pontani Vita brevis. Didonis Reginae Vita. Penelopes castitas & perseverantia. Quid sit in tot variis artibus junioribus amplectendum. Opusculum ad Marchionem Atellae. De Sororis obitu. De concordia, & de ineundo conjugio. Ordo servandus a Militibus Hierosolymitanis in electione magni Militiae Magistri.* Atque hactenus lucubrationes Tristani, quas ego norim. Ceterum quum accedet Lector ad illas, quibus locum inter hasce veterum Historias feci, nonnulla deprehendet, quae aut manifeste correctore indigeant, aut dubiae saltem lectionis videantur. Optandus certe nobis erat Codex emendatior; verum Clarissimus ipse Grimaldus, cui donum hoc acceptum refero, nulli hac in re diligentiae pepercit, & conquisitis aliis Codicibus nihil tamen melius invenit, quo Codici Principis Torellae alicubi tenebras offerenti subsidium praeberetur. Quare tum ille tum ego conjecturis minime audacibus, quae licuit, emendavimus, reliqua Lectorum judicio dimisimus. Erunt etiam, qui Johannae I. Reginae Apologiam a Tristano contextam legentes, e vestigio ad memoriam revocantes, quot & quantis probris foedata jaceat illius memoria apud tot Historicos, in hac ipsa Collectione omnium oculis expositos, mirabuntur ingenium hominis, qui Aethiopem, ut ita dicam, dealbandum susceperit, & supinae assentationis vitio laboret. Equidem fateor, & mihi id primo visum. Attamen quum Tristanus minime inficias eat, quin detestandum facinus inlatae mortis Andreae marito, consentiente Regina, patratum fuerit, illudque excuset

tan-

tantummodo, non autem neget: cetera crimina Reginae objecta, ea fortasse sunt, quae dilui ex parte possint, aut certe non continuo omnia credenda. Quicumque enim pro Ludovico Hungariae Rege, a quo Regnum ei paene ereptum fuit, contra illam stetere; quicumque etiam Carolo III. qui ipsam Regno & vita spoliavit, ejusque Successoribus adhaesere, facile in illius ignominiam multa confinxere, aut in sinistram partem quaevis illius acta sunt interpretati. Profecto a Johanna I. tamdiu ante jugulata, & numquam sibi visa, & quae nullos reliquerat post se filios, nihil Tristano sperandum erat, ut in adulatorias artes pro illa raperetur. Utcumque tamen Opusculum istud excipere velis, hercle in reliquis senties Scriptorem gravitate summa, & non vulgari prudentia praeditum, ita ut non minus voluptatis quam fructus ex ejus lectione sis percepturus. Unum denique addam, quod Neapolitani eruditi minime ignorant, scilicet superesse alterius Caraccioli, & quidem antiquioris, Historiam brevem MStam de rebus Neapolitanis. In Codice illo Auctor se se ita inscribit: *Bartholomeo Caraczolo dicto Carrafa Cavaliere de Napoli*. Vassallum insuper se se appellat *Ludovici Regis*, cui uxor erat *Johanna*. Itaque ille scripserit circiter Annum Christi 1358. Istius mentionem habes apud Philibertum Campanile in Libro de Stemmatibus Nobilium Neapolitanorum, qui tamen Historiam ab eo conscriptam ignorasse videtur. Inquit enim, ejus tumulum conspici Neapoli in Sacello Comitum Policastri cum hac Epigraphe:

HIC REQUIESCIT CORPUS
DOMINI BARTOLOMEI CARACCIOLI
DICTI CARRAFÆ DE NEAPOLI MILITIS
MAGNÆ REGIS REGINALISQUE CURIÆ
MAGNI RATIONALIS
QUI OBIIT ANN DOM. MCCCLXII.

Campanilis nuper memorati sententia fuit, eamdem cum *Caracciola* gente fuisse *Carafam*; & quamquam id neget Aldemarius de Famil. Neapolitan. plura tamen sunt, quae & me in Campanilis opinionem inclinent. Si quando Historia haec ad manus meas deferetur, ut spero, eamque luce dignam reputem, de illo agendi tunc erit locus.



JOANNÆ I. REGINÆ NEAPOLIS VITA,

AUCTORE TRISTANO CARACCIOLO.

CRedo equidem de humana societate tunc bene mereri, cum quis innoxios ab injuria contumeliisque pro viribus asserere conatur, & præcipuè invalidos, & qui per se id efficere nequeunt, quorum primi vitâ functi meritò censentur. Quod beneficium quantò majori personæ exhibetur, tanto honestius, quando nec ambitioni, neque adulationi inserviri cognoscitur; & illustrius, cum magnitudinem nominis conviciis involuti extricando, falsò id contigisse palam fiet. Nuper ego in Joannis Boccacii Librum cum fortè inciderim, quem in Mulierum illustrium memoriam eloquentissimus ille præcipuè vernaculâ linguâ ediderat, offendi, ultimam illarum *Joannam Reginam*, Cognomento Primam, cui profectò non ob merita, aut quod inferior aliis exstiterit eum locum tribuit, sed potiùs temporum ordini intendens, aut quod magis arbitror, ut qui illam novissimam legerent, Regalem illius Vitam fideliùs tenaciusque memoriâ ser-

A varent: multùm præterea admirari coëgit, ex quo noverim, qualis Regina ipsa fuerit, & quam diversus vulgaris & falsus de ea rumor per successionem traditus, nullo auctore, aut monumento fultus, ad nos usque pervenerit. Miserear autem, arrideam potius plerosque Scriptores nominis & famæ studiosos, qui inquieti labores, ærumnas, & vitam pendant, ut per ora insipientium, mendaciumque futili voce celebrentur: quod præsenti facto clarè liquet; veras hujus Reginæ dotes à nemine recenseri, probra, vero & dedecora, etiam humillimâ feminâ indigna in eam vulgo quotidie jactari. Erit ergo operæ pretium, si bene laudabiliterque facta ejus sparsim jacentia, in

B unum colligam, ut iis munitus obviam ire pergam pervulgatæ tamdiù insciorum maledicentiæ, sperans, qui viderint, legerintque, facilè ab errore retrahi posse, & Reginam vitæ, & morum suorum reddere claritati. Et si rem difficilem mihi promittere sciam, tam inveteratam opinionem aboleri posse, præsertim cum gravissimè plerumque aliorum indecora facta audiantur, & quamquam iniquè, libentius tamen, quam laudes, accipi solere videmus; juvabit tamen pro re honestissima laborare, etsi nec quemquam crederem, sed profectò minimè reor omnes adeò corrupti esse judicii, ut non existant, qui malint abactis erroribus verum admittere, & bono ali-

cujus

cujus nomine, quam infami vituperatione jactari. Magnæ profecto iniquitatis indicium erit, sugillatione ejus gaudere, à quo nec læsus umquam fuerit, nec læsionem vereatur; ac piæ mentis est lætitiâ affici purgatione nominis, quod falso crimine inquinatur. Nolo enim multa tam mendosè de Reginâ relata recensere, ne fortè illis, qui nondum ea audierunt, novus auctor sinistræ de illa opinionis fidem faciam; & forsan, quæ hactenus à maledicis objecta delituerunt, à me occulere satagente iis innotescant: quoniam plerumque usu devenire solet, ut cum turpe aliquid aut scelestum auditur, minimè perpenso, verumne sit, deferendi, aut defendendi animo dictum, libenter admittatur, & ad objiciendum quandoque reservetur. His præteritis properemus destinata persolvere petitâ prius à Reginæ manibus veniâ, & à Lectore, si quid indignum ea Majestate, aut præsumtum, aut omissum sit, aut ineleganter barbarèque scriptum, quorum alterum minimè iniquo animo factum est, cum veri amor ad id me traxerit. Alterum verò, qui me insaniæ, & præsumtionis damnare potuissent, dabunt officio erga defunctam caritatis veniam, etiam cum reprehensionis discrimine; & cum longè à facto distem, erit satis, quæ ab aliis acceperim recensere, & me à falso abstinere.

Nata est Joanna à Carolo inclyti Roberti Regis filio, & Calabriæ duce (quæ prærogativa est in Regno successuri), & Matilda Sancti Pauli Comitis filia. Seriem mortalium non longius quam à Carolo, qui primus è Francorum gente Apuliæ, seu mavis Siciliæ huic nostræ imperavit, ducam. Nec ad Dardanum ascendam, ut aliqui ambitiosè in Francorum Regum gratiam. Carolus igitur Ludovici sancti Galliæ Regis germanus, cum operam se suisque dignam in hostes Ecclesiæ, pro illius quiete & auctoritate navasset, eamque devicto, & occiso Manfredo metu liberasset, qui invitâ Ecclesiâ Regnum usurpabat, & eumdem finem Conradino, qui ad ulciscendum Patruum, & Regnum sibi occupandum venerat, dedisset; pro quibus ut gratam se Ecclesia præstaret, Regnum Siciliæ certis conditionibus illi concessit, quod legitima successione ad Joannam, de qua mentio fit, devenit. Siquidem ex Carolo hoc Primo Secundus nascitur, qui & ipse Robertum similiter Regem genuit, patrem Caroli Ducis Calabriæ, qui superstite Patre defunctus, Joannam, quam, ut dixi, ex Matilda susceperat, reliquit. Cujus indolem inspiciens sagax avus Robertus Rex, non defuit, ut bonus Artifex providusque Princeps, quod natura inchoasse videbatur, studio ac diligentia perficere. Itaque Puellæ comites altricesque dedit, non modo, ut mulierem bene honesteque instruere possent, sed ut optimam Reginam efficere valerent. Quippe aderant, qui Fidei Christianæ monita illam avidè discentem docerent; nec deerant ex senioribus Aulæ, Regisque amicis, qui majorum dicta factaque suggererent, ab Avo ad hoc dati Comites, ut præceptis & exemplis ad illos imitandos hortarentur; auctoritate verò, & reverentia, tamquam senis Avi spectati amici, fidique, non modo re, aut gestu Regi indecenti, sed verbis jocisque, cum opus esset, etiam castigantes averterent. Astante igitur Puellâ nil dici, aut fieri, unde inhonestum aliquid sumi potuisset, permittebant; quæ attendens audiensque pro rectâ vi-
A vendi regulâ Puella sumebat, sic sine principibus feminis, sed castarum matronarum societati fisa est. Non numquam aderant & Moniales, quas Sanctimoniales nunc vocamus; eas ad hoc Rex, impetratâ à Pontificibus veniâ, è Claustris evocaverat, ut essent, quæ divinis officiis Christianisque ceremoniis castè purèque Neptem instruerent, & ut fomitem illum malarum cogitationum, actuumque pessimorum, scilicèt otium, evellerent & exstinguerent. Cum salutantium officiis, principibusque matronis se subduceret, Magistras petebat, quæ illam Avum vestibus, & linteis induere monstrabant; & hujusmodi mille artes non ad servilem usum,
B aut quæstuarium; sed ad honestas mentis manusque occupationes impendere Regium ducebat. Et sæpe ut victrix certaminis, quibus vicerat, opera videlicet aurea, serica, bambacina suis manibus elaborata, Sanctorum sigillis, & præcipue Virginis Dei Matris Mariæ dedicabat. Nere, ac suere cum æqualibus Principum filiabus, quæ unà educabantur, non dedignabatur, & superasse juveniliter exultabat, minimèque in suo comitatu videre erat os fucatum, cerusâ aut purpurâ, pigmentisque aliis illitum, aut adulterinum crinem de mortuo alicujus cranio exemtum. Curabat Avus, Princeps sagacissimus, postquam mente perceperat, fore illam dignam sibi heredem,
C familiæ decus, & Regni columen, ut Proceres Regni scitè admitteret, illosque audiret, auditisque respondere commodè per ætatem posset. In tantum suis moribus & gestis sibi placebat Rex, ut sæpè oratores, & Regum, & Populorum, qui ad se venerant, ad Nepotem salutandam mitteret, tam ut illi auctoritatem daret, quàm ostenderet Legatis, destinasse omnino illius successionem; & per illos nosceretur multis in Orbis Provinciis & Regnis, qualem Successorem habiturus esset, quæ supra ætatem & sexum saperet, & colloqueretur. Itaque candidi adolescentis mores, perspicuumque ingenium, immaturam Caroli patris mortem tolerabiliorem minusque dolo-
D rosam Avo Regi fuerant, cernenti filiam superesse, cujus & prudentiâ, & animi vigore bene moderandi Regni certam spem præsumeret. Quare, nec temere, qui illam vestire curarent, nec infimo genere, & illiberalibus moribus, sed spectatos viros esse voluit, vitæque honestate probatos. Indumenta quidem Regalia illi, præcipuè cum Aulâ prodiret, proprio avitoque more formata, nec quod subditi æmulari ad luxum possent, gestare passus est. Et ut nihil ad formandam optimam Reginam in Nepte heredeque sua deesset, honestum dedit famulitium, cui præesse voluit, & auctoritatis & prudentiæ summæ virum, cui obtemperare deberent & Nobiles, & Proce-
E rum filii. Qui verò conventui aderant, præter ingenuos, nulli adstabant. Is, qui manibus aquam daret, aut equestris ordinis erat, aut equestri major; similiter qui dapes inferrent, & prægustarent. Quin & poculatores summam diligentiæ fidem in suo officio servabant, ne veneficio, aut maleficio puella lædi posset. Cœnantem eam Domus major attentè observabat, ne Juvencula quid avidius manducaret, aut procacius posceret; quorum si quid deprehendisset, minimè coram, ne Regiam indolem obtunderet, arguebat; sed secretè monebat, ne quid tale post hæc admitteret, utpote rem indecoram, & Avo Regi peringratam; cujus

non

non iterum reprehendere opus erat, cum primo emendatam se ostenderet. Inerat Avo maxima educationis cura, & cum pro moribus & gloria nil prætermitteret, salubritatis incolumitatisque non minorem adhibebat diligentiam, quam peritissimis accersitis Medicis demandaverat, quibus etiam imposuerat, ut cœnanti, vel prandenti semper assisterent, diligenterque caverent, ne quid illi apponeretur, male, aut insalubriter paratum, aut structum sordidè; quin etiam munditiæ consulerent; nihil inexploratum; sed prægustatum per ministrorum manus inferrent, ex quibus ea tantum sumere quæ, & valetudine, & formæ conducere maximè censebant. Nec minor erat potus censura, parsimoniæ victus. Et modestiæ, cui tenella assueverat, non parum addidit jam adulta.

Plurimum autem jam respondebat Reginæ curæ, & desiderio Regis de se habitis, adeo ut præ gaudio ille se minimè continere valeret; quin enarrare non inhonestum, sed gloriosum sibi duceret egregios neptis mores in conventu Procerum, & oratorum; & laudum præcipua erat assiduitas observantia, quam circa se ipsum in mandatis monitisque præstabat, usqueadeo ut cum juvenis, & femina esset, ætatis sexusque lubricitate circumplexa, nihil jucundum esset, nisi cum Avo rem gratam fecisset. Cujus rei argumentum hinc maximum sumi potest, quando illi obedire ne mortuo quidem recusavit. Caverat enim Rex moriens testamento, Andreæ Ludovici Pannoniæ Regis fratri matrimonio illam jungi, ipsius Roberti ex fratre Abnepoti; siquidem Caroli ejus germani Hungariæ Regis nepos ex filio item Carolo fuerat, ex ornatissima Francorum Regum Sobole, quæ etiam si quid Gallicani adduxerat moris, apud nos exuerat; Andreas verò barbaricos mores feritatemque Pannonicam penitus imbiberat, quam & cœlum, & educatio suggesserant, prævaluerantque modestiæ & humanitati majorum. Quippe, ut unico documento describam, ex Christianissimo non tantum nomine; sed vitâ magis, Carolo Secundo Rege originem ducebat, qui modestiâ, humanitate, pietate, ceterisque virtutibus inter Christianos fuit excellentissimus. Puderet profectò me aliquid de Rege ipso indignum loqui, cui, & si non maleactæ vitæ, personæ tamen & generi deferendum erat; sed quoniam ad Reginæ famam, quam tueri decrevimus, facit, qualem Franciscus Petrarcha, Vir insignis, & par tempestatis illius, deplorans Regni infelicitatem ad Joannem Columnam scribit: *In Roberti Regis Solio, qui unicum ætatis suæ decus exstiterat, æternum dedecus Andreas iste nunc sedet.* Hæc dicta in argumentum obsequii Reginæ, quæ prælegit testamento Avi parêre, quam vera de Andreæ moribus deferentes auscultare, & se tot discriminibus & periculis subtrahere, quibus stultorum impiorumque uxores subjacent. Suscepit ergo avita Regna post illius mortem, non modo citra tumultum & bellum, sed ingenti Procerum Populorumque lætitia, qui eam non secus ac filiam amplexati & persequuti sunt. Quin & Italiæ Principes Populique Oratores ad eam miserunt, qui eorum nomine de Avi morte consolarentur, deque Regni adeptione, cum læti gaudentesque regnare tanti Regis neptem audierint, illam certiorem facerent; pro illius statu & augumento vires suas paratas promtasque habere, atque illis oblata opportunitate pro suis uti vellet, orarent. Interim summâ prudentiâ suam rem Regnumque stabilire, adorta, nihil antiquius duxit, quam Sedem Apostolicam sibi benevolam reddere, & officiis obsequioque demereri. Et ne defectu amicorum, despectui & contemtui esset, etiam viro, tamquam femina sola, mox ex gentilibus propinquisque spectatos viros, ex eodem, quo ipsa, oriundos Rege, præmiis & honoribus prius donatos adscivit; & brevi quæ inde despicabilis habebatur, formidabilem se reddidit, tot tantisque strenuis peritisque viris stipata, quibus in omni rerum administratione frequenter uti statuit. Itaque ex illis neminem abrogavit, aut re aliqua diminuit, in tot Provinciis, ac tam variis nationibus (quippe non solum Regno, sed & Narbonensi Provinciæ, Massiliæ, & Avenioni, egregiis Civitatibus, moderabatur, & velut Avorum apponi tabulis solitum, Pedimontem, & Folcalquerium possidebat, quas singulas per Magistratus justitiâ integritateque insignes, qui mores & linguas sibi commissorum probè callebant, regebat) adeò bene rei consultum est, ut quietè otioseque degerent omnes, & ab injuria se finesque tuerentur, & si ingentium virium accolas haberet. Hæc tam prudenter ordinata, firma mansere in adventum Andreæ conjugis; at aliquantis post diebus fortuna exercere eam ad mortem usque cœpit, cui primum feritatem barbariemque objecit. Etenim magnos ejusdem gentis viros, quos Regina in sui præsidium, & pudicitiæ famam, ad se attraxerat, Aulâ exigere conabatur, sperans, tam fidis necessariis nudatâ uxore, illâ Regnoque suis abuti moribus. Quod cum Dyrachii Dux, ejusque filii hac de re, & de pejori in suspicionem venissent, è medio illum tollere curaverunt. Quinimmo curassent idem de Regina, & de se * futurum causabantur brevi immense procurato jam eorum exilio, & instanter.

Interemtus est Andreas Aversæ Anno salutis 1345. & sepultus Neapoli in Ecclesia S. Ludovici contigua ædi maximæ, curâ & expensis Ursuli Minutili Equitis & Canonici Neapolitani. Turbatis igitur, Andreæ vitâ & morte rebus, Regina noscens, Ludovicum Hungariæ, Regem occisi germani ad ulciscendum mortem se accingere, & Regnicolarum partem metu advenientis Ludovici, partem novarum rerum cupiditate à se defecturos, Oratores ad Ludovicum, qui illam facinoris purgarent, eique causam enarrarent, destinavit; quos minimè admisit, sed abire jussit, seque mox effecturum, ut âb ea non facti rationem, sed debitas pœnas exigeret. Sciebat etiam, Pontificem Hungaro favere, adventumque illius, & benedictionibus, & sumtibus procurare. Quare ne vidua infamiæ & maledicentiæ se objiceret, & multorum Principum, qui illam conjugio exposcebant, repulsa odium incurreret, in seque irritaret, jungere se Ludovico Principi Tarentino patrueli, à quo se tutam præstaret, visum est. Sed postquam adventantis hostis viribus se impares agnoverunt, ne Reges periclitarentur, Regnumque direptionibus vastaretur & cædibus, illud ad tempus relinquere decreverunt. Accersitis à Massiliâ triremibus, in Provinciam unà cum viro secessit, cavens prius, ne adventanti Hungarorum Regi quisquam se opponeret, & Civitas nulla foret, quæ illis portas clauderet, aut obsideri se permitteret. Denique ut Regnum omne

omne in unius dominio perstaret, idem Arcium Præfectos servare jussit, neminemque detrimento aut injuria occasione sui afficere voluit, ut rediens (quod maximè sperabat) Regnum non modo non laceratum despoliatumque offenderet, sed ne deterius quidem, quam reliquerat, efficeret. Brevi post eorum abitum Ludovicus Rex adfuit cum ingenti Hungarorum exercitu, neminemque, qui sibi obviaret, invenit. Aversam tandem pervenit, nullo nec audito, nec viso hoste, cujus etiam, ut ceterarum Civitatum, portæ patuere. Dyrrachii Ducem, reliquosque, qui Reginam minimè sequi voluerunt, cùm obviam Regi officii causâ processissent, pariter cepit; moxque Ducem securi percuti jussit, eodem, quo Andream germanum pependisse noverat, loco. Reliquos arctissimè vinctos in carcere habuit, donec in Hungariam similiter mitteret. Quo & misisse etiam ferunt puerum, Carolum nomine, quem Joanna ex Andrea conceperat, & post illius necem pepererat, ubi citissimè moritur. Eo quoniam sunt, qui Reginam numquam peperisse autumant, operæ pretium erit edere diem puerperii, quemadmodum apud quemdam, æqualem fere temporum illorum scripta, quæ ut brevia sunt, sic vera existimo, inveni, cujus verba talia sunt. *Ex dictis Andrea, vocato Rege, & Joanna Regina, unicus filius, vocatus Carolus Martellus natus est post mortem patris die Natalis Domini, & mortuus est sine herede*. Idem Auctor alibi dixerat, occisum Andream mense Septembris, & Patruum misisse puerum Carolum in Hungariam, ibique parum vixisse.

Aversâ movens Ludovicus Neapolim adiit, Arcemque, uti Regina discedens mandaverat, incunctanter Præfectus illi tradidit. Regina autem ex quo Massiliam applicuit, nihil antiquius habuit, quàm Pontifici maximo, tunc Avenione degenti, reliquosque Christianæ Religionis Patribus, se purgare: quod profecto arduum laboriosumque exstitit, tum ob receptam pessimam de illa famam, tum ob præteriti Pontificis in eam odium, atque Regis Hungari favorem. Et non parum illi oberat, despicabilem eam fore, quod Regno ejectam exulemque viderent subsidium mendicare. Hos tot tantosque robustos obices diligentiâ, & morum vitæque probitate perfregit. Adeo enim apud Romanam Sedem insontem se probavit, ut Pontifex Hungariæ Regi sub censuris mandaverit Siciliæ Regno abire statim, illudque Joannæ, & Ludovico ejus viro, quibus Ecclesiæ concessio adstipulabatur, liberè possidendum relinqueret. Post cujus discessum Joannam cum viro Ludovico Neapolim per Apostolicum Legatum coronandam remisit, ubi ingenti Procerum, Populorumque, præcipue Neapolis, gaudio, & frequenti multitudine, præsertim in ipsa coronationis pompa & celebritate, coronam illi imposuit Clementis Papæ Sexti Legatus, loco, ubi rei monumentum exstat, Ecclesiâ Spineæ Coronæ, cui adhærent ædes, amplæ Regiæque, tunc Principum habitationi constructæ. Hæc salutis Anno 1350. acta sunt. Magnâ dehinc prudentiâ, animique vigore Regnum tot malis, turbinibusque labefactatum instaurare adorta, extinctis latronibus & sicariis, ut in pristinam quietem reformaret, id brevi effecit: facinus ferme magnum & gloriosum, quod non modo feminæ Reginæ, sed Roberto Avo Regi arduum & difficile exstitisset. Nec minori ani-

A mi clementia, vigore, & munificentiâ Joanna usa est erga eos, qui in se deliquerant, hostisque sui legatos aut participes cognoverat, quorum neminem aut injuriis, aut detrimento affecit; quin potius non modo indemnes dimisit; sed honoribus aut donis auxit. Qui verò adversam ejus fortunam doluerant, aut sequuti fuerant, præmia ampla, amissisque bonis ampliores compensationes acceperunt; redierat enim injuriarum oblita, beneficiorum maximè memor. Satis mirari profecto nequeo, unde emanaverit, Reginam multorum Civium nostrorum odio laborasse, cum liquidissimè constet, neminem ante se Principum liberalius benigniusque nobiscum egisse. Et si exstite-
B rint, qui singulares aliquos ampliore censu ditaverint, nemo tamen multiplicitate salariorum eam æquavit. Verùm erat moderata, ut pluribus sufficere possent; præfinita enim erat summa, quam accepturus esset auratus eques, & aliquanto ea minor, quam eques minimè auro insignitus. Magnitudinem ejus, quod in hac magnificentia erogabatur, suppudet referre, ne fortè redarguerer, quod Fiscus nequaquam sufficiens videretur; ingruentibus necessariis tot aliis expensis. Civitatem hanc frequentiorem non alias, quam sub ipsa Regina, accepimus; mercantium navium accessus numquam crebriores, quam in sua ditione & fide. Felicitatis Regni affectio, & cura domi-
C næ erant instrumenta. Creverat enim maximè Populus porro eâ multitudine, ut pœnè ædes ad habitandum deficerent. Annonæ ubique ad ubertatem, & commercii magna utilitas, quia summa securitate & otio fruebantur subditi.

Sed hæc tot bona non permisit diu permanere, quidquid illud fuerit, humanâ prudentiâ majus, invidens felicitati Regni, ne tantis commodis gauderet, seu ingenitam inviolatamque virtutem exerceret, nec tranquillitate & otio hebescere vellet. Ecce adest mors Ludovici conjugis, nullis ex eo susceptis liberis; & Pontifex abalienatæ mentis signa, quæ prius ostenderat, facto molitur. In eam
D enim Populos commovere, hostesque inducere, modo hunc, modo illum, non desistebat, prout quemque efficaciorem credebat. Insultabant nimirum, quibus Andreæ mortis memoria adhuc gravis erat, cunctasque adversitates, quæ Reginæ accidebant, meritò in Andreæ ultionem evenire objectabant. His cum premeretur angustiis, ne vidua impudentiæ famam à maledicis, & discrimen dominatus, sine viri præsidio contemptui, & injuriarum opportunitati exposita, subire videretur, nubere ex amicorum consilio visum est, junxitque se Jacobo Aragonio Majoricarum Regis fratri, cum quo parum vixit. Remansit nihilominus in eodem fere statu, quo ante Jacobi
E conjugium, orba scilicet & viro, & liberis, & jam belli exordia apparebant. Quippe Urbanus VI. Pontifex induxerat Carolum de Pace cognomine, Ludovici Dyrrachini filium, manu ingenti Hungarorum, & Pontificis exercitu comparatis, ad Reginam Regnumque perdendum. Quæ vidit, etiam à suis se non modo destitui; sed etiam oppugnari. Nam Carolus hic secum in Aula adultus ab ipsa Regina eliminatus fuerat, plerosque ex amicis, pertinentibusque Reginæ pristinâ consuetudine ab illa abduxerat, sibique unierat. Quare ne sine viro obviam ire hosti posse temere crederetur, Othonem Brunsuich Imperato-

rato-

ratoria origine virum, & ea tempestate ducem exercitum proprio ære agentem, in maritum adscivit, quem Regali titulo abstinuisse maritali conditione ferunt, & tantùm Tarenti Principatu fuisse contentum. Qui perlustratis copiis, in unumque coactis viribus, hosti nequaquam paribus, Carolum Regni finibus arcere minimè est ausus. Qui Carolus ab Urbano Pontifice coronâ prius Romæ receptâ, magno illius favore pervenit, ac Sulmonem, quæ pro Regina illi portas clauserat, vi captam, & severè direptam, primariis Civibus occisis orbavit. Quo facinore reliquæ deterritæ, nulla ulterius exstitit, quin portas subitò aperierit, illumque pro Rege admiserit. Interim Otho Neapolim se receperat, fretus Civium favore eam tutari, & hostem destruere posse. Inerat & ipsa Regina in Arce nova, viro suo præsens, & nihil, quod ad tutelam spectasset, omittens, sed potius impigrè omnia sagaciterque exsequens, Reginæ, & Ducis viribus fungebatur. Carolus verò cum Neapolim pervenisset versantem reperit, simulque cum veteribus amicis non paucis, nec infimæ sortis, deditionis conditiones agitare cœpit. Quod cum esset Reginæ viroque cognitum, visum est prius certaminis eventum experiri. Itaque indictâ pugnâ, militibus Populi magna ex parte stipatus, ad prœlium descendit, quod infeliciter cessit: quippe fusus fugatusque in Montem Sancti Erasmi Civitati imminentem ascendens, cum paucis Otho se tutatus est. Populi autem, qui superfuerant, in Urbem vertentes, versam jam à Carolo post victoriam invenerunt, quo simul & ipsi unà cum aliis Carolum Regem acclamaverunt. Ita eodem momento militaris vis fracta, Neapolis amissa, & Regina obsessa est, ubi etiam plurimorum necessariorum penuria obsidionem constanter viriliterque pertulit, ad famis usque patientiam, quantaque fuerit hinc facillimè dignoscetur. Erat inter obsessos germana ipsius Reginæ, quam in belli sumtus Regina rogaverat, ut se Regnumque commune pecuniâ juvaret, stipendii defectu periclitantem; pridem enim noverat illam pecuniâ pollere, quæ inficiari non erubuit. Tamdem cùm Reginæ res effractæ, & desperatæ essent, & cogente fame, auxilioque cessante, brevi in hostium manus deventura esset, tunc soror attulit vasculum aureis millibus plenum, utque illis ad Regni protectionem uti vellet rogavit. Cui Regina: *Habeat istos sibi latro ille Carolus*, cui tantâ diligentiâ servasti; nobis autem nunc utilior foret panis saccus, quam tua ista pecunia, mox una nobiscum scelerato Carolo in prædam cessura. Expectato itaque Massiliensium subsidio, obsidioneque protracta, quamdiu per commeatus licuerat, tamdem dolore coacta in potestatem hostis devenit, à quo primum maternè habita est, sperante allicere eam, ut non modo Regnum, quod jam possidebat, cederet, sed etiam Provinciam reliquasque ipsius ditiones in ipsum cadere, & arces tradere curaret. Quod nec blanditiis quidem, pollicitationibus, nec minis obtinere valuit: adeò obfirmatum in Carolum gestabat odium. At cum Massiliensium classem serò suppetias adferentem (post scilicèt ipsius captivitatem) prope Urbem in anchoris consistere cerneret, Carolus Reginam hortatus est, ut accitis Præfectis, Primoribusque gentis, certiores illos redderet, se non captam, Regnove privatam, sed ut matrem à piissimo filio detineri, ideoque decrevisse Regnum ac Provinciam, reliquaque sua illi, ut filio bene de se merenti, condonare; quare placere, ut Provinciales in Caroli fidem jurent, ipsumque, ut filium in dominum resumant. Quod Regina velle simulavit, cùm longe secus animo cogitaret. Lætus itaque Carolus illos sistere Reginæ, se absente, permisit. Quibus visis graviter eos tarditatis damnavit; non enim sua in Massilienses beneficia, neque illorum in se fidei sacramentum id postulasse, quippe eorum spe ad obscænorum victum obsidionem tolerasset, & tamdem illorum quoque defectu, seu malitiâ, seu negligentiâ, in sævissimi hostis devenit arbitrium. Proinde noscant, Dominam modo suam, nunc servam illius latronis Caroli, non diu victuram. Itaque si quid pristinæ apud illos fidei, & sacramenti, amoris, seu caritatis, remanserit, enixè rogare, quin etiam mandare, ne umquam velint Caroli nomen admittere, sciantque, si quid secùs de successione audierint, illud aut fraude suppositum, aut vi extortum, aut animo adulterinum, quod nec suæ mentis aliquando exstiterit; sed consultâ præmeditatâque sententiâ Ludovicum Andegavensem Ducem, & hujus Regni, nec non Provinciæ, reliquique sui patrimonii, & injuriarum hæredem & vindicem relinquere, cujus fidei & observantiæ jurejurando sese astringant, illique perpetuo fautores & comites in sui ultione adsint. De se autem nihil esse quod sperent, aut curent; nisi justa exsolvere, & pro anima exorare. Iterum illos injuncta admonere ut servent, & si quid majestatis est, imperare. Hinc conflatum est incendium illud, quod perpetuò nos exussit, & hodie in primis viget, factionum scilicèt Andegavensium, & Dyrrachinorum, quod nec cum capitibus quidem extingui potuit, cum altera ad Aragoneos Principes declinaverint; alterius verò Francorum Princeps suscitator exstiterit. His acceptis Carolus jam non tantùm coronâ, sed possessione Rex, Joannæ in se animum, quem Massiliensibus aperuerat, noscens, suum in illam illico ostendit. Quippe in muri Civitatis arcem deportari, ibique arctissimè custodiri jussit, donec morte affecerit, de cujus genere varia fuit fama, constantior tamen, quod præfocata, vel elisa fuerit. Ossa Neapolim reportata, nullo exequiarum, neque sepulcri honore in Æde Divæ Claræ, & ignoto loco, sita sunt.

Induxere me aliqua de tanta Regina scribere, tum sinistra & æquè falsa de ea recepta opinio, tum etiam quod qui ejus meminerunt, paresque temporum fuere, eamque res moderantem viderant, summis laudibus extulere. Verum quoniam nulli de Reginæ gestis Commentarii, unde eligi Historiæ series posset, exstant, ideò quæ narravimus, saltuatim, & quasi per saltus gradientes scripsimus. Hoc nimirum constare volumus, subnixi auctoritate eorum, qui verum scire potuerunt, Reginam omni labe & dedecore caruisse, & à cunctis citra odium invidiamque judicantibus culpæ omnis insontem habitam. Cur autem Andreæ morti assenserit, utpote rem judicatu difficilem, hactenus ignotum est. Multum tamen conjecturæ dant immanes illius mores, quem monstrum appellare illustris Poëta & æque modestus Franciscus Petrarcha æquum duxit. Timor enim affectuum potentissimus, & vitæ amor, sæpe nos agere, quæ minimè decreveramus, cogunt, quæ à mul-

multis perperam facta videntur. Erant insuper in Aula tot magni viri gentiles, & necessarii Reginæ, Dyrrachii simul Dux, Tarentinus Princeps, qui cum sæpe unà cum Regina noscerent & exitium potius præstolarentur, quam timerent, inferre, quam accipere mortem maluerunt. Festinatas nimium Tarentini Principis Nuptias, quas multi improbant, necessarias veriùs, quam volontarias justus arbiter existimabit, recogitans, quemadmodum Viduæ, tot imminentibus malis, tantis undique territantibus minis ad tutandum se sine viro, & Regali, & strenuo, perdifficile exstitisset. Quod vero Patrueli patris nupserit, nolebat, tam generosam familiam, quæ se Regnumque tutari posset, immeritò abalienari. Si enim extero se junxisset, certum erat, illi hostem fore: quod recenti Andreæ exemplo liquebat, & hujusmodi matrimonia propter æqualium raritatem, crebrò à Regibus usurpari sine lasciviæ nota cernimus. Eamdem fuisse causam, cur quater nupserit, scilicet ut semper legitimi viri præsidio uti posset, & pudicitiæ nomen retinere. Sciebat enim, quanta mala essent viduæ, & præcipue Reginæ, famæ, infamiæ maledictis expositæ. Has causas iterati toties conjugii exstitisse reor, non autem maris desiderium, nam coitus continentissimam legimus, & semper negotiis curisque arduis exercitam. Prælibavimus igitur ejus Reginæ res, quam tantùm à nostra ætate distare cognoscimus, & seriem ducere historiæ, quin plurimum mentiremur, impossibile erat. Quippe quàm multa etiam sparsim inventa collegisse non facilè fuit. Quæ verò plures affirmant pro veris, vera nimirum tradi possunt. Constat enim, Justitiæ, quæ Regum maxima esse debet, coluisse Virtutem, adeo ut ne Patri quidem Carolo, qui adeo illius severus exstiterat cultor, ut in eodem loco agnum & lupum vivere citra alteriùs injuriam compelleret, hac Virtute cedere visa sit. Unde insignis illius Jurisperiti Bartholomæi dictum recensetur: *se in Throno Regio integriorem justioremque Joannâ ad suam usque ætatem vidisse neminem*. Quæ ergo tantæ astutiæ illi objectari poterunt, quibus tam clarum nomen offuscetur, quando quod suum est, & Regum perpauci præstant, hæc tam exacte peregerit Justitiæ munus, quo majus, & multitudini utilius nullum à Principe exhiberi potest? Munificentiæ, & liberalitatis partibus, ac justitiæ actibus, hæc non modo feminas suparavit, sed & facilè Reges liberalissimos habitos, omne æs crebrò largiendo exhauriens. Testis nostra Civitas, quæ, & si aliquando plerosque ditiores potentioresque Nobiles haberit, numquam tamen pauciores egentes, quàm illius tempore, habuit. Quippe cum fere omnes equestres censu honestare statuisset, nequibat propterea principalium multos locupletare, cautiusque visa est omnem fere equestrem dignitatem servare, quàm in paucis ostentationem pompis superfluam effundere; ideoque multa erant illius salaria, potius quam ampla. Ostendit etiam justitiam, humanitatemque Reginæ mercatorum ex variis partibus frequentia, tot tamque pretiosis mercibus se conserentium, quos humanè habitos, benignèque exceptos tutò liberèque sua negotia exercere ea ætas vidit, ut tot bellorum exigentiis, nemo umquam, aut dono, aut mutuo tentatus sit, aut coactus aliquid præstare. Quod munus etiam hodie monumenta, quàm libentissimè sub tali Principe advenæ confluxerint, frequenterque negotiati sint, testantur. Quippe Gallorum Vicum celebri Civitatis loco videmus, similiter & Celtiberorum, quos Catalanos vocant, magno Molo proximum; & inter duas arces, Novam videlicet, & Ovi principalium Catena est, quam Genuensium porticum hactenus appellamus, licet faciem & habitatores mutaverit. Florentinos honestas sedes sibi parasse perspeximus juxta veterem Teloneum: vocatur hodie Liliorum angulus ob insigne eorum ibi sculptum. Profectò advenarum civiumque frequentia bonitatem Principum prudentiamque arguunt, publicè saluti consulentium, salubritatis & annonæ, ob paternam caritatem curam gerentium. Quanta fuerit ejusdem caritas & reverentia parentis; etiam post adversam ejus fortunam & mortem cognita est. Cum non pauci ex nobilitate viri, plures etiam non infimæ sortis cives prælegerint, bonis necessitudinibusque relictis, perpetuò exulare, respuentes Caroli Regis victoris veniam, qua neminem extorrem fieri, neque rebus exui promittebat. Formâ eam ferunt fuisse majestatem præseferente, quam magìs augebat gestis, & sermonum morumque gravitate, adeo ut nemo esset, qui eam adiret, quin eloquentiam gestusque admirans, fateretur vigere in illa spiritus Avi Roberti, tam inclyti Regis: quam nihilominus tantis natalibus, tam accuratâ castâque educatione, tam sanctis moribus, tam justâ providâque Regni administratione, tot publicis privatisque beneficiis, tanta pauperum curâ, immensisque pecuniarum erogatis cumulis prædictæ mortalium iniquitati minimè obsistere potuisse, eventus patefecit. Variis & nominis & famæ discriminibus vivens laboravit, & indecenti crudelique fine defuncta est.

SER-

SERGIANI CARACCIOLI
MAGNI SENESCALLI NEAPOLIS
VITA,
AUCTORE
TRISTANO
CARACCIOLO.

A Quamquam communem parentem Deum, neque nobis, neque nostris bonis indigere novimus, quippe ab ipso conditi sumus atque servamur, tamen ejus numen veneraturi, absque munere aliquo adire nefas ducimus, etsi minimè propter indigentiam, ut nos tamen obnoxios beneficiorumque memores offeramus; sperantes etiam munusculo aliquo nos impressuros illi firmiorem nostri, nostræque commoditatis memoriam: quem morem in Reges, magnosque viros traductum, eisdem ferme de caussis servari cernimus. Quid enim ad Regnum Principumque augendam gazam, aut honestandum apparatum clientum, humillimorum amico-
B rum munuscula, ut puta, Accipiter, Pavo, Catella, Arborum poma, hortorumque olera, & hujusmodi cetera conferre? Et tamen solent honestè exhiberi, grateque accipi. Nam qui dat, deferre majori vult; qui verò accipit, sit quamvis parum, honorari, magnique haberi maximè gaudet. Ergo cum laudabili, & pæne naturali instituto, meritò moveamur, justum quoque existimavi, Serenissime Princeps, te postliminio revertentem, cui etsi Prudentia, & Virtus etiam extorri victum tua claritate dignum suffecerint, & familiam nihilo inferiorem, aut minus cultam, quam cum tuis inesses fortunis, subministraverint,
C aliquo dono, utrique nostrum non indecenti, salutare; pecunia quippe non erit, quam tibi affatim sagacitas, strenuitasque præstiterunt, præstandamque promittunt. At mihi propter tua in me beneficia aliquam gratiam reddere cupienti, unum præcipuè, quod, & dantem simul, & accipientem juvaret, perspexisse videor, ut scilicet Avum tuum præclarum Principem tibi repræsentarem, cujus gestis cognitis intelligeres profectò plerasque virtutum tuarum magnificas dotes ab illo, sicut & Principatum, ad te devenisse; et si fortè aliquid ad consummationem tuæ laudis deesse videbitur, in avito exemplari, unde mutuari possis, invenies. Quod scias avidissimè arre-
D ptum à me, qui porro simile debitum, quo teneri fateor, exsolvam. Quippe etsi præcipua tua domus in primis illi, memoriæque ejus, à quo plurimum & fortunarum & gloriæ ad se derivatum esse cognoscit, obnoxia sit; non tamen reliqua omnis gentilitas nostra expers gratitudinis esse debet, per quem tot insignes titulos, Magistratuumque nomina promeruit. Ut igitur, & serenitati tuæ, & officio in te meo studeam satisfacere, quæ de tanto viro sparsim jacentia, carptim colligere in unum potui, dicere ordiar. Atque utinam, quemadmodum mens est & animus, illius exemplo te ornare, ita ingenium & facundia non desint ad tanti Principis facta percensenda. Me verò, nihil est quod dehortari queat, dum virum illum tibi suggeram qualicumque vel etiam rudi ineruditoque sermone. Juvat me interim non parum tantum Principem animo volvere, cujus nomen cum voluptate & accipio & reddo. Tu facias interea, quod facturum te auguror, & Atavum tuum, quantum sors & temporum conditio obtulerit, imitari studeas; quandoquidem hac, quæ te rectiùs ducat, & stabiliat, tegulam prorsus nullam invenies. Aggrediar igitur, Deo bene juvante, veniam precatus; ea namque scripturus sum, quæ nondum in hanc lucem edita venerunt, & quorum Commentarium nullum exstat, sed ea viritim sparsimque per illius tempestatis homines, quorum perpauci, & forsan propter senium non adeo memoriâ valentes, supererant, colligere me oportuit. Si quid autem exciderit, aut non ad unguem relatum fuerit, infirmitati meæ imputabitur. Item si qua ex industria tacuerim, à plerisque, ut reor, desiderata, nemo miretur; id enim volens feci. Si quidem hunc, quia merebatur, nominare constitui, non autem quemquam damnare, aut pro nomine notare, abundè enim quisque suum scelus & refert, & damnat.

Natus est ergo Neapoli Serzan (quod nomen, ut arbitror, Gallicanum est, & dominationis dignationisque apud eam gentem præfert) sub Carolo III. equestri nobilique Patre, Francisco Caracciolo, aurato milite, Matre verò Isabella, & ipsa quoque nobili è domo Sardone (*) in quam defecisse cognoscitur, in regione Urbis Capuanæ, ædibus etsi non adeò amplis, avitis tamen, & pervetustis, quæ ad hunc usque diem in memoriam ortus tanti viri ostenduntur. Pueritiam honestè sub parentibus egit, rudimenta litterarum, Religionisque Christianæ initia didicit. Mox cum primum adolescentiam iniit, Aulæ Ladislai Regis, cui ferme coævus erat, admotus est, ubi benignè admissus, & ob egregiam indolem, & quia Dyrrachinarum par-

(*) Alii scribunt *Sardorum*, fort. *Sandonum*, aut *Pandonum*.

partium fautoribus pergratus exstitit. Ab ipso itaque Rege, purpuratisque omnibus complecti, carusque haberi cœpit. Ut verò lautè, honestèque Regem sectari, illique inservire, nec gravis esse posset (attriverant enim proxima infesta bella adeò vectigalia, & redditus, ut Fiscus non æquè Regem sectantibus sufficientes sumtus præberet) Tyrellus patruus, Præsul Consentinus subministrabat. Quippe indolem nepotis ex fratre prænoscens, volebat illam sumtuum defectu non evanescere. Cumque ætate, & promotionibus ad majora in dies cresceret, augebatur quoque in erogando Præsulis animus, qui adeò dum vixit, in eum dapsilis fuit, ut nec armis, nec equis, nec famulatu, vel quoquo militari, atque aulico ornamento, Alumnorum Regis aliquis ornatior appareret. Erat enim Serzan hujusmodi rerum ad morositatem usque studiosus; incitabantque Patruum ad largiendum probi, & casti ipsius juvenis mores, ab omni prorsus luxu, intemperantiaque aversi. Nam quidquid indulgentia Patrui exhibebat, omne id suâ modestiâ & gratitudine in illius nomen, laudemque recidere curabat. Quem cum cerneret idem Præsul rebus bello, ac Regi opportunis elucescere, nihilque per inanem luxum effundere, sua bene locara liberalitate maximè gaudebat. Adoleverat jam Rex, expeditionesque, & bella per se moliebatur, in quibus Serzanis virtus progredi cœpit; nullis enim excursionibus, & levibus certaminibus præsens ejus alacritas deerat, adeò ut Ducum, Præfectorumque nemo erat exiturus ad militare aliquod facinus patrandum, si modò viribus, aut consilio indigeret, qui illum secum ducere non peroptaret; idque sibi à Rege concedi ambitiosè curaret. Unde sæpissimè eveniebat, ut à Ducibus, atque militibus, ab aliqua in prœlio navata opera revertentibus, & sua, & commilitonum bene facta recensentibus, Serzan in primis extolleretur. Erat propterea tum miræ promptitudinis, si locus in hostes conferre manus poposcisset, tum consilii si cautionem, præcipui tamen obsequii, & observantiæ in Duces. Cumque se non segnem, nobilem, ac Regis alumnum, easque in se dotes, quæ plerumque superbiam, & arrogantiam pariunt, intelligeret, neminem tamen ductorem, quamvis sibi his omnibus imparem, modò militiâ clarum, comitatus est umquam, cujus dicto non steterit, & jussa promtè non fuerit executus, dictitans, à peritioribus, quàm à nobilioribus, malle se militiam discere.

His artibus eam sibi apud exercitum benevolentiam comparavit, eumque Regis favorem, ut promoveri ad ducendos ordines cunctorum judicio tempestivus, atque idoneus videretur. Præficitur enim equitum turmæ; quo tempore ei Rex Catharinam Filingeriam junxit, eoque matrimonio Avellini Comes effectus est. Siquidem ad Catharinam Comitatus post germanorum mortem hereditario jure devenerat. Nondum Rex pacato undique Regno potiebatur. Maria enim demortui Tarentini Principis uxor, fisa suo Tarento, totque aliis oppidis validissimis, ac multâ militiâ, quam sibi vir comparaverat, Regi parêre indignabatur. Eam Rex, antequam subsidia adventarent (nam fama erat, Andegavensium Ducem Regni æmulum sollicitasse) præoccupare festinat, ratus admoto prope Tarentum exercitu, & illâ, & oppido se illico potiturum. Verùm longè aliter evenit, aliumque adveniens rerum statum offendit; quippe Maria non modò ad propulsandam oppugnationem, ne repentina invaderetur, sed etiam ad diuturnam tolerandam obsidionem se præmuniverat. Inde cautius, tutiusque Regi visum est, illam sibi legitimo matrimonio adjungere, ut se tam perplexo, ancipitique negotio extricaret, & hosti advenienti occasionem præcideret. Antequam tamen de conditionibus aliquid certi transigeretur, hoc accidit memorabile. Nam vir quidam genere & militia nobilis in medium processit; erat enim Campæ Dominus (oppidulum illud est Tarentini agri) compellans, si quis ipse in Regiis Castris, qui suæ virtutis, & partium justitiæ periculum facere vellet, id secum armis asserturus in singulare prodeat certamen; se enim pollicebatur pro virtute, ac suæ Dominæ jure tuendo ferro decernere. Atque ita definiit locum, præscripsitque diem, quo congredi volenti se instructum offerret, tutumque ab omni ceterorum injuria per Principem suam fore; idemque per Regem licere postulat. Hoc audito Serzan Regem orat, ut cum ab ejus majestate in se multa exstent beneficia, pluraque in dies speret affutura, unum tamen pro maximo placeat conferre sibi, ut bonâ ejus impetratâ veniâ liceat cum Procuratore illo congredi; sperare se Regis auspicio, causæque bonitate pro Rege dignam educatione operam navaturum. Pergere eum Rex jubet, memorem & Patriæ, & ejus, apud quem educatus, sit, & non dubitare, illum victorem reversurum: sumeret modò ex Aula, quidquid sibi usui, & ornamento necessarium putaret, equos, arma, vestem. Respondit, Regiâ beneficentiâ sibi ad commodum, atque splendorem jampridem suscepisse omnia: daret modo veniam per edictum, ut adversario suo invicem liceat sine aliquo insidiarum metu in certamen descendere: quo impetrato discessit. Statutis igitur die locoque uterque suis armis, equisque decenter instructus, animo, speque plenus, certamini se se obtulit. Indicto igitur per tubas utrinque silentio, concitatis equis concurrunt, demissisque, & infensis hastis se acriter impetunt; quibus confractis, & abjectis, strictisque gladiis, cominus rem agere contendunt, multisque gyris se ambientes, captare locum aliquem nudatum armis laborant, quo alter alterum confodere posset. Interea Serzan fortiter pugnans, hostis equum ex industriâ (quod jure belli permittebatur) gravi ictu prope oculum punctum, illum impulsu urgens, vulnerat, quo dolore percitus sublatis anterioribus pedibus se resupinans super Sessorem, in terram cadit; quem cum Serzan sub equo jacentem, implicitum, nec se explicare valentem cerneret, equo & ipse desiliit, adversariumque aggressus intento mucrone, os illi sinistrâ denudans, jugulare curabat. Cum verò Baro ille se imparem, victumque cognosceret, sublatâ manu se se dedit, cui victor vitam concessit, insuperque illum eâ libertate donavit, qua ante initum certamen steterat, sibique nihil deberi, illâque in re obnoxium fore, imò fraternè secum versari, resque suas illius esse arbitrii; non enim sinceram suam gloriam fore, si alterum ignominiâ, aut damno notaret; seque pollicetur futurum apud suum Regem perpetuò ejus protectorem. Exceptus cum applausu à commili-

militonibus, ovantique similis, ad Regem deductus est, à quo Regiâ gravitate laudatus, gaudere se, inquit, à Rege laudari; quamquam spem aliquam de se conceptam aliquo modo auxerit, sed in posterum non desperare, obventuras occasiones, quibus magnanimi Regis non paucam de se opinionem frustaturus minimè sit.

Compositis ergo rebus Tarentinis, pacatâque Provinciâ per Mariæ Principis conjugium, nihilque inde novi expectans Rex, propere in Campaniam redit, tantisperque moratus, donec miles reficeretur, ad arcendum hostem finesque sedendos accelerat. Nam costans fama erat, Ludovicum Andegavensium Ducem valida cum manu appropinquare, quem Joannes Pontifex Maximus ad occupandum Regnum evocaverat. Cumque ad flumen, perlambens radicem montis, cui Arx, quæ dicitur Sicca, imminet, devenisset, interiori ripa castra locat. Interim militem continet, ne Pontificium agrum infestet, cumque facilè posset, sua potius tutari velle, quàm aliena invadere præsefert. Eò mox Andegavensis Ludovicus cum Pontificiis copiis advenit; qui cum penetrare in Regnum, qua spe venerat, per objectum oppositumque Regem non licuisset, exteriorem ripam è regione tenuit. Et postquam levibus prœliis se invicem tentarunt; necessarium visum est conferre signa, ac summam belli totis viribus experiri. Ceterum mos est Regi inituro prœlii discrimen, delectos habere ex omni exercitu paucos sibi, spectatæ fidei & fortitudinis equites, timiditatis ignominiam maxime verentes, quibus sua paludamenta, cristatam insignémque galeam, aliosque sui corporis militares tribuat ornatus, ut nemo sit, qui in medio conflictu, si quem ex equitibus ita Regalibus armis indutum viderit, non verum esse Regem putet. Hoc autem ideo fit à Rege ex industria simulanter, ut inter dimidicandum variis in locis spectari pugnans, hortansque possit, utque suis animum addat, hostibus verò terrorem incutiat; simul ut adversis in rebus frustretur hostis, & cum simulacrum Regis confertim plurimi insectantur, facultas illi evadendi, seque in tutum recipiendi adsit. Hoc autem bellicæ artis genus perpaucis iisdem fidissimis committitur adeò dissimulanter & tacitè, ut commilitones ipsos æquè ac hostes lateat. Ipsi verò, qui simulatis insignibus Regem relaturi sunt, seorsum diversisque ordinibus collocantur, ita tamen ut se quisque ad hoc munus delectum putet. Itaque cum plures sint, unus tamen, qui singulas vices curet, quique oculis hostium obversetur, decernitur. Fides igitur, & alacritas in bello Serzanis Comitis, multis experimentis Regi cognita, fecit, ut illi hæc res credi optimè posset, utpote qui & militem, & Ducem agere, & quid facto opus esset, bene nosset, atque exequi valeret. Sed accidit, quod prævisum erat, ut Rex inauspicatam pugnam iniret, & exercitus fusus fugatusque, castra capta forent, ipseque suâ, alumnorumque virtute, ne caperetur, evaderet, Arcemque Siccam ad perfugium peteret. Quò cum devenisset, prima luce Comes & ipse adsuit, præseferens infausti certaminis notas. Nam vestem illam Regiam, cæruleo colore, aureisque Liliorum floribus inspersam, qua se induerat, hosti distractam reliquerat, thoracem tantummodo, & hunc quidem pluribus ictibus perforatum, in papilionibus retulerat;

A girifalconem verò aureum, quem gestaverat, dum plures se Regem inde capere crederent, hostes discerpserant: quæ omnia perseveranti constantia ipse Comes pertulerat, cui os etiam, non verò vulnere, sanguine perfusum cernebatur.

Tot igitur hujus spectati viri experimentis Rex, & dum Regno æmulum exigeret, & post illum exactum, cum ad ulciscendos hostes (Pontificem scilicet, & Florentinos, fomites in se malorum) profectus esset, egregiâ ejus semper usus est operâ. Etenim ad intercipiendam Urbem Romam, quæ abrogato Joanne Pontifice, Regi se dabat, inter Principes missus est; deinceps & Etrusco bello, quod in

B Florentinos, præcipuè ob eorum devotionem in Andegavensium familiam gestum est, non cessavit Comes strenuè multisque se benefactis erigere, adeo ut cum Regi visum esset ob adversam valetudinem, exercitu oppidatim deducto à Roma, Neapolim ob natalis cœli salubritatem reverti, Comitem valido cum præsidio Tuderti imposuerit, cui demandatum est, ut caveret unà cum ceteris Ducibus, ne quid Respublica, se absente, detrimenti pateretur: quod summâ curâ, diligentiâque præstitit. Rex tamen, sic volente Deo vix Neapolim adveniens, eodem illo morbo in Arce nova Idibus Augusti moritur, non sine veneni suspicione, licet incostanti rumore, maximo tamen Neapolitanorum luctu atque mœrore, ut no-

C bis quoque nepotibus, tanti Regis desiderio haud multum longinquitas temporis mœstæ recordationis abstulerit, ejusque mors in dies nobis recentior efficiatur.

Successit Fratri Joanna cognomento secunda, & quoniam vidua, liberorumque expers, contemtui haberi cœperat, & plerique qui pro fratre Ladislao steterant, ad perpetuum Regni æmulum os obvertebant, operæ pretium visum est exercitum omnem ab Etruria revocare ad Regni tutelam. Venit igitur cum credito sibi milite Serzan Comes, & si non parum mœrens morte sui Principis, solers tamen constansque obsequium successori præstiturus;

D tantoque in his præstare nitebatur, quanto magis rerum status exposcere videbatur. Inito igitur consilio de stabilienda Regina, auctor sententiæ fuit, ut omni studio arteque ad Pontificis gratiam res perduceretur, non modo feminæ absque viro & liberis, verum etiam masculo Regi, omnique munimento vallato, ad hoc Neapolitanum Regnum in tranquillo detinendum, perneceffario. Quam sententiam tam veris argumentis vallavit, ut in eam à ceteris Proceribus atque optimatibus itum sit. Deliguntur ad Pontificem idonei ad rem peragendam Oratores, quos inter Laurentius ex Divi Augustini professione vir, apud ætatis suæ Theologos eminens, quem

E Tricaricensem Præsulem vidimus in æde maxima ad Populum sacra verba doctissimè facientem; injunctumque his, ut omni studio atque conatu Pontificem Reginæ benignum redderent. Hanc esse legationis summam; animadverterent quoque, per quos perfici posse sperarent, non parcendo donis, aut pollicitationibus, dummodo voti compotes reverterentur.

Erat jam Martinus Columna, dejecto Joanne, in Catholico Christianorum Concilio non modò Cardinalium, sed etiam aliorum Principum, præside Imperatore, in Pontificem assumtus, revertentemque eum in Urbem adierunt,

runt, Reginæque nomine suppliciter salutarunt, nuntiaveruntque, illam Sanctitati Suæ perpetuum obsequium præstituram; unde sibi, Regnoque suo haud dubiam speraret felicitatem, freta illius benignitate, & officiis in posterum præstandis ejus beatitudini, Apostolicæque Sedi. Quod autem Ladislaus Rex frater bellum gesserat, non odio sacræ Sedis Pontificiæ, neque aviditate propagandi fines Regni, susceptum esse, sed in Joannem Pontificem, omni vi nitentem eum de Regno ejicere in Ducis Andegavensium gratiam. Etenim quod ita fuerit revera, brevi ipsam experimentis fore probaturam. Gratam sibi Pontifex orationem, Reginæque mentem esse, respondit; se brevi Romam perventurum, ubi hæc omnia commodius tractari poterunt. Interim jubebat, Reginam bona spe, bonoque animo esse, modò pollicita incorrupta servet, constantique fide; sic enim conditionibus non iniquis voti compotem futuram fore. Revertentes ergo Legati; expositis, quæ egerant, ingenti lætitia Regiam ipsam, quamvis non totam, opplevere. Quippe quantum spei præsenti statu contentis addiderant, tantumdem novarum rerum studiosis ademerant. Consultare de his visum est, quem potissimum ad tantum negotium delegarent; consideratisque omnibus, neminem aptiorem Serzano Comite invenerunt; florebat enim ætate, atque peritia, qua non minus moderari fœdera, compositionesque rerum, domi forisque curare posset, quàm fortiter militem perinde ac ducem agere. Inerant illi præterea naturæ dotes, forma egregia virilis, auctoritas tanta, ut in privato etiam appareret. Has & propria gravitate atque modestia, omni libidini adversa, majorem in modum honestaverat; quin & familiam, cujus studiosissimus erat, & si optimè institutam, elegantem quoque & nitidam habebat; reliquoque domus apparatu non minus splendido spectandoque utebatur: quæ omnia cum penes se domi haberet, accingenti sibi ad legationis munus, non foris accersenda fuere. Igitur omnibus hisce instructus, sic in primis Pontificem adiit, à quo humaniter benigneque habitus est; & quamvis multiplicibus occupationibus & curis ob novum Pontificatum, tantisque implicitis rebus distractus esset, Pontifex tamen illum audire, & coram per se rem conferre non destitit, delectatus viri ingenio, à quo nihil non opportunum, ad remque spectans, audiret, nihil scurrile, aut minus grave interferentis; sed quæ fidem sinceritatemque præseferrent. Unde brevi inter eos conventum est, ut ipsa Regina arcem Sancti Angeli, & Ostia Tyberina, Urbemque Veterem, & quæ oppida Ladislaus decessori Pontifici Joanni ademerat, & adhuc illius præsidiis tenerentur, Sedi Apostolicæ, & ipsius Martini Præsidi statim tradi curaret; quin & censum annuum à priscis Pontificibus Regno injunctum quotannis ad præstitutam diem fideliter penderet; & si quando Ecclesia indigeret, suo ipsa ære juxta Regni vires militem, sive terrâ, sive mari, ad illius subsidium compararet. Restitutio, quæ præsens fieri poterat, illico per Comitem facta est, Arcis scilicet, Ostiæque, & reliquorum Romæ adjacentium. Præfecti enim statim, visis signis, quæ Comes ipse ostenderat, omnia reddidere. Hæc autem coram, reliqua verò, quæ dilatiunculis indigebant, præsenti jurejurando firmata sunt. Fuerat enim conditionibus cautum, ut his

A servatis Pontifex è Cardinalibus unum è Latere delegaret, qui in Regnum proficisceretur, & collationis confirmationisque Regni diplomata, ac bullas Reginæ deferret, Coronâ insuper, & sceptro, reliquisque, ut moris est, insignibus illam exornaret, Populosque etiam & Proceres in verba, & fidem, salutemque Reginæ jurare cohortaretur.

Hæc diligenti sedulitate omnia perfici Comes curaverat. Inde bonâ Pontificis veniâ, Cardinaliumque gratiâ, apud quos opinionem eam de se reposuerat, ut amari, & suspici æquè videretur. Bono igitur animo unà cum Cardinali Florentino, plurimæ inter fratres Collegii auctoritatis, Neapolim versus ire B cœpit; aberatque Româ itinere alterius diei, cum præire Cardinalem festinat, ut illi pompam, apparatumque redderet illustriorem, quemquidem maximum exactissimumque præstitit. Utque par erat, honorificè Neapoli acceptus est, ubi nihil antiquius præstare visum fuit, quàm quod Serzan Comes, Reginæ nomine, promiserat, ipsa præsenti juramento firmaret: qua re præstitâ, Cardinalis Reginam coronavit, Regiamque vestem, ac reliqua, quæ religiosè ac solemniter in Regno constitutam ostenderent, ei contulit. Sicque Regina coronata, & induta, Legato Sedis Apostolicæ obedientiam, fidemque promisit, eodemque jurejurando populos proceresque C Regni eadem præstare Reginæ jussit Cardinalis, & vidit. Ut igitur tot officiis, tamque sæpe exhibitis, & huic præsenti, quo tam insperata à Pontifice obtinuerat, reliquorum maximo, gratiam rependeret, & se gratam munificamque ostenderet coronata hac celebritate Regina, Serzanum Comitem, magnum Regni Senescallum creavit: quod munus novissimum inter primores Regni Magistratus adscribitur, qui præsidenti publicis rebus Principi, arduaque per se agitanti, ceteris Proceribus propius, assidet, & totius Regni negotia ab his septem singulatim distributa curantur. Est præterea magni Senescalli toti Regiæ moderari, universæque familiæ, & unà D cum his negotia tractantibus jus dicere. Insuper cavere vigilanter, ne vascula, aut cibi, quos Princeps sumturus est, veneficio aliquo inficiantur; solemnibus etiam Regalibus cœnis atque epulis, equo insidere albo, veste serica, aureis laqueis circumplexâ, dapes instructas ante prægustare; & cum ad mensam Regiam devenerit, æquo descendere, lancemque à discophoro sumtam per se inferre; deinde deguitando explorare; atque his peractis iterum equum conscendere, & eodem ministrorum comitatu ad alia fercula importanda reverti. Hunc morem magnus Senescallus servaturus semper est, etiam si centies novi cibi inferendi essent. Hoc itaque specta-E culum, eo tempore diu intermissum, renovari per virum, majestatem quamdam formâ, ornatuque præferentem non modò jucundum, sed venerandum fuit. Utque Magistratum splendidiùs agere posset, quoniam Regni curam illi Regina concesserat, Venusio, ejusque oppidis donatus, Ducisque nuncupatione ac dignitate insignitus est.

Creverant Serzano jam Duci, unà cum dignitate, & fortunis, labores, atque discrimina. Quippe semina Andegavinæ factionis aliquandiu depressæ fibras diffundere ad uberiorem segetem non desistebant, adeò ut quod non verisimile, & tamen verum est, plerique

Dyr-

Dyrrachinarum partium, & quod iniquius videbatur, Ladislai etiam Regis alumni, & ab illo, Sororeque bene habiti, censuque honestiori adaucti, Andegavensem præoptarent, illumque Regno intrudere meditarentur. Hi nimirum adscitis ex Reginæ intimis, quos obtrectare adversùs magnum Senescallum, illumque statu præsenti deturbare satagentes noverant, per eosdem stimulare Reginam non cessant; cui persuadere contendunt, imminere periculum novandarum rerum, & ni magnus Senescallus à Regni gubernatione, Regiâque ejectus amoveretur, fore ut odium in illum conceptum, in Reginam quoque verteretur, cui hac una ratione, totique Regno quietem futuram perspicerent. Hoc etsi ex invidia nasci videbatur (erat enim Serzan populo quam carissimus, tum ob justitiæ rectitudinem, tum ob annonæ curam ac diligentiam) tamen visum est loco cedere, & perfidiæ prætestum abrumpere. In Insulam itaque Prochytam emissus est, hujusmodi conditione, ut Neapolim, non nisi evocatus repeteret: quod quidem modestè tulit, fretus, necessario rerum statu, ita poscente, se brevi majorem reversurum. Eo igitur amoto, & intra Prochytam detento, liberius Andegavensi aspirare cœptum est, adeoque de Regina, deque ejus Regno malè ominari, ut quos ipsa ad Ludovicum de compositione miserat, non sint veriti illi dissuadere, nec dubitaverint in illam, à qua Oratores missi fuerant, hostis duces reverti. Pergebat interim hostis in Regnum, augebatur in dies exercitus, non ad bellum, sed ad prædam ire persuasus. Defecerant enim ad eum multi, partim cupiditate optati Principis, partim metu, ne perditis Reginæ rebus, ipsi dignitatibus fortunisque evolverentur: ideoque præoccupare Andegavensem curabant. Erant, qui vellent, ac disseminare rumores non cessabant, Ludovicum non citra Pontificis nutum se accinxisse: quod credibile faciebat, nuper non semel similiter factum vidisse. Adventante propius subinde hoste, etiam Regni fines tenente, omnis nutare Dyrrachina res, casumque expectare, præcipuè moderatoris defectu, videbatur.

Circumspectis omnibus magnus Senescallus unus judicatus est, qui tanto discrimini occurrere posset, tum virtute spectata, tum fide. Itaque Reginæ consuluere, necessarium videri, illum revocari, hominem populis carum, & ejus majestati fidissimum; si quod esset, hoc unum fore præsidium. Orta ex opportunitate occasione, boni omnes, qui res salvas cupiebant, & amici necessariique magni Senescalli, audentius id exposcunt. Æquum itaque petentibus assensum est. Rediit ergo ingenti omnium favore, & partium spe, & quamvis semper, eo tempore maximè, modestiam animique magnitudinem præsetulit: quippe ne signum quidem prælati in se odii ostendit; imò potius eumdem erga eos, qui in se egerant, acturique longè pejora, data opportunitate fuissent, reversus se præstitit, obsequiique in Reginam plus exhibere non potuit. Et cum fide diligentiaque rei præsenti æqualiter egregiam operam dedisset, in hac tamen, quæ discriminis plus habere videbatur, solito majorem operam navavit, animo quidem parili in maximis peragendis se prodente. In primis igitur Reginæ assidere sibi fidelium, & negotia callentium concilium belli persuasit, utque nutan-

A tes stabiliret, & illud non parvi faceret, quod adversarii pervulgaverant, alienatam, scilicet Pontificis mentem; hoc autem vanum esse, quibusvis nuntiis ostenderet. Cogitaret insuper, quonam apparatu tam imminenti discrimini obviam ire posset; interim muniret Urbes, milites oppidatim in præsidiis distribueret. Nam conferre castra exiguitas copiarum non permittebat. Consultatum est interim (quod præcipuè rerum status poscere videbatur), quisnam propè affectis rebus subvenire vellet, & posset. Perlustrantibus ergo enixiori cura Christianos Principes, & aliis alios proponentibus, unum se offerre ait, qui subsidium validius, ac præsentius ferre posset,

B Alphonsum scilicet Aragonum Regem, juvenem, alacrem, impigrum, gloriæ, propagandique Regni avidissimum. Erat enim fama, hunc eo tempore in Africæ insulam Lothophagum, quæ hodie Gerbis dicitur, expeditionem parare. Præterea Siciliæ dominari, quæ tam angusto freto à Regni continenti diremta est, ut utique Terra procul spectantibus continuò videri possit, unde quam facillimè commeatus omnis generis abundè, milites, equi, frumenta, aliaque præterea bello opportuna afferri possunt, & tam ad manus esse, ut non allata, sed Regno innata videantur. Hunc itaque sine controversia, ex his Principibus, qui interiori hoc nostro mari

C utuntur, esse potentissimum; habere enim, & milites, & remiges è suis Regnis, non parandos aliundè in hostes, & æquè in maris tempestatibus, navigandique peritia graviter instructos, & exercitos. Qua dicta sententia, non ulteriùs de perquirendo, à quo esset expectandum auxilium; sed de Alphonso Rege, quam citissimè evocando conciliandoque omnibus visum est. Legantur igitur ad illum viri prudentes, & partium deditissimi, qui quanta maxima potuerunt celeritate Regem adeunt, offenduntque illum deducta classe; jamjam in Gerbis soluturum; est enim Tunetanæ ditionis Insula. Exposità legationis summâ, præfatisque opinionem, & fidem, quam de ejus

D majestate Regina conceperat, ipsum, aut neminem fore, qui illam præsenti periculo infensissimi hostis liberare posset: oblatas conditiones libenter arripuit Rex; magni enim ducebat, Regnum hoc reliquis suis connectere; nec minus gloriosum, quam Regali officio dignum, se obsessæ Reginæ liberationem patrasse. Obtulerant autem Oratores, statuisse Reginam, si ei adeò validas suppetias attulisset, ut hostem Regno submoveret, eum post mortem Regni successorem adoptivumque filium relinquere. Interim Arcem novam Neapolis, Insulamque Ænariam, quæ hodie Ischia dicitur, pro ejus sede, & in Regni hereditarii prærogativam illi tradere.

E Dimissis itaque Oratoribus, ut prænuntiata adventus sui celeritate nutantes in fide continerent, fidelibus verò obstinatis ad quodvis periculum pro Regina tuenda subeundum spem animoque adderent: misit etiam in Urbem Romam ad negotiorum suorum Procuratores, ut Italum equitem, peditemque conducerent, qui sibi Neapolim appulso præstò esset, atque ut majori diligentia curaretur, etiam cur fieri vellet, adscripsit, stipendio liberaliter præbito: quod non minus providè, quam celeriter actum est. Quippe Brachium Montonium sua tempestate militiæ Ducem in primis nobilem pro Rege obæratum habuere; pol-

pollebat enim exercitu suâ disciplinâ instructo. Interim Rex bene valida classe ad præstitutum diem nostris litoribus adfuit, tantisperque distulit navalem militem exponere, quoad Brachius cum terrestri appareret, quo & ille non diu moratus advenit. Primò igitur congressu belli statum constituerunt. Rex enim Neapolim tutandam, illiusque potiundæ spem hostibus adimendam suscepit; Brachii verò partes fuere, ut ita hosti opponeretur, ut ille nequidquam proficeret, captatâ tamen prius opportunitate, utrumque exercitum uniendi. Cum igitur hostis id se prohibere non posse, nec junctis se parem cognosceret, coactus obsidionem solvit, & Regno egressus est. Itaque re pacata, magni Senescalli maximè diligentiâ, nequaquam tamen ipsi otium, aut quies contigit; majoris enim curæ laborisque fuit, Regem, Reginamque, ne dissiderent, continere, quàm ut antea unirentur, erat. Regina enim jam Regem suspectum habere cœperat; Rex verò muliebrem inconstantiam vereri, ne si diutius illa viveret, non modò interim ipse Regno careret, cui maximè inhiabat, verùm etiam, largiore temporis intervallo, Reginæ operâ successione frustraretur. Non cessabat propterea magnus Senescallus omni studio, & industria alteri suspicionem adimere, alteri verò spem bonam facere: sic aliquando inter eos versatus est, ut neutri se suspectum præbuerit. Tamdem Rex moræ impatiens diem, quo Regni successor fieret, prævertere festinat, Reginamque sub tutelæ nomine suæ ditioni subdere. Itaque deliberanti, quonam modo id assequi potuisset citra majorem tumultum, fuere ex intimis, qui consulerent, si magnum Senescallum antea caperet; in illo enim res omnes inniti; hoc uno exarmatam Reginam ad eum quibusvis conditionibus deventuram. Aderat consilio opportunitas. Consueverat enim quotidie magnus Senescallus Regem in Arce convenire, tum gratiâ, tum si quid dissidiosi inter utrumque Principem exortum esset, ut ipse componeret. Cumque solitum morem servasset, nihil tale veritus, ut qui futurum sibi Regem veneraturus accesserat, vi detentus est. Id ex comitibus unus, qui secum ierant, signis & conjecturâ prævidens, & Regi, comitibusque equos parari animadvertens, furtim à Regia se proripuit, Reginam properè adiit, nuntiat, se facilè observasse, magnum Senescallum à Rege esse captum, & ut non obscurè conjectari licuit, mox ad ipsam Reginam Arcemque occupandam, illum jam jam adfuturum: proinde sibi, suæque vel quamprimum consulat. Festinantibus ergo, qui illam salvam optabant, periculo imminenti occurrere, ecce Rex adest, adeò celeri adventu, ut adita priori Pontis parte, quæ in Urbem emittit, vix Præfectus Arcis alteram partem pontis attollere atque attrahere spatium habuerit. Rex interim interruptâ ingrediendi viâ hærens, immotusque è mœnibus, ac propugnaculis saxis impetebatur, adissetque fortasse vitæ periculum (vertere enim per se equum ob angustiam Pontis erat difficillimum) ni eques Neapolitanus quidam loris apprehensis, equum ad regressum tutò vertisset. Atque ita discrimen evasit, speque frustratus, unde venerat, non recta, sed per angustas viarum flexuras, infrequentesque Urbis partes regressus est; & quod dolo non successerat, id vi aggredi parat.

A Interea magnum Senescallum arctius servari jubet, oculatamque insuper illi custodiam apposuit; quippe bini semper aderant, qui sibi invicem succedentes, quidquid ageret, observarent; quin etiam ne noctu quidem quiescere, ac somnum capere sinebant, & sub prætextu ratiocinii insomnem illum macerabant. Auditumque est ab eo, jam liberato, pertimuisse se, ne tali tormento deficeret.

Vallabat interim Rex interiorem Arcis partem, quæ Civitatem spectat (nam illa illi parebat) suo navali milite, quo maximè pollebat; exteriorem verò partem fossa, valloque sepsit, ne vis aliqua externa ad deducendam Reginam erumpere posset. Munitionibus præsidere B voluit electam totius Regni sui nobilem manum, quæ eum, ut par erat, magnificè armis equisque ac cetero ornatu apparatuque instructa sequuta fuerat. Anxia Regina, variisque consiliis disquirente, cujusnam vires impendenti discrimini mederi possent, perlustratis omnibus unus Sfortia Attendolus par tantæ rei inventus est. Ad hunc itaque statim per id temporis cis Calorem fluvium agro Beneventano hærentem, legantur idonei nobilesque viri, & quorum dictis ob eorum auctoritatem fides haberi possit, eumque Reginæ nomine salutatum rogant, ut velit obsessam suis armis liberare; idque ingenti emolumento, & gloriæ, sibi suoque exercitui futurum. C Obtulerat insuper magnum Comestabulatum, supremum, ex septem Regni Magistratibus, cujus officium sit, omnibus militibus in Regno commorantibus moderari, & equites peditesque illius dicto obedientes esse. Eique etiam oppida fortunasque plurimas polliciti sunt, Reginamque effecturam, ut ipse inter maximos Regni Principes annumerari meritò possit. Lætus conditiones arripuit, beneque sperare, qui eam, remque suam salvam vellent, hortatur; brevique se talem operam navaturum promittit, cujus & hostes pœniteat, & per quam Regina libera, & domina permansura sit; sibi autem illam longè ampliora pollicitis debituram, se esse curaturum. D Proxima igitur nocte de prima vigilia movit; neque impedimenta, aut sarcinæ morabantur, quin expeditissimus ingrederetur. Ductabat enim exercitu vetere militia duratum, frondeisque tentoriis uti solitum, & humi somnum cibumque capere assuetum. Ante quartam vigiliam prope Acerras subsistit, ubi tantisper moratus, dum milites corpora curarent, & ipsos ad pugnam hortaretur, quibus dum adstiterant, *advenisse tempus*, inquit, *quod aliquando optare forsitan potuerant, sperare autem minimè potuissent; non votis illud, non supplicationibus obventum, sed Dei munere oblatum, & quo tantos labores, indigentias, vulnera, & sociorum cædes, aliaque multa* E *incommoda, quæ diutius perpessi fuerant, quæque hactenus, aut propter hostium, aut locorum ignobilitatem sepulta, & quasi non facta silebantur, hoc uno certamine, si præsagientibus animis credere velimus, victoriam dicere possumus, & cum se in lucem nomenque dabit, nos potioribus opibus, & spoliis ditabit, augebitque, & laude nobiliores reddiderit. Quippe direpturi sumus Regium exercitum; nobilem illum, quidem, ac divitem exhibiturum nobis plus opum, quam discriminis, aut vulnerum; qui etsi generosi alacresque sint, novimus tamen disciplinæ militaris ignaros, laborique insuetos, famis frigorisque inpatientes, quæ solent esse virtutum subsidia.*

Irent

Irent ergo bene; Deo juvante, & sui similes, eosque suo duci se præstarent, quos multis prœliis pro longè minori emolumento, & gloria sæpe certare vidisset. Quod ad se attinet, eo se ordine arteque ducturum, ut boni ductoris officium desideraturi non sint. Ipsi verò sciant, uno si tantùm ictu hostem viriliter impetant, hostilemque impetum semel constanterque suscipiant, ingenuè sibi persuadeant se vicisse.

Ducis verba alacri clamore accepta victoriæ fiduciam ostendere. Strictis ergo ordinibus, in hostes ire pergunt, petentibusque militibus signa quædam, aut symbola, quibus inter pugnandum, se hostesque discernerent, ut quem ferirent, quemque vitarent dignoscere possent, *in promtu est*, inquit, *herbis, aut vepribus, aut dumis, aut aliquo duriori ramusculo se quisque vestrum insigniat, utpote è nemore venientem; satis enim nos fortuna discernit. Quippe quot bene sericatos, ardenti purpura indutos, torquibus ornatos, phaleratisque equis insidentes conspexeritis, hos strictis mucronibus, infensisque cuspidibus petite, vulnerate, urgendo sternite.* Ingentis animi illis verba Ducis fuerunt; sicque agmine composito, & ad subita omnia parato, in hostes pergunt. Resciverant jam Aragones, qui munitionibus præsidebant, hostem jam dudum se offerre, & ne timiditatis arguerentur, simul & ut hostium humilitatem præ sua nobilitate contemnente se proderent, in patentem viam decertaturi prodierunt. Ubi ad manus deventum est, dedere specimen generosæ conditionis, Regiæque educationis, diu fortiter pugnam substinentes. Quod animadvertens Sfortia, immissâ veteranorum turmâ per callem hostibus inobservatum, sibi utpote regionis gnaro bene notum, pugnantes à munitionibus intercipit, ipse suos à fronte impetu vehementiori urgere hostem imperat. Aragonii verentes intercludi, dum se ad munitiones recipere conantur, instante hoste, obstructoque ad suos itinere, perpauci evasere. Maxima pars & nobilissima capitur, munitiones dejiciuntur, Arci liber aditus datur. Jamque per vias Civitatis vicatim pugnabatur; navalis enim miles per angustias vicorum pervagari equitem non liberè sinebat. Maximè cum ventum est ad infimas Urbis partes, novæ Arcis coronæ propinquiores, ibi Sfortiadæ insequi destiterunt, & nequidquam proficientem equitem, & in maximo periculo versantem, Sfortia retraxit Arcem Capuanam versùs; unde exemtam Reginam, qui ei favebant, Aversam deduxerunt, ne fortè iterum periculum subiret. Rex verò cum neque præsidii satis ad tutandam Urbem, neque equitem ad eruptionem in hostes faciendam pollentem haberet, suos recensendo reperit se pænè dissolutum, Regnumque suum velut exanime corpus, proceribus fere cunctis bello captis, & custodia detentis. Ergo ad Reginam de captivorum commutatione misit, cui post aliquas oblatas, & utrinque rejectas conditiones, tamdem Rex, licèt invitus, assensus est, ut magnum Senescallum pro maxima detentorum Procerum parte commutaret, inter quos, & Comites, & Marchiones, & Duces fuere nonnulli. Quanti autem constitit illa redemtio, oppida, quæ Sfortiæ data sunt pro captivorum cum magno Senescallo commutatione, facilè ostenderunt; quippe quæ octoginta millia aureorum summam excesserint. Ad hæc perpauca me de tanto viro Duce Sfortia narranda, tum rei

A opportunitas, virique alacritas, tum maximè existimatio ejus filii Francisci Sfortiæ, quem ipsi Mediolani Ducem vidimus, traxit; eumque si fata ad hæc tempora servassent, profectò hanc nostram Italiam conculcatam, attritam, omnique splendore privatam, nequaquam cerneremus. Sed de hoc satis.

Serzanem statim ex captivorum commutatione liberatum, recuperandæ Neapolis cura invasit. Reliquerat enim in ejus præsidio Alphonsus, Celtiberiam repetens, Patrum fratrem, cumque eo Jacobum Caldoram Ducem excellentem, electâque militum manu subnixum. Ex quo igitur magnus Senescallus carcere exierat, nil antiquius duxit, quam per
B pararios, utrisque fidos, cum Caldora agere, ut ad sanitatem rediret, Reginæque Civitatem concederet: quod tamdem fecit Caldora, caussatus ulterius militem stipendio carere non posse, præteriisse jam diem præstitutam, qua mittere illud Rex promiserat; nec posse amplius famelico militi verba dari; quin etiam per cives suos, qui apud Reginam morabantur, quotidiè sollicitari; insuper famem & obsidionem ostentari; nosse vulgi se ingenium, & levitatem: proinde optimum videri, Petrum Regis fratrem cum suis omnibus, reque salvâ incolumem abire, priusquam incommodi aliquid patiatur, cui à se minimè obviam iri possit. Veritus itaque Regis frater, ne mens Cal-
C doræ in pejus verteretur, expectato citius triremes conscendit, in Siciliamque navigavit. Sic Civitas in Reginæ potestatem rediit. Serzan duplicis necessitudinis vinculo Caldoræ committitur; uterque enim utriusque filio suam filiam spondet. Restabat, quoniam Regina post irrita Alphonsi tentamenta, animum ab eo alienaverat, & ad Andegavensem verterat, ne sublato æmulo, Ludovicus iter, quod Alphonsus præproperè regnandi cupidine ostenderat, & ipse teneret * Arces, quæ Alphonso traditæ fuerant, ab eodem detineri; sicque Ludovicum, ne quid insolentius moliretur, eadem ratione continendum esse. Liberare se inter utrumque pro incolumitate ac fortuna Domi-
D næ suæ necesse erat, * propensior tamen ad Ludovici partes, quem à Regina adoptatum jam noverat, unde etiam ad moderandam Calabriam missus fuerat. Observabat jam ipse Ludovicum, sed curarum summa erat, ne vivens Regina Regno ejiceretur, cujus cautelæ caput erat, neutrum, scilicet Alphonsum, aut Ludovicum interim sine spe & metu degere. Regina igitur Neapolim reversa, conventus habuit, quibus Ludovicum Andegavensem filium in adoptionem acceptum, ac Regni Successorem pronuntiavit; atque ita illius res & negotia Serzan amplecti cœpit, utpote futuri sibi Regis. Interim affinitatem iniit cum Principe Tarentino, suam filiam Gabrieli Ur-
E sino, ejusdem Principis fratri germano, carenti liberis successuro, matrimonio jungens. Adeò milite, opibus, & affinitate creverat, ut eum futurum Regem crederent omnes, quem ipse præoptasset. Inde ferunt, Ludovicum, ut certior de Regni successione fieret, Serzanis filiam in matrimonium petiisse: quo audito, velut subiratus aliquantisper obmutuit, deinde scire, se non à Rege natum, neque Reges genuisse. Hanc igitur mentem averteret Deus, & quam semper habuerit, confirmet, qua perpetuo parere Regibus suis fideliter decrevisset; satis sibi superque futurum, si Andegavenses inter caros amicos habeat; Sin autem propensius ad sibi

sibi obsequendum, se habiturum Regnum ea affinitate putet, sciat, nullo arctiori vinculo confirmari posse, quàm quo Regina illum in filium successoremque adoptaverit; se penitus illi deditum & obsequentem fore, servet modò benevolentiam Reginæ matris, quod summopere eum facere hortaretur & supplicaret: de se autem fidam spem habeat, fidumque habiturum militem, Arces, amicitiasque suas; hos unum spectare, ut ipse post Reginæ obitum pacatum integrumque Regnum accipiat: quod libentiùs faciliusque se præstiturum devoti, quam soceri nomine, procerto habeat. Hæc pro tempore provisa, & de commeatu terra marique apportando, utque Fisci reditus & vectigalia citra querelas minimumque gravamen exigerentur; quin etiam de successore Regni publicatum: quæ res minimè suspensas hominum mentes tenebat.

Ratus igitur Serzan post tot perfunctos labores, & superata pericula, quietius vivere, remque otiosius administrare: quod minimè expectabatur, exortum est. Cœperat jam Regina, secura, ac tantis periculis libera, aures, Sarzani detrahentibus obtrectantibusque præbere, inter quos, delatorum princeps Ducissa quædam Reginæ affinis, præsertim non ita ceteris ad Reginam aditu patente, suggerebat, eam vanum jam & futile Reginæ habere nomen; vires autem potentiamque penes magnum Senescallum esse, quem viderent, milite proprio, Arcibus, pecunia, affinitatibusque pollere; à quo beneficia, honores, insuper criminum impunitates condonentur; tametsi Reginæ nomen subscriptionibus apponatur, scire tamen omnes, illius esse manus; eumque jam in tantam superbiam arrogantiamque devenisse, ut etiam suis gravis esse cœperit. A Proceribus Regni, & Ducibus frequentius ædes illius, quam Reginæ, observari, invidiosè ab omnibus conspici. Hæc præcipuè deferebantur ab his, qui decus & honorem Dominæ sibi cordi esse videri volebant. Quæ omnia, & si vana novisset ab invidis & malevolis objectari, tamen muliebri ingenio, inconstantique animo, & novitatibus gaudente, libenter admittens, animum detractoribus faciebat pejora in dies deferendi. Valuere postremò tantum criminationes, & si falsæ, per Ducissam illam, temporis occasione captata, quod facillimum erat, eadem mensa, cubiculoque utenti, ut Regina optare se diceret hominis audaciam retundi, & potentiæ opinionem infringi: quod quidem tunc satis visum est, à Regina extorsisse. Non diu post eadem femina Reginam adiit, satisque in his, quæ ejus Majestas innuerat de vi minuenda, deprimendoque fastu magni Senescalli, consultatum; & modum, qui periculum ipsi Reginæ, ceterisque machinatoribus non afferret, reperiri, si ipse liber incolumisque non evaderet: proinde illum aut capi, aut occidi oportere, ut se non tantùm voti compotem faciat, sed etiam tutam præstet. Fortè enim resciri rem tot viris agitatam posse, & de ipsa reliquisque consciis malè actum iri. Cui Regina, nullo modo velle, nec assentiri, virum, qui tanta pro salute sua dignitateque tuenda egisset, perpessusque foret, occidi: quod maximè caverent, ne in iram indignationemque suam incidere vellent; darent modò operam, & citra mortem corporisque injuriam patrarent facinus: sic enim noverit, Dominam se habere, & tractabiliorem futurum. Hæc mandasse, post Serzanis mortem publica concione patefactum est. Degener prorsus Reginæ, & improvidum mandatum; nam quem capi permittebat, occidi vetabat. Nemo enim consciorum, nisi illo mortuo, quamvis capto, se victurum sperabat.

Disquirentibus itaque perpetrandi scelus opportunitatem, visum est facinus aggredi præstituto die, quo filius uxorem ducturus erat. Miserat enim Caldora Mariam filiam Trajano magni Senescalli filio matrimoniali thoro jungendam; sed pompam & celebritatem sponsalium Regina suo nomine in Arce Capuana continuis octo diebus indixerat, quorum pars militaribus ludis (quos Clostrales sua quadam derivatione, Hermolaus Barbarus dici existimat) consumebatur; pars saltationibus & choreis, Regalibusque commessationibus, quibus universa Civitas accipiebatur; Interfiti sunt & ludi pegmatibus ducendis, adeo ut nullus præfinitorum dierum recenti aliquo læto jucundoque spectaculo vacaret. Itaque ipsum, huic uni maxima sollicitudine intentum, securum præterea, lætumque tum officiorum omnifariam sibi exhibitorum, præcipueque spe successuræ prolis (nam unicus erat filius Trajanus, qui tunc uxori jungendus erat) his de causis, utpote incautum, nihilque tale suspicantem, commodius aggredi posse rati, quamvis non defuerint, qui illi nuntiarent, vidisse apud se invidos & malevolos ejus, signa & conventicula quædam prætendentia in illum aliquid mali, quibus respondit, nihil facere se invidorum vires atque conventus, salva Reginæ gratia & fide, de qua adeò benemeritus erat, ut pro comperto habeat, neminem sibi esse verendum. Itaque statuisse potius ab ea, si res postulet, decipi, quam deficere. Quin etiam puero ingenuo, qui se dixerat deprehendisse carnes victuique necessaria, plura quàm familiæ debeantur, in domos suspectorum inferri, colaphum inflixit, petereque ludum jussit, nec ætate sua majora perquireret. Ut autem conspirantes commodius scelus peragerent, paucis ante diebus divulgaverunt, Reginam custoditam ac non liberam detineri, quamdiu Arci Præfectus magni Senescalli intimus & amicus esset. Ille autem ubi hoc rescivit, ut suspicionem deleret Præfectum amovit, Reginamque precatus est, ut quem vellet suffici ediceret. Conditione accepta, Ducissa illa incendii fax, ac totius mali princeps, hominem sibi deditum Arci præficiendum curavit, cui injunctum est, aditum præstare die noctuque sine cunctatione liberum viris scelus patraturis, quorum nomina ex composito mihi subticentur, cum propositum sit nemini tanti sceleris notam ingerere, nec cicatrices jam obductas refricare. Sit hoc dixisse satis, plerosque ab eo ad honores evectos, & nonnullos, eo favente, impunitate donatos, olimque perduellionis crimine damnatos exstitisse, qui nocte, qua peractum est scelus, apud ipsum inter affines, gentilesque cœnarint, quique ea veste induti, qua magni Senescalli comites à ceteris dignosci soliti erant, eum vulneribus impetere non dubitaverint. Quorum nepotes, nos ipsi, audivimus ingenuè fateri se paupertate, atque egestate, innumerisque malis nullam aliam ob culpam conflictatos esse, nisi quod à majoribus suis homini Principi, deque illis benemerito, indigna mors illata fuerit.

Biduo itaque, antequam octo nuptiarum

dies

dies præstituti finirentur, cum Magnus Senescallus defatigatus, & gratulantium admissione, & alacritate animi, ut quietus pernoctaret, in domum suam ire pergeret, inter eundum occurrit ei, qui nuntiaret, Trajanum filium quieti se tradidisse, ibique ab omnibus sileri. Quapropter versus ad comites: *Sinamus*, inquit, (*nec simus importuni*) *potius adolescentem, somno & quiete reparare vires*; *quin revertamur in Arcem ad solitum cubile*. Atque ita trahente vi illa, quæcumque fuerit, cœlesti, ad sedem reversus est. Non visum est conjuratis ulterius differre facinus, non aliàs tot occasionibus tam opportunis, & casus adversos timentibus ab eis, qui rem deferrent, & discrimen in eorum capita deflecterent. Octavo igitur Kalendas Septembris intempesta nocte, quæ Divi Ludovici diem festum, & celebrationem præcedit, conspirati, quos Præfectus Arcis tacitè admiserat, arripiunt puerum ministrare solitum Reginæ in abaci expositorii curandi officio (unde magno Senescallo probè notus) eumque secum ire pavidum, ac lacrymabundum cogunt, ut illum accersat, Reginæque ex defluxu capitis animam agenti præstò adesse velit, quem renuentem invitumque trahunt ad cubiculi fores, pugionibusque jugulum intentantes, mortem minantur, ni taceat, ac jussa exequatur. Itaque, quod simulasse jusserant, vero timore expressit, conceptisque verbis magnum Senescallum voce pavida ac tremula excitavit. Ad cujus vocem, *heu domina*, exclamavit, jussitque puerum assurgere, nuntiumque intromittere, ut inter vestiendum res exactiùs nosceretur. Puer dum januam subaperiret, spectans armorum splendorem, & cœtum hominum loco & tempore majorem, exclamavit armatos esse. Ad quem Dominus, *claude, claude*, inquit, gladium, qui ad caput dependebat, arripiens. Interim semiapertam januam impulsu præcludi non sinunt, illumque circumdant strato exilientem, quem undique impetentes multis confodiunt vulneribus; atque ita nihil se indignum nec questus, nec precatus, occubuit. Interfectores etiam mortuo repetitis vulneribus insultasse fama fuit.

Relicto cadavere illico nuntios ad filium, germanum, amicos cunctos, denique aliqua necessitudine ei conjunctos miserunt, ad eum, quem jam exanimem reliquerant, evocatos, quos omnes, ubi advenerunt, in carcerem detrusere. Jacuit eodem cubiculo cadaver in serum sequentis diei, quod Fratres Eremitani templum Divi Joannis ad Carbonariam incolentes, in quos Serzan multa beneficia contulerat, multis accensis funalibus extulere, inque nobili illo Sacello, quod sibi vivens construxerat conditus est. Hic tanti viri, deque Patria optimè meriti, vitæ finis fuit. Non omittendum tamen puto, quominus ostendam, quænam fuerit in tali facinore Reginæ mens. Mane enim, ne quid turbatum oriretur ex tanti viri cæde, quamvis omnes illius propinquos, aut aliqua amicitiæ, vel beneficii necessitudine conjunctos eadem nocte falso magni Senescalli nomine accersitos vinctos detinerent, propter popularem tamen erga illum benevolentiam, ob regimen, quo in omnes justissimè utebatur, ne memoria tanti viri amissi aliquid tumultus concitaret, concionem habere placuit. Cumque Regina præsidente unus ex consciis verba faceret, nihilque haberet, quo nomen tam præcellentis viri, tam integrum clarumque obumbrari posset, vim

A suæ orationis in illius potentiam, superbiam, arrogantiamque falso exacuit; eumque ad id jam devenisse dicebat, ut non modò populum, & Equites, sed etiam proceres, ipsamque Reginam despicabiles haberet. Quare veritam Reginam, ne hominis potentia ac superbia in sui discrimen ulterius progrederetur, jussisse illum occidi: quod verbum cùm Regina audisset, subtraxisse vultum dicitur, ac dicentem torvè respiciens: *Mentiris*, inquit. *Capi enim, non interfici jusseram*. Ad quam conversus ille: *Verum inquis Domina*; *sed dum caperetur, ac per vim elabi contenderet, occisus est*. Erat Serzan, cùm talia perpessus est, intra sexagesimum ætatis annum; statura fuit emi-
B nenti, membris inter se bene cohærentibus; gradiebatur erecta cervice, ore, obtutu, sermonisque gravitate, Majestatem Regiam præseferens. Veste utebatur quotidie, aut olosericа, aut auro distincta, eleganti plerumque novitate suæ tum gravitati, tum fortunæ accommoda. Arma, & equi, reliquusque ad res bellicas apparatus, quo potissimum delectabatur, in admirationem conspiciebatur. Aulæis, argento, & reliquo suppellectilis ornatu, & si pretioso uteretur, morosè tamen nitido, atque disposito gaudebat. Continentiam ejus vitâ functi laudare superfluum ducimus, cùm ætate omni, ac postremò sexagenarius vixerit, omnium judicio, omnis gene-
C ris libidinis expers, & qui castitatem conjugis piè sanctèque ad mortem usque servaverit. Sed invidia, quæ summa petit fastigia, talem virum perdidit, & Regni iniquum fatum. Quod Laurentii Vallæ insignis doctrinæ viri spectabili illius mausolæo carmine insculpto elegantissimo, prout legentibus liquere potest omnibus, verius ac significantius ostenditur. Non tamen ab re fuerit insignia quædam moderationis ejus, & prudentiæ documenta subnectere.

Ludovicus enim Andegavensium Dux, quod superiùs inseruimus, cùm adoptari a Regina, ut succederet Regno, maximè cuperet, idque quonam modo posset assequi meditaretur, spe-
D rans rem faciliùs perfici posse, fideliùsque servari, si magno Senescallo affinitate jungeretur: per utriusque fidissimos, illius filiam sibi matrimonio jungi postulavit, quasi pro comperto habens, illum libentissimè assensurum. Quibus ille ait, ingentes gratias se Ludovico habere, illique suo agi nomine summopere precari; attamen sui se memorem esse, neque se Rege natum, neque Regis filiam genuisse; ideoque tanto Principi officio & obsequio se abduci malle, quam affinitate jungi. Ea in re suam pro viribus opem præstiturum, per quam apud illum perpetuam gratiam speraret. Desineret ergo de affinitate agere cum eo, quem sibi devotum & obsequentem experimento bre-
E vi perspecturus sit. Item cum Regina eum titulo Principatus Capuæ insignivisset, diplomataque, ac privilegia illi confecisset, quibus ei, & Civitatis dominium, & Arcis tradidisset, ille autem nollet se Capuæ Principem appellari, à propinquis & necessariis increpatus est, incusantibus, quod nuncupationem tam præclaræ dignitatis aspernaretur. Quare illum non desiere orare & obsecrare, ut Principem se Capuæ appellari pateretur, cum jure deberet, & posset, nec se familiamque suam tam eximii Principatus honore fraudaret. Ad quos subridens primò, deinde fronte obducta: *Falsa*, inquit, *vos ambitio ne fallat, meque vobiscum perdat, tutius est prævidere. Probe enim nostis Ca-*

puæ

pua opportunitatem, quantique eam semper fecerint Reges, vulgoque Regni clavem dici. Me verò Regem fore & si nonnulli polliceantur, modestia tamen & natura dehortantur, & ne optem, suadent. Ego si Capuæ dominari pergam, ingentem me conflaturum apud venturum Regem invidiam certò scio. Sin autem illam tradere voluero, quod futurum judico, ademto Principis titulo; hoc sine meo exauctoramento & ignominia non fieret. Ergo integrum mihi servavi sine nominis diminutione apud futurum Regem illam deponere: quare, & reliquis nostris officiis gratiam Principis conciliare, & Regno quietem confirmare, honesta conjectura providendum mihi esse existimavi.

Hæc denique habui, amatissime Princeps, quæ ad te de Serzanis magni Senescalli hujus Regni Proavi tui Illustrissimi vita, majori fide, quam eloquentia perscriberem. Unde meus in te amor facile perspici potest, cum ad scribendum me etiam verentem impulerit, ne tanti viri gloriam exili a me stylo editam deprimerem, quod profectò pauci etiam disertissimi pari facundia consequi potuissent. Malui itaque tanti Proavi oblivioni occurrere, & aliqua ex parte illius exemplis te juvare, quamvis per te satis studiosus ornatusque habearis. Consultius itaque talia haberi de eo, quam nulla, visum est; & tibi vel ob hoc gratum fecisse cum noveris, quemadmodum fortunis & Principatu te ut verum heredem, ita etiam moribus & vitæ, ad quæ præcipuè tenebaris, ultro satisfecisse. Lege ergo, & rem familiæ insignem, tibi præcipuè fortasse utilem, evolvito. Invenies equidem in Proavo tuo perpetuum quoddam cum fortuna luctamen, eamque una cum invidis atque æmulis sæpius virtute superasse. Quod autem visus sit morte indecenti moribus & peractæ vitæ occubuisse, minus mirum est, quando & hujusmodi plerumque exitu viri in omni ævo excellentes vitam clauserint; quippe qui diligentiùs decorem, quam vitam custodire decrevissent, maluerintque quos in se conspirasse cognoverant, sustinere, quam aut falso delatos, aut pœnitentia ductos, Tyrannorum more parricidiis prævenire. Cum præterea quicumque nimium studium in vita propaganda ponere soliti sunt, minimè magnum aliquid meditari, aut perficere possint. Hujus autem Principis integritatis fideique documentum maximum haberi potuerit, quod cum tot in necem direptionemque illius convenerint, nemo tamen ausus sit, aut majestatis, aut criminis alicujus falsò, vel fictò arcessere, quo illum merito cæsum, & se jure ejus fortunas occupasse testaretur. Tantum claritas sinceritasque viri valuit, ut cujus corpus livor perfodere potuit, partam tamen gloriam & decus attingere minimè valuerit. Cernis enim sublimitatem, ad quam Virtus Proavum tuum extulerit; velim tamen, per quos laborum discriminumque gradus ascenderit, simul memineris. Quippe nullum laboris aut discriminis genus invenies, quod non ille pro fide decoreque servando pertulerit, perpetuo laboraverit, exulaverit, insuper captus, detentusque fuerit, denique & mortem immeritam obierit. Hæc tibi scribens nota esse volui, ut ejus nomen, & rem tanto diligentius, & majori cura serves, & augeas, quanto pretiosiori mercede comparata fuisse tu nescis. Erit non minus & officii, & gratitudinis non tantùm nomen, & gloriam tueri, verùm & monumenta, constructionesque, & ædificia tam sacris locis dicata, quam etiam humanis usibus constructa, curare ne collabantur, & desint; sed juxta humanas vires & providentiam quàm diutissimè perennent, postquam sempiternum aliquid mortalibus negatum est.

JOANNIS

JOANNIS BAPTISTÆ SPINELLI CARIATI COMITIS VITA,

AUCTORE TRISTANO CARACCIOLO.

A MErito profectò Justitiæ moralium tractatores primum tribuere locum, non modo ei, quam legitimam vocant, reliquas omnes in se continenti, sed uni illi ex quatuor maximè, quam Æquitatem plerique nuncupant; est enim pacis concordiarumque effectrix, & conservatrix, scelerumque expultrix; per eam namque quisque suum tutò possidet, amissumque recuperare sperat. Illa etenim est, quæ noctis tenebras disterminat, lucisque instar viantes securos illæsosque ducit, & inter maximos, summos, & imos; potentes, & imbecilles; Regem, & B populum, æqualitatis modum invenit. Veneranda prorsus virtus, & numinis vice colenda, quæ quotidie humano generi tot beneficia præstare dignoscitur, maxime quod si fortè secus evenerit, inculpata nihilominus in sua majestate residebit. Ex hoc tam lucidissimo, beneficoque fonte non modò multi rivi, sed etiam perpetui amnes ad nos instruendos emanant. Gratitudinis non minus censeri debent, quæ Beneficentiæ, Justitiæ asseclæ, respondent; ea namque est, quæ promerentibus gratias habere, & agere, jubet; quippe quæ reddere non valemus, memoria jugi accepta beneficia repensamus. Quare opportunum est, si quando facultas aderit, nos gratos facto C ostendere; sin autem memoria servare: sic enim promtiores ad elargiendum munificos speramus, quando non incassum sua se effusuros vident, quidquid gratias agentium causâ agere noscuntur. Invitant enim divites ad donandum (quod maximè indigentium interest) cum exemplo sint, non defuturos, qui acceptorum recordentur, paratique sint ad redhibitionem qualemcumque. Non autem talione beneficia rependere oportet, sed etiam qui illorum meminerit, grati nomen non amittet. Indicat enim, cum opportunitas apparuerit, quod animo gerebat, re ostendere. Non abs D re ergo tantopere laudata est hæc Justitiæ pars. Igitur postquam honestissimum, & mortalium generi, ut ita dixerim, necessarium ostenderim, nos gratos, ut supra memoravi, acceptorum, & jugi illorum in ruminatione, atque commemoratione esse cognoscimus: semper diem opperior, quo, ut debeo, & maximè opto, factis recompensem. Sed postquam illum tamdiu expectatum non apparuisse comperierim, ne tantum animo gratus videar, conabor, qui sim foris ostendere. Tentabo igitur (quod erit auro argentoque, quibus minimè indiges, carius tibi forsan, & acceptius) me redimere. Cum ergo sit hujus Virtutis, debita studiosè Juvenibus, & munerum conditiones explentibus, impendere, multò magis iis præstandum dignoscimus, quibus peculiaris sanguinis necessitudo, & affinitas nos copulavit, nec omnium, quorum notiores sunt virtutes, & mores laudabiliores; sed etiam ex iis habere delectum oportet; ne temerè gratiam effudisse, aut perperam collocasse æstimemur, nec minus iis rebus grati simus, quam maximè accepturos deceant, & exhibituros. Itaque tibi Ferdinando Spinello, nepoti carissimo, patris tui natales, mores, & acta describere operæ pretium sum ratus; faciet, enim hoc qualitercumque editum ad nominis ejus claritatem, tuique profectum, cum te noveris tam proximo, & hereditario exemplari districtum ad imitandum: quod si non feceris, & ingrati omnino mali nomen assequeris, (quod absuturum speramus) quinimò repræsentaturum paternos mores, natalis & educatio pollicentur.

Nostra hac Civitate Spinellorum gens nobilis semper habita est, interque primores regionis suæ, publicis in rebus curandis, fere ex hac Familia vetustissima præfuerunt, & intersunt. Antiqua ex nobilitatis serie Trojanus genus duxit, miles siquidem auratus, & oppidorum dominus, meruit sub Alphonso Aragonum Rege I. mox sub Ferdinando Alphonsi filio, cujus Regni laboriosior aditus fuit militare. Hoc in bello non modò voluntarii, sed factiosi, partes secutus, nil fuit, quod pro illarum victoria non libenter ausus fuerit, & pertulerit. Postquam domum composuit, facultatesque paravit, quibus se Familiamque alere posset ingenuè, poscentibus annis uxorem duxit Mariam Caracciolam, nobili genere, & honestate præcipuam, ex qua liberos plures mares, & feminas tulit. Statu in hoc decessit; curamque domus, & in-

infantilis familiæ uxor accepit; cumque perspexiſſet ſagax matrona liberorum numerum patrimonio eſſe pergravem, ſtatuit, illos tempeſtivè ad mores, opeſque parandas dividere. Itaque alios ad Aulam Principumque obſequium admovit; alios militiæ Rhodienſi adſcripſit; nonnullos domus curæ ſervavit. Similiter, & feminas, nonnullas perpetuæ virginitatis voto, probatis in Religionibus initiari curavit, alias laudabili matrimonio adjunxit.

Hunc autem, de quo dicturi ſumus, Joannem Baptiſtam patrem tuum, tertio ex maribus loco natum, indolem ejus egregiam cum prævidiſſet, & rem quantamvis arduam ad peragendam aptum, decrevit legibus, civilique Juri mancipare. Cumque adeptis Grammaticæ documentis, ludum Juris ingreſſus fuiſſet, adeo illi incubuit, ut multos, qui ante ſtuduerant, ingenio & aſſiduitate præcederet; qui ea fuit, ut per ſe, ut mos erat, Profeſſoris dicta præſcriberet tanta diligentia, ut ne ſyllaba quidem excideret. Nihilominus inter tot difficultates Officium Domini edidicit, adeoque perſolvit, ut deinceps inter tot curas lætas adverſaſque, dies non exciderit, quin memoriter id celebraverit. Inter contubernales ejuſdem profeſſionis ea humanitate, morumque facilitate vivebat, ut multos advenas ad ſui conſortium evocarit, repetens illis, ſi quæ fortè ex lectione non intellexiſſent; eoſque à laſcivis improbiſque moribus, non minus oratione, quàm exemplo, amovebat. Ipſe adoleſcentulus cum eſſet, penitus uni ſtudio ſe addixit, nihil, quod illud interrumpere poſſet, nec animo, nec opere, meditabatur. Hac igitur aſſiduitate, & morum continentia effecit, ut ante ſperatum tempus doctorari dignus haberetur. Quare Patres, quibus hoc munus incumbit, reſpectu magis ſcientiæ, & ingenii acumine, quam ætatis, Doctoratus illi tribuere inſignia, approbantibus cunctis, qui ex Collegio erant, aſſerentibuſque, neminem ex Gymnaſio Bononienſi, aut quovis alio loco, tantam Juris ſcientiam attuliſſe, quantam hic Neapoli ſibi in Patria comparaſſet. Illico acceptis inſignibus, & famâ pervulgatâ, patronum, & Advocatum ſe litigantium præbere, clientumque multitudo memor celebrati ſtudentis nominis, ad eum venire ſtuduit, ſuamque operam poſcere. Qui nullius rejecto patrocinio (modò cauſam juſtam afferrent, illos ea fide ac diligentia defendit, ut raro, aut numquam ſententiam ſuis adverſam partibus retulerit. Quin, & ſi fortè litem aliquam in Fiſcum protegendam deferrent, ea conſtantia, & moderatione tutabatur, ut nec Fiſci tutores gravari poſſent importunitate, aut inſolentia, nec clientes, quin diligenter viriliterque ſuam rem defenderit. In dies magis magiſque ad eum turba confluebat, tum cognita hominis peritia, & ſedulitate, tum propter ſalarii modeſtiam; quibus rebus evenit, ut multi, non tamen litigantes, illum annua mercede ad fortuitas lites ſibi paraverint. Erat enim ei ingenii facilitas, eloquiique affabilitas, ut non modò iis, quos defendebat, ſed etiam quibus adverſabatur gratus eſſet, etenim omni convicio in diſputando abſtinebat. Sumebat autem inopum cauſas gratis, agebatque non minori ſtudio, quam divitum, imò attentiùs, cum mera caritate facere, & talibus ſuâ operâ jus dici ſummopere lætaretur. Functus eſt Patroni munere aliquot annis, quibus rem ſuam augere cœpit; ſed nomen magis augebatur. Suas fortunas, & inſignia fore majora ſperans, patrimonii ſortem, germanis donavit, & ne forte exheredatus videretur, domus, quæ communis erat, portiunculam retinuit, quam deinde omnem ſibi vendicavit. Hoc in ſtatu ne propter ætatem fortè laſciviret, & cura domus à ſtudio & protectione indigentium evocaretur, tempeſtivum viſum eſt, uxorem, quæ rem domeſticam curaret, & ſe liberiorem ad negotia præſtaret, jam ducere. Duxit enim Liviam Caracciolam nobili genere, honeſtiſque parentibus natam, formam abſque honeſtatis præjudicio præferentem.

Rex ergo cum cognoviſſet, hunc tam abſtinenter, fideliterque advocationes peregiſſe, ſummamque diligentiam, Juriſque peritiam in homine intellexiſſet, ſimul memor perternorum obſequiorum, quæ ſectari filium videbat: ſategit, illum in Patres ſupremi Conſilii, quamvis juvenem admodum, moribus tamen & ſcientia provectum, cooptare: quod profectò feciſſe, experta induſtria & ſeveritate, numquam pœnituit. Fuit inter collegas, & ſi junior, non tamen auctoritate & gratia minor, quas ſumma illorum benevolentia augebat. Quippe ſi quid cum Rege tranſigendum foret, unus erat, qui pro multis intercederet; & aut numquam, aut raro, quæ poſtulaſſet, ei negabantur: ea vero modeſtia poſcebat, ut magis collegas negatæ rei lætitia afficeret, quam mœſtitia contriſtaretur. Lætabantur plurimum plerique litigantium, qui ſuas cauſas illi delegatas cognoſcerent; pro comperto enim habebant, nulla vi, non precibus, nec etiam præmio à rectitudine diverſurum. Inſuper videbant, qua vigilantia, ſtudioque curaret, ne lites diutius protraherentur, adeò ſibi commiſſis omni niſu incumbebat, ut brevi expedirentur, parcere intendens labori & impenſis diſceptantium. Sæpe prævidens prolixitatem rei, dubiamque cauſam non tam citò finiendam, modò hunc, modò illum adverſariorum dubiò eventu deterrebat, modo inconſtanti ſpecula animabat, eorumque arbiter ac mediator conventionis exiſtebat, quæ citra ambitum & corruptionem agitare animadvertebatur.

Cum ergo viri ſatis perſpecta doctrina, & integritas eſſet Principi, illumque aliquandiu ſumma cum laude ſua perſunctum eſſe munera, diſpexiſſet, naturamque & mores majoribus apta rebus, ſtatuit magis arduis negotiis occupare. Intelligebat enim, multos ſua ſub ditione, qui Conſiliarii boni futuri eſſent, raros autem, qui legationes, & Principum diſceptationes fideliter ſcitèque tractare poſſent. Itaque cum inter ſe, Cæſaremque incidiſſent, quæ diſceptanda & decidenda forent, & propter magnitudinem perſonarum, diſtantiamque locorum coire non poſſent, eſſetque intermedio opus, hunc elegit, quem ad Cæſarem deſtinavit, fretus fide, induſtria, ſagacitateque hominis. Quod cum ad peragendum ſe accingeret, nonnullos à Collegio vetuſtiores, diſceſſum ſuum audivimus mœſtiſſimè conquerentes; hunc patronum Senatu (ſit quantavis cauſa) tunc adimere, maxime autem adverſus Conſilii Præfectum, cui, cum aliquid privato loco licentioſiùs, citra reliquorum judicium, deliberare vellet, hic ille erat, qui occurrere, & vota communia afferre auderet, ejuſque voluntati refragari. Admiſit igitur eum Cæſar gratè, & benignè. Scripſerat enim nuper ad eum Rex, mittere ad ſe hominem ſecreti con-

tinen-

tinentem, & relationis fidissimum; velletque ei credere & fidere: quod profectò experientiam nactus fecit; Etenim apud illum rem injunctam scitè solerterque tractavit. Quid autem id fuerit nondum promulgatum. Audio hoc tantum, quod utrisque Principibus fideliter inservivent animosque illorum concordes effecerit. Dum illic esset, nascitur domi filia; reliquerat enim gravidam uxorem, quæ Isabella appellata est, de cujus honorabili matrimonio suo loco dicetur.

Perfectis, quæ apud Cæsarem agenda fuerant, in Pannoniam perrexit, salutaturus Reginam, Ferdinandi Regis patris nomine, illiusque statum pervestigaturus, simulque suspiciones, quæ inter Pannoniæ Regem, Cæsaremque oriri videbantur, priusquam inolescerent, in discordiamque progrederentur, extingueret: quæ omnia bono consilio, simulque eventu successere. Dum in Germaniæ partibus adhuc esset, evenit, ut Ferdinandus Rex suum obiret diem, revocatusque ab Alphonso illius successore, Neapolim rediit, fuitque inter ipsius Consiliarios aliquandiu. Cum verò fama, quæ Ferdinandi tempore pervenerat, jam crebresceret, & quasi pro compertò haberetur, Gallorum Principem ad perdendum eum se accingere, confœderatis sibi Italorum plurimis; nec dum nosceretur; quidnam Veneti acturi essent; audierat enim ipse Alphonsus responsa Regum, & Potentatuum super hoc bello ambigua, pæneque infida. Visum est ergo ad Venetos, nondum tentatos, Oratorem mittere, an posset eos sibi adjungere ad inhibendum Gallorum transitum; & quem consultiorem, quam Joannem Baptistam Spinellum mitteret, non invenit. Qui habito pro temporis reique angustiis commeatu, Venetias pervenit, ibique à Senatu honorificè admissus; audierat enim hujusmodi viri probatum nomen. Ubi causam Principis sui mittendi eum exposuisset, rationes insuper addidit, quibus ostenderet, quam non modò honestum, verùm etiam necessarium ipsis Venetis, ac Regi suo fœdus adversùs Gallos inire. Quippe junctis viribus facilè defuturum animum Gallo Italiam invadendi; & si fortè ausu superbo, ne dicam temerario, tentare præsumsisset, rem ei male, infaustèque cessuram. Sin verò disparatos novisset Italos, res privatas curare, animos sumere; cum pro comperto haberet, disjunctim singulos prosterni facillimè posse; Nec eos fallat, quod tantùm adversùs Neapolitanorum Regem ire se dictitant, velut ad Regnum jure sibi debitum; facile futurum, Regem suis tantùm viribus obnitentem profligare, Regnoque exigere; non tamen hujusmodi victoria se contentum fore, quin & reliquam Italiam spe conciperet. Existimare deberent, Gallorum vim & propinquitatem perquam perniciosam ipsis reliquisque etiam, qui Gallo favissent, futuram. Nec præsumant, gesturos simile cum Gallis bellum, quod hactenus cum Italis, quo prolatando se subinde auxerint; sed expendant, quanta sit Gallorum vis, & opportunitas nocendi, ni copulato milite, qui satis superque esset, obviaretur. Iis & pluribus aliis rationibus ad fœdus perducere non destitit. Tandem cum mensem hoc in negotio trivisset, nihil certi ei responsum est, sed per ambages trahebatur. Itaque ad Regem revertens, pro auxilio consilium retulit. Suadebant enim Veneti proprias experiri vires, quas quando non suffecisse prospicerent, tunc se

A indemnitati Regis, & reliquæ Italiæ provisuros.

Interea Gallorum adventus certiùs afferebatur, Regemque cogebat quamlibet viam, qua se tantas adversùs vires, quam etiam affines sui augebant, tutaretur, periclitari. Visum est iterum ad Venetos tentatum mittere, an prospectis Gallorum jam ingruentibus copiis, veriti, præsenti opportunitate omissa, & ulterius profligatis rebus, reliqui non satis essent ad obsistendum hosti, consilium mutassent, & ita ad fœdus pervenirent. Ex omni igitur Aula hunc, cui hoc munus injungeret, elegit, experientia benè actæ apud eosdem pridem Legationis motus. Quo cum pervenisset, reperit eorum Senatum pæne diffidentem, partem nutu magis quam suffragiis jungere se fœdere Regi, ad distringendum, aut arcendum Gallorum conatum optantem, partem autem maximam & præpotentem, meditantem solita astutia, & neutri se applicare volentem, nihil interim præcisè quod referret suo Principi, Oratori dabant; quos ne penitùs averteret, credere, & spem bonam de ipsis concipere simulabat. Idem ut faceret, Regi suo subinde scribebat, quoniam maximè statui suo conduceret, & facilè diu nutantes hactenus Venetorum animos ad se versurum speraret: tali arte, quemadmodum ad suum votum allicere nequibat, ita ne ad Gallos declinarent, non sinebat, avertere. Aderant eorum Regis Oratores, idem opportunè expostulantes, magnisque pollicitationibus invitantes, illos ad se trahere non desistebant.

Interea Gallorum Princeps ingenti numeroque & robore exercitu Regnum petebat, quotidie se augens Italorum, & deficientium ab Alphonso auxiliis. Nec pauci erant, quos metus id sequi cogeret, jamque etiam Florentini illi se addiderant, & cum Ferdinandus, quem pater in Flaminiam ad obviandum hosti præmiserat, cum antesignanis Gallorum infaustè pugnam tentasset, hoc cognito Alphonsus eum revocare statuit; prospiciensque exitium sibi imminere, decrevit Regnum, quod suum erat, Ferdinando filio relinquere; ipse in Hispaniam privatam vitam acturus abire. Quo peracto, Ferdinandus hujusmodi adepto Regno, hosti, cui par non erat obsistere, cedere necesse habuit, tentatisque nequicquam conditionibus, Neapolim reliquit, quam mox victor ingressus, atque potitus est. Scio autem, hos ad nostrum Regnum eventus nunc adversos, nunc secundos, ad Historiam pertinere, quare ad illos, qui diffusius, suoque ordine scripsere, nosse cupientes remitto. Mihi hæc inserere visum est, ut fide perseverantiaque hominis clarius nihil esse ostenderemus. Quod cum probè calleret, partes profligatas, Regem fugatum, Patriam, domum, juvenemque uxorem, infantes liberos in hostium devenisse manus, & ipse Venetiis exul potiùs, quam Orator videri posset; non deseruit tamen præstitam fidem constantissimè servare, & Legatum Regium in tam modica re præseferre, partesque pro fortunæ iniquitate fulcire. Qua in re, seu sagaci prudentia, seu nimio partium affectu, ea promtitudine animi rem exacti Regis curavit, ac si pro certo haberet, mox Regnum ad Aragonios rediturum. Erat Venetiis Gallorum Orator, cui bene nota erat hujus nostri prudentia, & virtus, quando uterque suo Regi Venetos addere procurasset. Hic non semel ad Regem Gallorum, ejusque Consilium scripse-

rat, esse Venetiis Joannem Baptistam Spinellum, virum industrium, sagacemque, qui optima sinceraque fide rem sui Principis ageret; proinde maximè Regis interesse, hominem talem ad se, suasque partes, quavis arte traducere. Quod profectò facere non destiterunt, sperantes, fortunæ favore id facilè futurum. Quare modò per privatos, modò per Cardinalem tunc Consilii Præsidem, admonere, exhortari amicos, affines, aliaque necessitudine conjunctos, vellent. Cum effectu scribere illi, quæ utilitas sibi foret, deperditis Aragonensibus, ad Gallorum Regis obsequium se conferre, quod honestè fieri posset, pollicentem sibi non modò indulgentiam, & præteritorum oblivionem, sed honores, divitiasque, ac locum inter suos honestum. Hæc omnia summa fide à suis illi perlata sunt, quibus non illico responsum dabat, dissimulans eorum Nuntios; interdum verò adeò cautè, ambigueque respondebat, ut speculam illis daret, minimè, tamen conjectare possent, se à devotione suorum Principum declinare. Verebatur enim, ne suos, qui malè à Gallis habebantur, protervo Nuncio exasperaret, magis tamen, ne fidem labefactare videretur. Itaque inter utrumque pensitatis verbis se librabat. Evenit tandem, quod ipse prædixerat, ut etiam iis, qui adventus Gallorum causa & fautores fuerant, adepto Regno, terrori & formidini devenisset. Quare ad exigendum Italia Gallorum Regem, Potentatus Mediolanensis, & Venetus fœdere juncti, copias suas eodem loco coëgerunt. Quæ cum Carolo Regi rescirentur, approperat in Galliam reverti, veritus ne sibi reditus intercluderetur, in dies augentibus, in unumque se cogentibus fœderatorum copiis. Relicto Neapoli præsidio, exercitus magnam partem secum duxit, citato gradu Italia evadere festinans. Occurrere ei hostes, ut dissiparent; cumque iis apud Tarum fluvium certatum, utrinque acriter dubioque Marte, & ex utroque exercitu multis desideratis, discessum est. Constat enim, eo in prœlio Regem Gallorum etiam alacris militis navasse operam, & sic suum peregisse iter. Rumor erat, illa in pugna Venetorum militem viriliter pugnasse; & si complices idem fecissent, forte Gallus minimè evasisset. Credo enim hoc legentem, quemadmodum gestum sit, nosse cupere, quem, ut superiùs scripsi, moneo Historiam petere. Ego autem meum servabo tenorem, viri hujus acta describere, quo ad etiam facere possim; reliqua tantum leviter, & ubi necessarium duxerim, attingere.

Ferdinandus cum Siciliæ exularet, hunc Legatum suo nomine Venetiis esse voluerat. Cum verò post discessum Gallici exercitus Neapolim repeteret classe numero navium præstanti, militum autem, & propugnatorum manu, à Neapolitanis benignè quidem receptus est, desiderio ipsius, sed magis odio Gallorum, nec minus desidia, inertiaque præsidii. Trahit me extra propositum facti necessitas, posse hoc in reditu Ferdinandi dicere, quam minimè & numeri, & conditionis homines fuerint, qui facinus captarint, quantumve in operando reliqua multitudo perpessa sit, quamve multi nobilioris notæ, qui voluerint rem sibi adscribi, præmiaque donari, facti periculique penitus extorres, Hæc pauca, veritus fœdum scribentium adulationis vitium, sæpe vel mendaciis potentioribus placere studentium, & mentiri minimè timentium. Receptus igitur Neapoli Ferdinandus Arces, quæ in Gallorum erant tutela magno præsidio munitæ, obsidebat, ex quibus quæ Nova appellatur, quotidie & mari per lembos & myoparones infestabat Urbem; & terra per equites, qui in arcem se receperant, itinera & commeatus obcludebat. Has Regis & Civitatis angustias prænoscens Orator Venetiis, exorare, exhortarique dominationem illam, vellet prope effœtis Ferdinandi rebus suppetias ferre; & ne fineret, quod tanto sumtu laboreque ad exigendum Italia Gallorum Regem impenderint, nunc recuperata Neapoli, incassum recidisse. Sic sua persuasione rationibus munita, exegit, ut classem triginta triremium mitterent, proque sumtu apparatus classis, ejusque quotidiano impendio quædam oppida Apuliæ Adriatico imminentia illis pignori dederentur, pacto, ut post pacatum Regnum, computatis, quæ erogaverant, & per Regem redditis, tenerentur & ipsi similiter pignora restituere.

Dum hæc geruntur, præsidium noscens, Napolim defecisse, Arcemque Novam à Ferdinando obsideri, relictis, quæ instabant, Urbem recuperare, aut Arcem obsidione liberare contendunt, adjunctis plerisque Proceribus suarum partium studiosis, qui non ad prœlium, sed magis ad direptionem, prædamque Neapolitanorum invitabant: quod volenti accepere animo, secutique sunt. Adventantibus illis, Ferdinandi copiarum pars non infima apud Hebulum, ut transitus inhiberetur, occurrit, ubi male ab Aragoniis pugnatum. Profligati omnes, captique sunt quam plurimi, reliqui divisi fugam petivere; integrum hostibus suum conficiendi iter remansit. Quod cum Venetias fama pertulisset priùs, mox notitia ad Oratorem pervenisset, quanto in discrimine Regia res esset, ut una, & Urbem tutaretur, & Arcis obsidium non laxaretur, quo, ut par erat, & re ostensum est, hostes statim perventuros esse: gliscentibus partium malis, cura laborque ipsi non minimùm accrevere. Oportuit, novis & magnis exposcentibus rationibus, Venetos quasi cogere iterum Regi, Neapolique prope obsesso, subsidium delegare. Decrevere igitur illius opportuna sedulitate Mantuanorum Principum eorum ducem, equestri pedestrique manu ad Regem mittere. Quo cum venissent, offenderunt hostem, Neapoli nequidquam tentata recessisse, Arcemque ut repererat, obsessam reliquisse. Hæc inter non satis illi fuit labore, & periculo, Regi suo opitulari; verùm & facultatum quod inerat exhibere; aureorum enim duo millia, quæ sibi ad augendam, vel sublevandam fortunam servaverat, promtè, ut se juvaret, Regi ipsi danda curavit: quà postea gratitudine, Rex illum duobus oppidis Calabriæ donari voluit. Ferdinandi res, & hujusmodi, & aliis auxiliis plerisque in dies prævalebant. Verùm cum in persequendis hostibus, illosque obsidendo in valetudinem malam incidisset, nolletque ab eorum insectatione desistere, quoad deditos emitteret, minimè eam curare duxit: quapropter insuperabilis facta est, delatusque Neapolim semivivus, biduo ibi mortem obiit, magno Civium, & alumnorum mœrore, sui autem summa expectatione.

Ut ergo decreverat, Orator Venetiis ad Regem redire, cum Neapolim venisset, Federicum Ferdinando fratris filio successisse reperit,

rit, à quo benignissimè susceptus, & ob tot labores, quos in suæ familiæ obsequiis prosectibusque impenderat, summopere laudatus, quodve tam diuturnam, velut exilium à Patria, consanguineorum absentiam tolerasset, ac satis, & tempore, & rebus, tres annos (tot enim Legatus Venetiis exstiterat) gratissimè commemorans, optare se ait, illum deinceps Aulæ laterique suo inhærere, ut diligentiam, caritatemque Aragonum, quam per ipsum foris exhibitam novisset, etiam domi experiretur. Speraverat enim, ad quietem laborumque præmia pervenisse, pacato jam Regno, & Federico post mortem Ferdinandi, citra dissidium, aut tumultus in Regem assumto: quod secus contigit. Decreverat enim vis illa, quæcumque sit, variis, & dolosis artibus Regnum labefactare, Regemque exigere, cujus rei anxium, suspectumque, amicorum, quibus fidebat, ambiguitas responsionum, quin etiam Pontificis versutia, qui nuper eum coronaverat, reddiderat, adeò, ut omne Regni tempus sollicitus, incertusque exegerit; nec pro animi sententia administrare potuerit. Haud defuit Joannes Baptista, sic perplexo Regi, ac statui ambiguo pro viribus opitulari; quotidie enim provisiones, ut res dubiæ postulabant, in Consilio suggerebat tales, quæ nec omnino suspectos, nec adeò fidentes propalarent, ut libenter dolo machinantium se submitterent. Hac itaque arte, donec unione illa in Regem coacta, prorumperent, & palam hostes se ostenderent, qui hactenus tam submissim, & sine arbitris facinus meditati fuerant, se libravit.

Jam copiæ validissimorum Regum Regnum, terra, marique, undique cinxerant, Regemque coartaverant, ac velut in arcem in Campaniam adegerant, eòque ad expugnandum properabant. Cumque vires Federici hostibus longè inferiores essent, nec subsidium, quod sperare poterat ex parte, inerat: in consultatione erant, qui ultima experiri consulerent, quorum præcipua erat sententia. Sed quoniam decernere acie, militum paucitas inhibebat, decretum est Civitates ad obsidium communire. Hoc in apparatu videre erat solertiam, curamque hujusmodi hominis, Spinelli scilicet, modò in mœnibus sarciendis, modò agrestibus, ut se suaque Urbi ingererent cogendis; nunc rei frumentariæ, & victui instare, nec jumentorum pabula negligere, locosque idoneos ad horrea, & fenilia, etiam deligere. Insuper tum publicè, tum privatim hortari ad molas, pistrinaque molienda, ut si fortè exterius frumenta moliri nequirent, esset intus conficiendi facultas. Hæc cum quidam amicorum prospicerent, tam accuratè, solerterque parare, jocando ad eum, *Actum agis*, inquiunt, *ut quibus campum concessimus, eorum ferre obsidionem valeamus, Civibus interea omni spe, auxilioque destitutis*. Ad quos ille, id se agere bene memorem fortunæ casusque volubilitatis, quæ omni in re, præcipuè in bello, ostenditur. *Quoties enim effœtas res vidimus, subitaneo, & inexpectato eventu, aut morte alicujus, aut ob quid simile, vires resumsisse, optatumque ad finem devenisse*.

Capuâ igitur expugnatâ, hostiliterque direptâ, atque omni ex parte pessimè habitâ, decrevit Rex, conditionibus nequidquam tentatis, Neapolim, Arcesque hosti tradere, se interim Ænariam recipere, sumturus ibi de reliquo consilium. Multa eum Nobilitas secuta,

A spectataque inter comites Joannis Baptistæ Spinelli fides, & Principis affectio, relinquentis uxorem, liberos, denique cuncta in manibus hostium, & eorum hostium, quorum primam infensam immanitatem, sævam, & diram hospitalitatem cognoverat, quamque inhumanè familiam suam tractaverant. Quid autem expectandum esset, cum hostes iratos ad ultionem accessisse hominis adeò obstinatè sibi malevoli prævideret? Attamen inter necessitudinem & caritatem, primas tulit affectus, & devotio partium. Accidit etiam, ut sarcinulæ, quas secum necessariò delaturus erat, ad naves, cum trasportandas præmisisset, diriperentur, distraherenturque. Civitati enim nullus erat

B Magistratus timor, aut reverentia, utpote in similibus evenire solet, & grassabatur libenter Populus. Is itaque naufragus ad Regem Ischiam pervenit, ubi tantisper moratus, donec Rex, impetratâ à partium Ducibus veniâ, ut ei integrum esset, utri exactorum mallet Principum accedere, elegit Gallorum Regem, præterito Hispano, etsi gentili. Scio autem à multis desiderari, cur potiùs hunc, quàm illum præoptaverit, quibus me satis respondisse arbitror, semel, & iterum, ut Historiam, ista scire cupientes, adirent; mihi verò utinam Joannis Baptistæ mores, & gesta solidè scripsisse contingat. Ceterum ea tantùm levi manu tangam, quantum ad institutum meum

C necessaria fore cognovero.

Rex interim mari Gallias ad earum Regem contendit nobili comitatu, quos inter Spinellus hic fuit. Massiliam primò pervenit, ubi nil provisum sibi, aut comitibus invenit. Inde cum aulam Regemque venerari statuisset, jumentis, aut præstinatis, aut conductis ire necesse habuit; ad quem cum pervenisset, nihilominus haud liberalius acceptus; ab ipso enim appulsus die, suis se alere impensis coactus est. Nondum sibi statutum erat annuum salarium, quale nec ut ipsius Federici fortuna indigebat, nec Gallorum Regis opes, & potentiam decebat. Erat enim maxima ejus comitum spes, credentium Federicum ipsius

D Gallorum Regis auxilio in suum Regnum restituendum.

Ita se habentibus rebus, seu Principis Gallorum fuerit inventum, Ferdinandum, quem nuper Federicus pater Calabriæ Ducem nuncupaverat (prærogativa honoris est successuri Regno) seu patris voluntas, ad se in Gallias avertere, qui aptiùs id ageret, Joannes Baptista Spinellus præ cunctis eligitur, qui citissimè ad iter se præparat, magnoque labore, tabellarii celeritate id confecit. Ingresso igitur Regno major illum periculi cura incessit; quippe Gallorum partibus, & æquè Hispanorum suspectus admittitur. Galli enim vetuerant Neapolim ingredi. Aderant è nostris de-

E latores, qui venisse illum, aliquid novi moliturum, autumarent; ideoque observandum diligenter, quibuscum versaretur; quique ad eum scribant, literasque recipiant, perscrutandum. Quin etiam suas amicorumque domos ambiendo circuibant, an fortè furtim subintrasset. Etsi non ea à Ferdinando Consalvo Hispanorum Regis Duce maximo receptus est acerbitate, minimè tamen benignè. Erat enim Tarentum, Ducemque Calabriæ obsidione premens. Qui cum præscripsisset, eum loco sistere, neve ulterius Tarentum versus pergeret, præcidit illi omnem viam, qua per literas, aut nuntios mandata patris ad obsessum

Ducem perferri possent. Inter consalutationes, quas cum Consalvo egerat, non sinere Ducem ad patrem, etiam tradito Tarento, reportare novit: unde clariùs, quod suspicabatur cernens, & Hispanum, & æquè Gallum cupere Calabriæ Ducem in suam quemque ditionem pro pignore, & obside pertrahere, frustraque ampliùs morari, ea celeritate, & labore, quo advenerat, in Galliam reversus est, nuntians Regi, quo in statu rem reperisset, quove reliquisset. Postquam verò Gallorum Rex Mediolanum, quo eum Federicus maxima spe secutus fuerat, reversus fuerat, ipsumque reduxerat exutum expectatione recuperandi Regni: hoc etiam comites, tam nobiles dispicientes, & frustra tempus sese consumere, nec usui Regi suo esse, sed potiùs oneri, propter subventiones, quas illis tribuere necessario haberet è salario tam modico illi proviso, Federicum unanimes adeunt, causamque suam mœsti dolentesque exponunt, quemadmodum ipsius caritate, & obsequio domos, facultates, denique & Patriam, quæ cuncta complectitur, reliquissent, & res eo perducta sit, ut ipsi inutiles onerosique forent: ne desides, inertesque illius res consumerent, optare Majestatis suæ gratâ veniâ, Patriam, resque suas revisere. Sin autem sibi status aliquid emolumenti foret, perlaturos in mortem omnem laborem, periculumque quemadmodum ante digressum statuerant.

Ad quos Rex pauca, spiritum intercludente singultu, & oborientibus lachrymis, nosse se vera, & debita postulare; cui si verecundia non obstitisset, tam benè de se meritos dimittere, profectò obviam obtulisset. Sed quoniam honesta eorum postulatio frontem detersisset, benignè commeatum dare, illosque suum conceptum prosequi suadere. Dolere se pro iniquitate fortunæ, nequisse eorum meritis, & suæ gratitudini satisfacere. Nihilominùs scirent ob obsequia, & exhibitam in se caritatem, semper obgratum fore, & esse: quod sequentis fortunæ eventus ostendat. Sperare tamen ob gratiam Gallorum Principis obtenturum, ut Regno Præsidentibus mandando scribat, domos, & reliqua, quæ eorum fuerant ante sequelam sui ipsius, integra perpetuaque fide restituantur; nec crimini, aut invidiæ habeatur eorum obsequium. Quo obtento eos dimisit non citrà utrorumque mœstitiam, & etiam lachrymas, quorum maxima pars ad propria remeavit. Paruit etiam Magistratus, visis Gallorum Regis literis.

Hic tamen noster Joannes Baptista, velut oblitus suorum Neapolim adire neglexit, ausu secundùm multos temerario, juxta successus providè judicato. Sed postquam sub Federico sectari Aragonios non dabatur, audiens, inter Gallorum Ducem, Hispanumque bellum obortum divisione Regni, & quod tam dupla versutia secreto paraverant, tam citò publicè atrocissimi belli causa exstiterit: adiit Ferdinandum Consalvum Hispanorum Ducem maximum, Baroli velut obsessum se suosque tuentem; erat enim hosti viribus impar. A quo benignè gratanterque susceptus, velut frugi, partiumque suarum devotissimus, negotiisque opportunis adscriptus, qui verò non ut uni tantùm ministerio deputatus singulariter inhærebat, sed omnium munerum participem se præbebat. Aderat enim, si quid de statu belli consultaretur, si quid de resarciendis mœnibus, fossis muniendis, emittendis exploratori- A bus, dandis recipiendisque literis; denique Dux ipse nil agere, nil decernere, eo inscio vellet; probaverat enim, esse illum summa fide providaque solertia, & gestis. Sic itaque, ibique curanti, aut curantibus inhærenti, singulare & necessarium onus imponitur. Laborabat autem exercitus annonæ penuria, utpote cui nisi navibus, & eminus advehi posset. Terra enim hostis potiebatur, & maria sæpe, ut evenire necesse erat, aut tempestatibus aut hostilis classis objectu, intercludebantur. Huic ergo curæ potissimum incubuit modò hortando cives velle credere frumenta viritim, redditurus mox appulsis navibus, quas in dies operiebatur, modò publicè monendo inter se B cogere frumentorum numerum, quem uno in loco congererent; optimè enim callere, quis eorum necessitati & discrimini commodiùs subvenire posset. Hoc suo Ducisque nomine polliceri, nemini in eo damnum perventurum, & Ducis gratiam cumulatiùs adepturos, protegentis non minori caritate Barolitanos, quam suos milites. Sic pluribus mensibus eo modo curavit, humaniter scilicet, nemine plusquam libuerit conferente. At cum pelagi sævitia naves Barolum commeatum appetentes adverso vento aliò delatæ forent, tunc urgente famis periculo, & inde immineret tumultus, expedire visum est, curiosius, severiusque quàm hactenus rem agere. Edixit enim, ut unusquis- C que quantum frumenti penes se esset, scripto ostenderet. Vellet equidem Dux quamdiu exercitum populumque alere posset, agnoscere. Interim à nemine vi extorqueri ne granum quidem permitteret. Hoc sub metu Oppidanos à fraude detineret, liqueretque frumenti summa. Revisendi insuper attentiùs frumentariam rem evenit, reperiri Syros aliquos, seu vetustate oblitos, seu dominorum cura suppressos, quibus reclusis tritici copia ingens effossa est. Aucto igitur frumento, viritim per magnorum contubernia, & per singulos milites, tanta moderatione, & respectu id impartiebatur, ut & ingenti contubernio, & singulorum indigentiæ provisum videretur, esseque D omnibus satisfactum, ipsisque attestantibus Ministris diligentiam ac providam sui curam. Hoc frumentarium ministerium, quo ad exercitus Baroli mansit, non minus fideliter, quam sagaciter peregit. Unde ad hanc usque diem ejus observantia promissorum honorificè prædicatur, nihil non observatum polliciti, nec minori laude apud milites extollitur. Audivimus ipsi, solertia Joannis Baptistæ Spinelli, secundùm loci & temporis angustias, victum abunde habuisse, & quod difficilius, sine rixa, aut tumultu, quem plerumque panis indigentia generare solet.

Profligatis apud Ciriniolam Gallorum copiis, eorumque Duce, & maxima parte mili- E tum cæsis, cum victore exercitu Neapolim venit, ubi suos à Gallis pessimè habitos reperit. Exstiterant enim, è nostris potissimum, illorum res indagantes, quotidie virum incusantes, uxorem familiamque vexantes, remque distrahentes. Hoc enim erat, quo maximè juvare partes valerent, deferre illos, & in sortes adversæ factionis obrepere, indagatores rapinarum, ut ipsi portiunculam nanciscerentur. Hic licet viri hujus benignitatem advertere, qui cum aliqua à raptoribus restituerentur, & benè nosset sibi plura reservasse, nil ulteriùs repetiit. Insuper quos sua scelera carcere occluserant, suo favore, ac precibus ut sol-

solverentur, obtinuit: & hi quidem infensissimi uxori & familiæ exstiterant. Is in convertendis rebus suis, quas dissipatas & laceras hostium avaritia, & odio repererat, tempus impendebat, negotia Curiæ, & Ducis sedulitatem non relinquens.

Interea reliquiæ fugati exercitus Gallorum in agro Cajetano, (quoniam Civitas pro eis stabat) se coëgerant, ut adveniente auxilio, quod Romæ scribebatur, iterum in nos superato Liri arma inferrent. Quod noscens Ferdinandus Consalvus Hispanorum Dux, raptim educto exercitu, quem in hyberna remiserat, citeriorem fluminis ripam occupare contendit, ut hostem ingressu arceret. Dum ergo exercitus è regione starent, flumine eos dividente, erant Ferdinandi copiæ propter hyemis sævitiam, & proximi belli pleraque incommoda, exhaustæ multis necessariis, præcipuè tamen nummis indigebant. Fiscus enim vacuus erat, & vectigalium reditus propter motus plerumque cessabant. Restabat modò Neapolis cum adjecentibus Oppidis, unde aliquid istiusmodi defectui subveniri posset. Delegatur hæc provincia Joanni Baptistæ Spinello, utpote qui annonæ angustiis Baroli tam sagaciter justeque opitulatus fuerat; satageret, unde pecunia exigi posset pro exercitus stipendio. Quam rem, & si difficilius cognoverat, nummos exigere à divitibus, nondum pacatis rebus, quàm ab aratoribus unius oppidi triticum, nihilominus bono animo & spe aggreditur. Primi, quos ad præstandum invitat, fuere ditiores, sponteque oblaturi, summamque collegit, quam ad Ducem, in castra deferens, subsidium fuit militi, & spes subinde se oblaturum. Revertens non destitit à pecuniosis, & qui commodius præstare possent, exigere; fidem Ducis, suamque obligans ad præstitutum tempus redditurum: & hoc modo quantitatem ad Ducem misit. Ipse autem restitit ad amplius requirendum. Instabat autem quotidie Ferdinandus Consalvus denarium exposcere, & ejus penuriam exponere, summoque discrimine illius defectu rem periclitari. Quod ostendens, ac Ducis, exercitusque periculum, obtestans, minasque postulationi addens; memorem quoque fore Regem eorum, qui mutuò rem suam darent, annuens; non paucos iis verbis ad subveniendum compulit, & vectigalia, si qua hactenus libera remanserant, obæravit. Frequentius tamen versura priorum creditorum æs solvebat. Hac solertia inserviendi studio singulis fere hebdomadibus pecuniarum ad Ducem subsidia aut ducebat, aut mittebat, donec adversi exercitus pro ripis starent, alter ut erumperet, alter verò, ut arceret. Postea Regis felicitate, exercitusque virtute, quod ab hostibus timebatur, in illos decidit; transgressus enim noster miles, deturbatisque, qui ulteriorem ripam servabant, in eorum agrum erupit, stratis, fugatisque hostibus, ea strage, ut paulo post, etiam Cajeta in Ferdinandi Consalui ditionem evenerit.

Interea Joanni Baptistæ Spinello, quem præcipuè Dux ipse extollebat, memorans tempestivam illius sagacitatem, contemto labore subsidium exercitui pertulisse, aut misisse: evenit, ut filio nasceretur. Quem ut compatratus necessitudine sibi jungeret, eum è sacro fonte sustulit. Insuper ut fidem illius adversa valetudine approbaret, æger cum esset, jaceretque in Arce Capuana, bis quotidie escam à Medicis indictam, structamque uxoris manibus, velut tutam mundamque sumere procurabat. Hæc etsi frivola apposui, non tamen otiosa, ad sequentia legentibus. Discent enim non modò, quam instabiles, momentaneique sint potentiorum favores, & laudes, verum, & jam quam levi suspicione, aut invidorum susurro, ad odium & perniciem paulo antè laudati vertantur. Interim è Regio, & Ducali obsequio non desistebat, & domui cum pro facultatibus consuluisset, tempestativum, præcisumque visum est Regem in Hispaniis agentem, convenire. Ita qui Italiam, Germaniam, Pannoniam, Galliamque peragraverat, ingressus est intrepidus iter tot æstuosis fretis tranandum, Occidentales plagas revisurus, quem profectò transitum, non citra discrimen timoremque peregit; eoque modo ad optatum Regem pervenit. A quo, & ab omni aula benignè honorificeque susceptus, (ut quibus constiterat ipsius in partibus Aragoneis affectus, inque illarum obsequiis navata egregia, & utilis opera) salutatis reverenter Regibus vivebat. Tunc Regina cœpit ab illo percontari, ad quid tam longum periculosumque egisset iter. Docuit enim Regem modum partæ victoriæ, Regnique statum, Fisci reditum omnem, quibusve partibus & vectigalibus colligeretur, animalium pascua, tritici extractionem, nec minus quantum è sale focisque, demto quod ipse elargitione & compensatione donaverat, remaneret; quibus finibus Provinciæ determinarentur, earumque nomina, & salaria, & reliqua, quæ Regem nosse oporteret.

Iis igitur instructo visum est Principi virum tam frugi ad rerum suarum commodum ad Regnum remittere, quem assiduè per horas sine arbitro colloquens, non solùm amore, sed etiam admiratione sibi devinxerat. Ante ab Hispania discessum accidit Isabellæ Reginæ mors, cujus justis, æquè ac Principes Regni, pullatus interfuit. Honoratus dicam, an Oneratus privilegiis, & Magistratibus ad nos pervenit. Hinc fax tantorum odiorum, & maximè Ferdinandi Consalvi; quippe præsciverat hæc, & ingratissimè tulerat; erat enim perfamiliaris à secretis Principis: unde facilè nosse potuerat. Collatis ergo capitibus, quibus virtutes, honoresque Joannis Baptistæ Spinelli invisa erant, ut tutius id ageretur, privata in domo consultant, quemadmodum advenienti, tot documentis & Magistratibus suffulto, obsisterent, & quæ afferret, irrita facerent. Non desistunt per hujusmodi lenocinii medios multos subvertere, eosque ducere & parare ad illius impugnationem. Hos non adeò privati hominis odium, quam Ducis spes, aut timor adegerat; paratasque invenit, non modò Ferdinandi operas, sed & Civium, plerosque versutia, aut livore pellectos. Ipse nihil antiquius duxit, quam Ducem Ferdinandum humiliter salutare, & Regis gratitudinem pro victoria, & reliquis in se officiis benevolentiam nuntiare, ad quem, & si gratum benevolumque se ostendere vellet, nequaquam dissimulare valuit, quin vultu, & male cohærentibus verbis animum suum ostenderet pessimum. Sic tradidit illi officiorum sibi à Rege injunctorum privilegia, ut ipsius bonâ veniâ exercere liceret. Accepta cuncta non restituit, causatus inesse, quæ Magistratus gerentibus officerent: quod minime velle Regem crederet, proinde illis se abstineret. Hinc non destitit, illum tum per se, tum per Curias, quin etiam per Civitatis

Ele-

Electos exercere, & satagere omnem jurisdictionem auferre: quod minimè obtinuit, cum magna totius Urbis contentione certatum esset. Vicissim seniorum, & amicorum parti, ut in Magistratu officioque persisteret, adversabantur ex Nobilitate plerique, qui dona concessa à Prædecessoribus Regibus ampliare, aut perpetuare postulabant præsentis Regis gratia, cujus Patrimonii is Conservator erat. Quibus ingenuè fatebatur, non suas esse partes, sed domus suæ tantùm dona, & concessionem præscriptis conditionibus confirmare subscriptione suæ manus; nihilominus vigere hìc Cameram Fiscalium rationum; staturum se illius judicio, an quod peterent, jure fieri posset: quod minimè tentavere, diffisi Cameræ sententia. Multi tamen & salaria, & quæ petierant, Ferdinandi Consalvi auctoritate assecuti sunt. Decreverat enim, postquam abrogare penitus cunctam illius jurisdictionem nequiverat, per singulos actus infringere ac delere. Crescebat in dies odium, & licentia lædendi, postquam nosset, Regem his insultibus & injuriis, nec providere, aut remedii aliquid afferre, vererique eum ne offenderet. Unde animos illi fecerat, & Joannis Baptistæ promtitudinem sive fiduciam imminutam, incuria aut lentitudo Regis ostenderat. Has cum inter angustias versaretur, erant necessariorum sibi, & Ferdinandi Consalvi amicorum, qui illum abdicare Magistratu suaderent, si iram magni Ducis lenire cuperet; hoc enim erat illi maximè invisum, se invito, jurisdictione uti. Quibus nullo pacto id se facturum respondit, ut, quod sibi Rex pro sua re injunxerat, alicujus timore desereret. Ubi verò Consalvus cognovit, hæc se impune contra Joannem Baptistam agere, & licenter multa à Rege mandata præterire, decrevit omnino illum perdere, urgentibus intimis suis; corruperat enim è servis aliquos, per quos resciret, qua hora domo egrederetur, & qua reverteretur, & an veneficia caveret escis exploratis utendo, publicè tamen. Et vi in illum grassari indecorum sibi ducens, omnem pervestigabat viam, qua prætextu juris in carcerem traderet; & modò ex iis, quæ in Magistratu egerat, postulando, modò Venetorum amicitiam illi objectans, inquirensque tam Regi adversam, crescente in dies nocendi odio, quod indulgentia Principis nil non audere permittebat, & nuntians, velle hinc amovere, secumque iturum ad Regem ducere.

Iterum certior factus, appropinquare sui exitium, cautumque videns suis intimis Regem adire, idque palam poscere, neque perficere tutum: statuit, quoquomodo aggredi, quod si succederet, bene consultum; sin secus, ubivis honestiùs cecidisse videretur; posse enim alterum, Dei adjutorio, salvari, alterum verò Ferdinandi Consalvi pertinacia, quin periret, impossibile judicabat. Quotis autem diebus cum in Arcem ad ipsum ingrediebatur, votis pro reditu obligabatur. Dum hæc tristia ambiquaque meditatur, ecce febricula eum invasit, sequenti die percontanti Ferdinando Consalvo, cur non sibi adstitisset, responsum, jacere ægrum: quod minimè verum putans, advocatis Medicis reperit sic esse, illique salubria pharmaca reliquaque tamquam necessaria febricitantibus exhiberi. Imperavit ergo illis, ut quotidie statum valetudinis ad se ferrent; misit insuper specie visitationis, ut discretim explorarent, an Medici vera retulissent, qui identidem se reperisse dixerunt. Iis igitur cognitis statuit omnino, vel æger iter suum destinatum peragere, ut qui probe nosceret etiam si non è strato surrexisset, in carcerem traducendum quare ex amicissimis Fratrem Simonettum Sangrium, consobrinum suum, militem Rhodiensem, virum strenuum, omnique vel arduo facinori idoneum sibi comitem elegit; obtulerat enim se ultro itineris, & discriminum socium, & consortem fore. Comparatis pro rerum angustiis necessariis, prima face Urbe egrediuntur, falsis portarum custodibus. Secunda vigilia Vulturnum devenere, ubi ad destinatum locum portitores non offenderunt. Erratum est aliquamdiu, tamdem Oriente Sole ad Lirim fluvium pervenere, quem ignoratum portitores transmiserunt. Ulteriore ripa invenerunt milites Illustrissimi Prosperi Columnæ, sibi amicissimi, & hoc in discrimine fautoris præcipui, à quibus illico extra limites Regni deductus est. Mane autem Clemens medicus, ut ægro consuleret, simul & ut jussioni Ducis obtemperaret, adfuit. Cui uxor constanti, & nihilo mutato vultu, respondit, virum inquietam egisse noctem, nunc obdormire; ne eum importunè expergefaceret, reverteretur, si placeret. Reverso post iterum respondit, adhibitis fomentis quibusdam viro, subitò somnum irrepsisse; orare illum interim, ne quietem rumperet; in suam gratiam, virique salutem, ne pigeret iterum adesse. Cumque tertiò reverteretur, inquit injunctum sibi, omninò visere eum. Dispiciens ergo uxor ulterius rem non posse produci, nec dare verba, protulit chrographum, quod discedens vir ostendendum reliquerat. Continebat enim, & Magistratibus, & cunctis notum esse velle, se Regem suum conventurum Hispanias petere: quod ne fraudi sibi esset, nec fugæ adscribi posset, propalabat. Quo inspecto Dux velut furiis agitatus, delusum se à Medicis vociferans, veredarios illico ad persequendum immittit, insimulans, ad Venetos illum fugam tendere. Infremebat autem maximè in Sangrium, quod ausus fuerit hominem sibi adeò infestum, se invito, relictis suis, fugientem comitari.

Interim Prosperi præsidio Romam ille perductus est, ubi minimè tutum se judicans (verebatur enim, ne Oratoris Regis, amicissimi Ferdinandi Consalvi, auctoritate retraheretur ad eum) delituit apud Abbatem Jacobum Piscicellum uxoris suæ avunculum, donec aliquantulum reficeretur. Inde suum continuans iter, non per vias Consulares, sed per invia, & montium diverticula minimè existimanda, Senas prætergressus est. Illuc enim veredarii eum pervestigatum secuti, spe frustrati revertuntur. Ipse fidentiùs pergebat, utpote per regiones minimè Ferdinando subditas. Pervenit Regium Lepidi, ubi auctus est famulitio; repererat enim germanos Michaëlis Sacerdotis domestici sui, qui ultro eum comitari se se obtulerunt. Iis igitur comitatui additis, Alpes transcendit, febris non adhuc penitus expers, neque injuriarum metum relinquens. Talem se circumspectans, in citeriorem Hispaniam tamdem devenit, unde ad nos nuntium primum de eo pertulit Petrus Torellus, Eques . . . . . Regnique Ærarius, inquiens, scripsisse sibi uxorem, proximè divertisse in domum suam, quæ & comitatu, & statura exactè Joannem Baptistam Spinellum describebat, qui ut valetudine commodiùs se habe-

haberet, festinare ad Regem suum necessariò ajebat; nec non & causam subticuerat; credere, brevi Regem conventurum. Ad quem cum tamdem pervenisset, suppliciter salutat. *Ex quo*, inquit, *honoribus, & Magistratibus à Celsitudine tua mihi collatis, in tuo me, Reique publicæ obsequio, uti, atque exercere voluisti, minimè ob vices gerentis tui diritatem licuit; quin & libertate & vita me privare sategit. Ad te Princeps clementissime veni, relictis necessitudinibus, quin etiam posthabita sanitate, ut sub tantæ Majestatis umbra liberè vitam ducere possim. Honoribus autem auctum, & opibus ditatum me satis reor, cum in Aula tua, te propitio, conspiciar*. Ad quem Rex, nequaquam vultu hilari, verbisque blandis, quemadmodum aliàs eum admiserat; quin succinctis, *bono*, inquit, *animo sit* hortatur; sibi, verò hanc rem maximæ curæ fore. Hoc veritus, ne Ferdinandi Consalvi animum offenderet: quod præ cunctis cavere noscebatur. Cumque ad nos minimè reverti festinaret, donec favor sui hostis nimis præesset, cessare non desiit, quin ex intimis Regis sibi amicos pararet; erat enim ingenio affabilis, & parandarum amicitiarum; continendique eas sagacissimus. Ex Aulicis, Cubiculi Præfectum Dominum Raymundum Cardonam, tunc inter Regios alumnos satis spectatum, quem hodie magnum Ducem apud nos cernimus, conciliavit, & plerosque è Regia. Et cum rem suam ita concinnasset, ut satis honestè, laudabiliterque versaretur, virtusque illum, qui esset, ostenderet: ecce opportunitate dicam, an necessitate redeundi tempus apparuit. Principes enim, & Populi Hispaniarum post obitum Isabellæ Reginæ, Philippum Regem optavere, illoque ingenti favore admisso, visum est Ferdinando, mox Regi, cedere, seque ad paterna Regna reducere, ubi non diu moratus, classem comparatam statim conscendit, ad nos venturus. Sic præter opinionem, quam præsumserat, cum Rege ipso pervenit. Fertur hæsitasse Regem, an procederet, intellecta morte Philippi Generi; tamdem ad nos properavit. Tantæ celeritatis causa nobis ignoratur.

Acceptus est Rex magnificentissimè à Neapolitanis, sicut aliàs scriptum est, cum quo & ipse devenit, acceptissimus non modò suis, sed ferè omnibus, uno dumtaxat excepto, & operis illius. Fremebat enim Dux, cum eum liberè & Arcem intrare, & in conspectu Regis cum reliquis assistere videret; maximè verò cum Rationum Scribæ munus exerceretur. Cumque aliquando publicis officiis, & privatorum beneficiis se impartiret, jam bilis inimici in dies magis gliscebat, adeò ut cum ex Arce regrederetur Ferdinandus Consalvus, & ei obviam in Campo Spineæ Coronæ fieret, conspexissetque eminuscula è regione transgredientem, ira odioque percitus continere se nequiverit, quin posthabita personæ dignitate, in eum irrueret, involuturus ei caput: quod pro tensione brachii cervicisque declinatione vitavit; apprehendit tamen vestem. Interim satellites, qui eum circuibant, strinxerunt gladios, ictusque in ipsum prætulerunt, frustra tamen. Et quoniam res in propatulo gerebatur, multi occurrêre, indignitatem rei videntes: sic ex ancipiti periculo se subduxit. Ferdinandus, ac si nil peregisset, ad Regem perrexit; ipse verò plurimorum comitatu domum reductus est. Profectò res ad memoriam Ferdinandum primum Regem nostrum plerumque revocaverat, qui cum hominem suo privilegio securum Masius (*) Barifices occidisset, quamvis sibi carissimus, & in proximis bellis de se benemeritus, apprehendi nihilominus eum, & in carcerem trudi jussit, nullisque precibus exorari potuit, ut solveret; sed ibi vitam finire coëgit. Vespere autem, cum domus ejus frequens amicis, necessariis, quin etiam proceribus esset ad vindicandum injuriam paratis, ecce Augustinus ex intimis Senatoribus, quos Hispani Regentes nuncupant, adfuit, ipsumque Joannem Baptistam secreto aliquandiu allocutus est. Inde ad multitudinem avidè exitum rei opperientem, inquit: *Viri magnifici, Regio nutu hæc vobis. Res hæc ardua, & in dies proreptura in pejus, Principis imperio reprimetur, eique opportunè sua Celsitudo providebit. Proinde suam quisque domum repetat quietus, & pacem otiumque Regis minimè vexare præsumat.* Eademque & ipse Joannes Baptista repetivit, gratias agens pro ostensa in se dilectione, & ut jussa Regis servarent, precatus est. Sicque inde discessum. Quod adeò neglectum est, ut paucis post diebus Hispani, alienæ sub specie rixæ, ipsum armis prope Michaëlis Archangeli ædem impetierint, insectatique sint, ita ut unum peti non ambigeretur. Eo modo res transacta: an Regis incuriâ, Deus, & ipse norit. Etenim nihil questus, & quod Rex minimè providerat, dissimulans, quotidie illi assistebat, quo ante insultum Ferdinandi solitus erat, vultu munia officiaque amicorum liberè intrepidèque obiens, quippe qui, ut in adversis fortem se præbuerat, ita deinceps temporis & Regis conditiones callens tacitum se ostendit. Dumque Rex nobis adfuit, nihil minori libertate in Magistratu suo egit, sed rem suam, & amicorum, & Aulæ, scitè & audacter curabat. A Rege multis pauperibus senio aut valetudine affectis, solatium annuumque subsidium impetravit. Maxima illi cura inerat officii, & meliorum obsequii; neminem ne verbo quidem lædere. Cum talia perspessus esset, pejoraque machinari in se novisset, numquam in eorum auctorem, aut Consultores, qui criminando dissidii causa fuerant, in convicium aut maledictum prorupit, quin potiùs nonnullis eorum egentibus, necessariis benignè utiliterque adfuit.

Inter multas viri dotes, quæ non paucæ fuere, injuriarum viguit oblivio, quas moribus, & Religioni condonabat. Dum ita se libraret, inter promtitudinem, & cautionem, Rex Hispanias citiùs omnium opinione redire disposuit, cujus itus adeò properus exstitit, ut ex tot nobilibus propinquisque Urbibus nullam adierit. Non Capuam, non Aversam; & quod magis mireris, ne Arcem quidem Neapolis Capuanam, amœnissimosque illos hortos invisere curavit. Classe non adeò magna Cajetam delatus est, ubi aliquantisper moratus, præstolatus Ferdinandum Consalvum; restiterat enim cunctatus expeditionem suorum negotiorum. Urgente illum Rege, multa expostulavit in sui, amicorumque commodum, non pauciora in inimicorum dispendium. Omnia Rex concessit, nonnulla citra suæ Celsitudinis dignitatem. Petierat enixè, ut Rationum officio Joannem Baptistam Spinel-

(*) Parisius.

nellum amoveret: quod inter reliqua obtinuit. Post verò discessum Ferdinandi Consalvi literæ à Rege afferuntur, quibus *Cariati Comiti* erat inscriptio. Privilegia insuper, & tituli honorem *Consiliarii Vicegerentis*, annuum pro labore salarium, sedemque inter Procerum ordines dabat. Hæc hactenus de tam ancipiti periculosoque hoste. Scio legentibus non adeò sævum existimari, quemadmodum nobis cernentibus visum sit, fuisse conflictum, quibus domo quotidie prodeuntibus, vota pro reversione offerebantur. Hæc quam tristi memoria recordamur, notam esse constantiam, ac fortitudinem ejus, orisque modestiam in contemnendis periculis, quam maximè in illa ad Regem fuga, febre correptus ostendit. Superfluum quidem dicere remanet, quam bonis artibus tutum se præstiterit, & constantia, minitanti fortunæ cesserit. Aderat, ut Rex jusserat, quotidie Vicesgerenti, liberiusque versari cum eo cœpit, cui non modò jus dicenti, sed privatas agenti res, inerat. Patuisse sibi aditum, etiam ad amicorum beneficia, videbatur, pro quibus exorandis non desistebat, ipsumque Præfectum domesticis rebus, & nostris moribus instruere satagebat, cui pro vitæ integritate summa adhibebatur fides.

Profligatis interim Venetorum rebus prœlio Caravagensi, ut suam quisque fœderatorum rem consequeretur, actum est. Rex etiam noster Tranum, Brundusium, Monopolim, Hydruntum, coteraque oppida à Venetis detenta, bello sibi vendicare statuit, veritus ne Veneti illi restituere renuerent. Vices enim gerens ad ea expugnanda se accinxit, cujus comitatui, & ipse Comes adfuit, qui non parum ad deditionem prædictorum contulit; eum enim Veneti experiri noluerunt. Legato verò, qui ad res Appulas componendas venerat, intercessit, utpote arbiter utrique acceptissimus, nullâ Venetorum malivolentiâ, Regis autem gratiâ, oppida non modò absque bello, sed sine etiam murmure restituta Regni unire ditioni curavit. Ita bene peracto commilitonis, & consultoris officio cum Duce bono nomine Neapolim revertitur.

Decreverat jam Rex Comitem Ripæ Corsiæ moderatorem nostrum ad se revocare, cui substituit Raymundum Cardonium inter alumnos carissimum, & tunc Siciliæ Præsidem. Ejus adventu Comes maximè gavisus est, nec minori benivolentia ab illo admissus. Erat enim consuetudo inter eos ab Hispaniarum accessu, & postea solidata hic existente Rege compatratus necessitudine. Tempus jam apparebat, & rerum otium, ut sua reviseret, præcipuè Comitatum nuper sibi concessum, quò, bonâ impetratâ veniâ, quamvis gravis discessus Cardonio fuisset, incolumis pervenit, ubi nil antiquius habuit, quam mores, atque instituta subditorum corrigere, illosque ad civilem vitam revocare, pacem inter discordes procurare, exules in Patriam facultatesque reducere, nihilque quod non bonum patrem in filios deceret, committere. Versus inde ad eorum tutelam, securitatemque, mœnia alicubi struere, alicubi partim diruta concinnare, Arcemque novam sibi exædificare: quæ omnia munimentis, machinis, tormentisque non modò propulsoriis, verùm etiam expugnatoribus communivit. Rei verò peculiari, redituum, & proventuum ultimò providit, armenta boum, equorumque maximè instruendo, quibus profectò non ad lucrum, sed potius ad honorificentiam, & liberalitatem usus est, ut qui pullorum jumentorum numquam aliquid venum misit, verùm amicis, necessariisque ingenuè contribuerit; erat enim gloriæ, & honoris appetentior, quàm pecuniarum. Concinnatis igitur domesticis rebus, tempestivum judicavit ad Curiam, penatesque redire, cujus iter nequaquam otiosè peregit. Quippe ad multos Principes, Magnatesque divertit, qui propter itinera degebant, salutandi causâ. Quibuscum vetus erat necessitudo, hac visitatione stabilem perpetuamque firmavit. Non pauciora per ea loca, quæ minimè horum ditioni subdita erant, hospitia, clientelasque comparavit. Quippe quocumque pervenisset, Cives & publicè, & privatim eum conveniebant, nobiles impensas, reliquaquè commoda proferentes, à quibus gratiis actis, nil nisi necessarium esset, sumsisse dignoscitur. Hac ergo via, ut aliquid profecisse videretur, multos amicorum, & stabilivit, & novos sibi paravit. Appulit, & Præsidi, & Collegis, nobisque optatissimus. Diebus non tam multis in Marsos, Pelignosque ad milites, ibi hybernantes recensendos mittitur, quibus ejus adventus carissimus fuit; illis enim hybernas mansiones discrevit, ita ut se, milites, equosque tueri possent. Oppidani separati sua cum omni familia, ut citra injuriam degerent, statuit; & rei frumentariæ modum, quo nec venire cariùs posset, nec viliùs emi. Itaque quod raró evenire solet, utrique optimè, sibi consultum dicerent. Hæc vix peregerat, & ecce literæ ei redduntur, ut quam primum militem ex hybernis educeret, iterumque lustraret, & numeratum, omnisque bellicæ rei instructum, Duci suppetias allaturo Imperatori traderet: quæ cuncta aptè citissimeque perfecit; Ducique ad id bellum præposito in limitem Regni copias integras transmisit. Inde non ante Neapolim remeavit, quàm ad Virginem Lauretanam vota persoluturus, dona præmiserit, perpetuumque suum servans morem, ut nil, nisi Numine advocato inchoaret, nil nisi eidem gratias referens, componeret.

Sperans igitur eo deinceps otio, & tantùm publicis curis, & domesticis posse vacare: ecce novus diuturnus labor offertur, quem tamquam genitum alacriter suscepit. Visum enim fuerat Regi nostro, postulante Julio secundo Pontifice Maximo adversus Gallorum Principem Ecclesiæ statum vexantem, cujus favore Bentivoliorum factio Bononiam ab Ecclesia rebellaverat, & reliqua tentare non desistebat, Raymundum Cardonium in eum destinare. Qui ocissime educto, lustratoque milite, ad expeditionem se decinxit, omniumque opinione celeriùs partem exercitus se præcedere jussit, dum reliquæ coirent, ipsumque opperirentur ad Truentum amnem. Unde iterum numerato revisoque milite in hostem moveri præcepit. Quartò igitur Non. Novembris, quo Festa, quæ prisci Feralia appellabant, nos verò Agenda pro Mortuis nuncupamus, sacri Puerperii MDXI. Urbe egreditur; & qui militum nondum instructi paratique erant, ut sequerentur edixit, die minimè juxta vulgi opinionem fausto, sed urgente Pontificis Legato, magnique referre, Ducis approperationem ad actum existimante. Profectus

fectus est Cariati Comes unà cum eo, qui non modo ut Senator, verùm etiam ut miles prœlio interesse posset, armis instructus apparuit. Apposui egressus diem præter morem consuetudinemque; soleo enim scriptis meis, & nominum, & temporum singula præterire. Hoc verò, ut odii mordacissimum morsum, simul, & fœdissimum adulationis vitium effugerem: quæ consultiùs an emendaturus sim, amicorum consilio providebo. Coacto igitur exercitu, ad ripam Truenti fluminis Regni hujus terminum, præcensoque, & vexillis Ecclesiæ, reliquæque, ut hodie dicunt, Ligæ profectum adeptis, in Bononiam iter cepit, quod peragendum per Ecclesiæ agrum erat. Unde maxima oriebatur cura Comiti, quem rei frumentariæ præfecerant. Insolitum enim erat oppidanis hujusmodi onus vectandi in castra victualia; & rursus miles non adeò stipendio auctus, & eò licentiosiùs vagans, grassari in frumentarios & paganos non desistebat. Præstitit igitur Comes illa sua solita diligentia, & affabilitate cum Pontificis Legato, ut frumentum tutum, & sine direptione ad castra perduceretur; simul & miles suum victum nancisceretur sine vectantium damno atque injuria: quod, donec Anconam perveniret exercitus, novo quotidie labore curatum est. Inde jussu Ducis triremi Venetias transmissus, curaturus, ibi communem Confœderatorum rem. Ut autem expeditius iret, annonaque viliori uteretur, servitia impedientia, equos, reliquumque belli apparatum Ravennæ sepofuit. Venetiis verò optatissimus receptus est. Erat enim ibi Comitis fides, & industria benè cognita esperimentis, apud quos aliàs legationis munus obierat. Adeò fideliter solerterque se gessit, ut non tantùm Regis Legatum, sed uniuscujusque complicum peculiarem Oratorem, eorum commodis se præstiterit; sic enim non inutilis, aut otiosus fuit adventus, ac status. Quippè ejus instantia Venetorum dominatus, & sui militis supplementum, & reliqui exercitus stipendium misit. Interim assiduè exhortabatur Cæsaream Majestatem spem bonam habere in promtitudine præstandarum virium, quo opus esset, & ad expulsionem Gallorum. Jam enim Brixia, & Bergamum ad Venetos defecerant. Dux ergo Gallorum non prius Bononiæ auxilium ferre statuit, quam Brixiam à se defectam nuperrimè recuperare. Per arcem, quæ fidem Gallis servabat, in Urbem irrupit, quam sævè crudeliterque habuit, diripuit.

Ob hanc igitur victoriam properus Bononiam venit, cujus adventu soluta est obsidio. Egrediens inde Ducem Cardonium insectari cœpit. Cumque castra propiùs invicem locassent, & ut uterque opportunitatem rei sibi benè gerendæ expectaret, in agrum Ravennatem devenere, ubi sævissimo illo, & cruentiori certamine pugnatum est. Quo Venetiis cognito, illico Comitem cum duabus triremibus ad Ducem Cardonium conveniendum misêre; Ignorabatur enim, quonam post pugnæ malum eventum se recepisset. Quem multifariam perquisitum, tamdem in Civitate Juliæ novæ (Regni in introitu hæc sita est) offendit, cui Venetorum nomine, bono jubet esse animo, ac de bello minimè desperare; quoniam, etsi nostri maximo damno terga vertissent, non minori detrimento Gallorum copias attritas, & Ducis maximè morte, & ductorum, & militum numero; se verò brevi majores copias coacturos fore, & Pontificis viribus maximè id curantis, & Cæsareæ Majestatis, Helvetiorumque robore. Galli autem sua damna similiter resarcire impotentes, facilè Italia cessuri, aut exigendi erant. Accingeret se modò, utpote Generalem Ducem, reliquiasque fracti exercitus in unum cogeret; aureorumque ingentem numerum, quem attulerat ad stipendium, ostendit. Quem obstinatum cum vidisset, & causas, cur Neapolim repetere oporteret, afferentem, præbito stipendio peditibus, qui ex fuga in unum se receperant, desperans rem conficere, conscensis triremibus Venetias properavit. Cardonius verò Neapolim rediit. Reperit ergo Principem, Senatumque Venetorum magno, obfirmatoque animo ad bellum peragendum, utque id celeriùs, constantiorique fide confici posset, mittitur ad Cæsarem Comes ad stabiliendas pariter, & proferendas inducias cum Venetorum dominatione, simulque ut adventum, Helvetiorum approperaret. Quæ omnia, ut impigrè fideliterque gesta, ita optato successere eventu, quando junctis viribus Galli, intentato prœlii discrimine, Mediolano abierunt. Quemadmodum id contigerit, & Ludovici filius sit Mediolanensium Dux electus, scire cupientem, ad Historiam hujusmodi delegamus. Interea Brixiam, quam Galli benè munitam reliquerant, Veneti arctissimè cinxerunt, brevique ea se potituros sperabant. Cardonius enim, jussu sui Regis, obtemperare cupiens Pontificis monitis, in Cisalpinos devenerat. Cæsaris milites, Helvetiorumque pedisequos Brixiam versùs movit, cujus appulsum Venetorum exercitus non expectandum censuit, solutoque obsidio, alio secessit. Caussam ipsi norunt; fortiorem Cardonium se venire prænoscebant, qui Brixiam haud multò post conditionibus excepit, minimèque eam maximè sperantibus Venetis restituit. Hinc suspicionem, & futuri dissidii caussam ortam autumant, quod ne statim erumperet, Comitis diligentia curatum est, utrique partium discordiarum mala ostendentis, pariterque concordiæ, & pacis utilitates.

Restitit inde Venetiis, Regis sui Ligæque totius commodo, quo ad Veneti se Gallo fœdere junxere. Tunc ad exercitum nostrum, qui unà cum reliquo complicum convenerat, mandato sui Principis pervenit. In Patavium, in reliquum agrum Venetorum moverunt. Hic quantum partes juverit, quamque indefessum se exercuerit, militis Hispani, qui ibi militaverat, testimonio noscebatur, quem inter belli facinora hoc quoque dixisse audivimus, quod tam crebrò statis motisque castris numquam frumenti, non modò penuria, sed ne caritate quidem exercitus laboraverit. Id omne Comitis solertiæ, fideique adscribi meritò debere. Interea Bergomum à confœderatis ad Venetos defecerat. Vastatis Patavii agris, receptisque oppidorum aliquot, visum est ad Bergamum recuperandum properè movere, tum ad illius ultionem, tum ad reliquorum tenorem; cumque illò appropinquarent, agi cœptum est de tradenda ea. Conditiones interim tractari cœperunt, quarum intermedius Comes ipse exstitit, qui utrique partium consuluit; oppidanis, ut se suaque pretio redimerent; Duci autem, ut mulctatitiam pecuniam, quæ inter milites justa conditione sedatè dividi posset, ac pacificè potiùs, quam direptionem vellet, pacta

sunt aureorum millia decem. Restabat Arx majori labore acquirenda, quam non Cives, sed præsidiarii milites tenebant. In eo igitur obsidio Comes etiam strenui militis operam navavit; magnis enim obsessa est discriminibus, in qua pauci desiderati, plures tamen, & insigniores, quam Arcis modicitas merebatur. Cum ergo Cæsar Imperator veterum officiorum in se meminisset, cerneretque recentia quotidie accrescere, exoratum eum à Rege, Vicarium omni Italiæ rei substituit, præesseque voluit. Gessit hac in sua Præfectura nonnulla alicujus momenti; sed quoniam ad magnitudinem eorum, quæ gessit in tuitione Veronæ, quam scripturi sumus, frivola videri possent, omisimus. Placuit quippe Cæsari post Vicariatum illi traditum, ut Veronæ præsideret, opportunæ profectò sedi, seu, ut oppidis, exercituique consulere, & subvenire posset ex locorum propinquitate; sive auxilia à Germania evocare, & stipendia cogere, atque Cæsaris præsentia non eminus ad incidentes res occurreret. Cumque præsens adesse nequiret, conjugium filiæ Isabellæ, quod tractabatur, uxori Liviæ perficiendum composuit. Juncta itaque est Joanni Francisco de Capua, adolescenti, moribus, & forma decoro, Comite Altavillæ genito, successuro dominationi ingenti. Et quamvis dotem aliquantulum modum excedentem (aureorum siquidem XIV. millium exstitit) omnes tamen optimè erogatam eo in conjugio censuerunt. Traduxit eam ad filium Comes ea pompa, apparatu, & cœnarum magnificentia, qua hac nostra tempestate Baronum, aut nulli, aut pauci.

Interim Helvetii sumto stipendio, quod promiserant, Piscariæ scilicet morari, minimè servavere; quin imò sublatis signis patriam versùs festinantes abiere. Hujus subsidii frustratus spe Comes, & videns campo omnino cedendum, Veronæ cum esset, ad obsidionem tolerandam obfirmat animum; pro comperto enim habebat, Gallorum exercitum unà cum Venetorum copiis ad se expugnandum venire. Erant Veronæ secum Marcus Antonius Columna, vir equidem strenuus, sed comitatu, non adeò valido suffultus, & Helvetii aliquanti; Hispanorum verò, & Germanorum XII. millia numero. Galli autem, junctis jam Venetorum Legato, & exercitu, quotidie Veronæ approximabant: Postquam autem Veronensem agrum intrassent, castraque nec moverent, nec ponerent; neque in eos Marcus Antonius, & qui Urbi præsidebant, irrumperent, proque militum paucitate damno aliquo afficerent, incommodo tamen, & molestia longè majori afficerentur: Comes Cæsarem de statu rei certiorem facit, urgetque ut stipendia flagitanti præsidio mittere non tardaret. Interea ad muniendam Urbem se converterat, resarciendo mœnia, ubi collapsa fuissent, subrigendo aggeres locis, quibus hostes tormenta, & machinas locaturos verisimile putabatur; propugnacula insuper & turres, unde obsessores etiam eminus, infestare possent; & Urbem circumeundo, ut lædendi opportunitatem cognoverat, arma, tela, milites opportunis armis destinavit, ut cum tempus exegisset, non tumultuosè, hac illac erraretur; sed nosset quisque locum suum, & ordinem servare. Insuper maximè pertimiscendus erat Civium motus, quando plebs Venetorum dominatum optare videbatur. Hæc provincia

A uni Comiti moderanda obvenit, quam cautè salubriterque administravit, edictoque sanxit, ut nulli Civium liceret belli muniis interesse, nec vigiliis, nec diuturnis operibus immiscere se; externorum præsidio, hoc in obsidio utiliter ad Civitatis quietem usurum. Et ne fortè per cuniculos hostes irrumperent, diligenter cavit; denique nil, quod ad Urbis munitionem conduceret, omissum. Cumque optimè calleret, Urbes non minùs fame subigi solere, quam machinis expugnari, majorem victui adhibuit curam, moderatiùs illum partiendo. Quod & si duriùs miles perferret, ratione tamen, & gloriæ ostentatione tolerare suasit.

B Sensim inter hæc Gallorum, Venetorumque exercitus Civitatem arctare satagebant, & si à . . . . . damno, & incommodo officerentur. Postquam verò ad mœnia pervenere, castra, non citra multorum stragem, posuere. Diviserunt bifariam copias. Veneti in Vicentina porta Orientem solem spectante, consedere; Galli autem in Portam, quæ Mantuam versùs emittit tetendere. Quod duplici ratione excogitarunt; altera, ut itinera, & commeatus obstruerentur, quà obsessis inferri poterant; altera verò, ut propugnatores distraherentur, neve eodem conglobati loco robore firmiori obsisterent. Apposuerant interea hostes utroque ex latere tormenta, mœniaque
C nullâ interpositâ pausâ, ne noctu quidem, pluribus diebus quassavere, adeò ut ingens murorum spatium utrinque demoliti sint. Et Veneti quidem à Vicentina porta ad Campum usque Martis per stadia aliquot eos diruerunt. Nec minori ruina, aut spatio breviori, suum Galli peregerunt inceptum; Quippe à Porta Mantuana, quæ Occidente Sole illustratur, similiterq; usq; ad Urbis Civitatulã (munitionis id nunc nomen est peculiare) prostravere. Nihilo tamen deterriti oppidani aliquam deditionis spem dedere, quamquam XVII. millibus maximarum machinarum, minorumque tormentorum ictibus, & tanti spatii murorum oppositione privati forent.

D Comes interea ea cura non tantùm suum munus obibat, sed alienis non ut unus intererat. Quippe qui circuire Urbem, vigilias mutare, parare machinas, hortari milites, cuicumque operi accurrere, perpetuoque laborans, insomnes noctes transigere; eoque suo studio, & labore devenerant, ut tam graves hostes, tantis mœnibus prostratis, non timerent. Visum tandem hostibus Urbem per murorum ruinam impetere, in eamque irrumpere. Aggressi ergo magno impetu, usque ad verticem eorum devenere, quibus præsidiarii milites suis cum ducibus strenuè occurrerunt; hastis gladiisque cominus pugnatum est. Tandem vi præsidii, & terrore fos-
E sarum, reliquarumque munitionum, quas structas intra Urbem cernebant, deturbati sunt. Hoc in aggressu alteram tuendo partem, boni ducis, ac strenui militis operâ, Comes ipse tutatus est. Depulsis è mœnibus hostibus non parvo damno, & dedecore, aliquantò laxiùs Urbem circumdare statuerant, eaque, postquam vi expugnare nequirent, fame potiri: quarè diligentiùs observari, ne victus inferri posset, curavere. Hæc autem hostium à mœnibus secessio, & si admodum pauca, oppidanis quietem aliquantulam pertulit. Unum tamen Comitem discrimini periculoque majori objecit tumultus militum, qui in præsidio erant,

erant, reposcentium stipendium, & abundantiam, ipsumque appellantium deceptorem, qui spoponderat brevi, & salarium, & commeatum, neutrum hactenus apparere: Ventres eorum, & marsupia variis pollicitationibus non expleri, ac se exacturos frustratæ spei pœnas. His dictis, ingens Germanorum globus in domum ejus erupit, bonamque partem supellectilis deprædatus est, & apothecam omnem exhausit; vini enim penuria maximè laborabant. Comes verò iis angustiis in Arcem, in quam se receperat, advocatis ductorum primoribus, & quibus sanior mens erat, ac inter suos auctoritas major, præsentis penuriæ caussam, obsidionem strictiorem esse monstravit, sic & stipendii dilationis. Nihilominus pro rerum parcitate consulturum; brevi certè Cæsarem suppetias missurum, & omnium affluentiam, stipendiique supplementum; & hoc pro compertò haberent. Interim vasa argentea, & si quid pretiosius ei inerat, etiam quod mutuò invenire potuit, impertitus est. Victus curiosiùs perquisitus, parciusque divisus. Vini cum nihil inesset, primus ipse aquam haurire cœpit, paneque infra secundario uti, nihilque delicatum sibi apponi. Mirum profecto edidit, ut Germani citra merum victicarent, aquaque contenti essent. Iis suasionibus, affabilitate, & exemplo, quievit aliquantisper seditio. Insuper, importunè poscentibus, tollere vestigalia necesse habuit, utque illis vilius utensilia præstinarentur, salario, quo inde se suosque alebat, privare. Sic magna hac in rerum caritate, præsidium pollicitationibus, & spe in officio detinuit, donec subsidium à Cæsarea Majestate advenisset. Quo appropinquante, hostes sublatis tentoriis obsidionem adeò subtimidè solverunt, ut pauci, quibus permissum est extremum carpere agmen, jumenta atque impedimenta nonnulla deprædati sint. Ad hunc finem devenisse tam longum, pertinaxque obsidium (nam sex menses perduraverat) in primis fide, virtuteque Comitis, ferme tenetur.

Liberatâ igitur Veronâ, intromissoque commeatu, visum est Comiti per se Cæsarem consulere; tutelâque Urbis, Vicario ducibusque commendatâ, paucis comitantibus expeditiùs ad ipsum pervenit, à quo benignissimè susceptus, magnificèque laudatus, debere tantis officiis in sui obsequium præstitis multa fassus est, quorum nec inmemorem, nec ingratum fore. Exposito deinde Veronæ statu, & quæ ad eam resarciendam, similiterque conservandam conducerent, postea stipendium militum, quibus suam oppignoraverat fidem, vellet Sua Majestas illico solvere. De provisione Urbis nil retulit. Salarium militare reportavit, statimque expectantibus militibus contribuit; cui gratias egere summas, illumque caritate paterna amplexi sunt; in primis tamen Hispanorum primores. Deinceps non illa sua provida diligentia Urbem concinnabat à Cæsaris reditu, sive ex illo quid præsensisset, sive præsagiret, quod mussitabatur, brevi scilicet Veronam in Gallorum Principis manus deventuram, & per illum Venetis restituendam, conditionibus ipsis notis. Quod non multos post dies cum omnibus liqueret, Comes nemini dignatus Civitatem tradere, præterquam ei, qui illam sibi crediderat, properus Cæsarem adiit, illius Magistratui Urbem, Urbisque curam relinquens; festinationis enim tam citissimæ caussam credimus, ne restitutionis Veronæ ipse

A minister inveniretur. Quò cum pervenisset, humanissimè amplexatus, magnificisque verbis honestatus, proque laboribus proximæ obsidionis exhaustis grates dictæ. Petierat enixè, ut eum bonâ ipsius gratiâ & veniâ liceret jam patriam familiamque invisere, à quibus tamdiu, eminusque, in ejus obsequium abfuerat: quod minimè obtinuit. Imò paulò mox ad nepotem Carolum Regem nostrum pro rebus non quibusvis credendis, suo nomine delegavit. Ibi honorificè susceptus. Noverat enim probè Rex illum Avorum Majestatibus omni vita deditum, utiliaque, & gratiosa illis navasse. Legatione ergo edita, benignèque accepta, responsum per veredarios ad Cæsarem delatum, ipsius ad nepotem approperavit adventum, ubi eum Comes præstolabatur. Carolus quidem Rex præsens videns, quæ de eo diu acceperat, à se discedere noluit, sed in suum Consilium cooptare curavit, in quo summa cum laude hodie degit, perpetuò sui similis, ut ultimo semper officio & decore se augeret, & priora benefacta solidaret; talemque in recens consilium insinuando se laudabili perseverantia gerit. Qui, quamvis Germanorum mores non adeò nostris congruant, brevi tamen illorum perceptâ naturâ humanioribus se adjunxit, reliquos adeò discretè pertulit, ut nulli eorum particeps fieret, nec indigenas omnino horrere videretur, eaque solertia suâ laudabilis omnibus approbaretur. Dumque sui Principis, illiusque Imperii rem ageret, minimè omittebat Patriam juvare, & Civem amicumque bonum se exhibere.

Interea cum ab uxore, reliquisque suis expostularetur impensè, curaretque, ut quàm citiùs posset ad nos rediret, medio hoc tempore nova necessitas permanendi appetiit. Decreverat enim Rex, Consilii Principem, quem magnum Cancellarium vocant, comitantibus è Senatorum plurimis, ad Hispanos mittere, ut res ibi nutantes stabilirent, darentque operam, ne quid turbidi aut novi ulteriùs serperet; utque pedibus irent, ne maris casus eos præpediret; se verò, cum per tempus licuisset, mari assecuturum. Quare multis probis viris & capite depleto Consilio, necesse habuit ipse Comes pluribus negotiis invigilare, cum classis pareretur, instrueretur que armamentis militaribus, commeatuque. Hæc omnia ut diligenter fierent, elaborabat. Interea Regem ad Hispanos tamquam ad Principatus sui columen ire satagentem hyemis sævitia, adversi flatus, horrida fluctuum tumiditas aliquandiu inhibuere, (estque illa transvectio periculosa, & omni parte ferè inhibita) jussit omnem commeatum, & quæ opportuna imposuerat navibus, deportare, expectaturus vernam commodiorem navigationem. In hoc demorandi consilio, ventus, qui hactenus adversabatur, in secundiorem mutatur. Quo viso nauticarum rerum periti mutant sententiam, jubentque incunctanter naves omnes conscendere, asserentes ventos perflare prosperos ad Hispaniæ usque appulsum, idque ipsis observatum. Itaque de quarta vigilia, Virginis Matris natali die spe bona solverunt secundo navigationis flatu, qui non diu tenorem servavit. Quippe tertio à digressu die adversi flatus adeò sævi surgunt, ut iter ad destinata peragere denegarent. Nautæ ergo quantum per tempestatem licuit, ad Regem deferunt, maxime in discrimine rem versari: impossibile quippe his flatibus incœptum peragere iter. Tria superesse, è

è quorum uno sibi & classi consulere possunt: aut si proras, unde moverat, verteret; aut si portus alienæ ditionis intrare vellet; tertium si per æquora errans opperiri ventum vellet. Quibus Rex nullo modo rediturum se dixit; in alienas manus prorsus non desiderare se deventurum. Darent operam, ut errando opportunitatem perficiendæ viæ expectarent. Errando ergo juxta Regis sententiam & imperium, ecce optata maturiùs spes perficiendæ navigationis suæ apparuit; flatus enim quietiores, ac ad Hispaniæ litora ducentes adfuere. Directis igitur illuc prioris, modò plenis tumidisque velis, modò placidis, & malis adhærentibus, suum tenuere cursum. Itaque dum montes videntur Hispani, Rex viciniori litori exponi se jubet: nausea & navigationis molestia adeò eum turbaverant, ut ad portum non eminus adire neglexerit. Pagum autem, quo tantùm Regnum auspicaturus erat, modicis & paucis potiùs mapalibus, quàm casis inhabitatum vocant incolæ Villam-viciosam, ubi parumper propter incommoditatem moratus, per montes inclementes & asperos ad frequentiora ire contendit, donec ad optata perveniret. Inhibuit enim proceres Regulosque Hispanos etiam Celtiberiæ, quorum fœcundissima est, sibi occurrere, excusans hospitiorum penuriam, jussitque in Valle Olitana se illuc properantem opperiri; commodiùs illic futuros incolatuque & annona. Hæc sunt ad nos de Rege, comitatuque perlata. Nec ignoro, navigationem hanc contemtui gestorum nostri Principis fuisse; sed quoniam obsequiosam in suos Principes perseverantiam nostri Comitis innotescere volumus, non ab re huc divertisse videor.

Navigaverat enim Joannes Baptista prius, & mox Comes interna fere maria omnia, quorum discrimina & varios casus perpessus, nil tamen deterritus, quin Oceani diros procellososque fluctus, importuosaque litora, & maximè hoc in trajectu experiri voluerit, cum probè nosceret nostri maris Mediterranei tempestates & turbines malaciam esse ad trajectum a Flandria ad Hispanos hyberno maximè tempore. Dum Rex noster ibidem, quo convenerat, componendis Regni rebus recenter aditis, conventibusque peragendis immoraretur, cunctis Comes adfuit, cujus & fides, & auctoritas omnibus approbata est, ita ut Hispani, quem olim integrum apud Regem vita functum, fidumque cognoverant, tunc sagacem & consultissimum Senatorem perspexerint. Verebamur interea, qui tam diuturna absentia torquebamur, ne laudabiliora ejus opera, & ejus in Principem caritas diuturniorem efficerent, cum minimè sperantibus allatum est, Regem commeatum dedisse, ut bonâ suâ veniâ domum reverteretur: quod quidem tam gratum, non solùm nobis necessariis, sed omnibus exstitit, ut vix præ nimio desiderio crederetur, donec digressum à Rege audiremus. Itaque Patriam versùs cepit iter ad quam III. Nonas Junii terrestri itenere pervenit, magnoque cunctorum favore & amore admissus, adeò ut ultra Capuam pars ei occurrerit maxima, & omni via Neapolim usque obviam iverit gratulatum ei adventum. Eaque frequentia Urbem introivit, tantoque comitatu conspicuus, non minori Civium frequentia in compitis, viisque, per fenestras quoque mulieribus eum percarissimum spectare cupientibus, ea pompa instar ovantis in Arcem, Vicegerentem salutaturus, devenit, atque inde læto spectaculo omni Civitate deductus est.

Post tam multos laudabilesque exantlatos labores, post nomen ingens meritò partum, post tot itinera impigrè confecta, tamdem Comitem, Ferdinande carissime, tibi domum reduximus bene auctum, & cumulatum honoribus, & amore. Quem, si vis, vivendi præsentem normam, & quidquid aut discere, aut imitari optaveris, intrà limen domûs uno exemplari, Patre scilicet tuo, invenies. Nec mercedem ullam reposcit, nisi ut se Patre dignus Filius dici vocarique possis. Ergo incipe tempestivè gratias reddere, ut jam noscat, quem fortunarum successorem habere voluit, eumdem sui imitatorem videat. Quamobrem illum sectare, illiusque loquentis ex ore pende; motus, gestus studeas pro viribus sequi, quæ te citiùs & rectiùs ad metam probitatis ducant. Nec lineam, nec regulam invenies, minimèque Præceptorem omni Jure, qui te instruere tanta caritate & experientia possit, & velit. Debes profectò multum. Etenim ultra genituram educavit te instar magni viri filium, & cum minimè equos conscendere posses, mannulos tibi paravit. Mox quando adolescere cœpisti, grandiores adfuere equi, vestes pro ætate satis splendidæ, & sumtuosæ, tum sericæ, tum laneæ, adeò eximiæ, ut sericas illas pretio vincerent. Pædagogos, quibus Latinas Græcasque literas perdisceres, comites insuper, qui tecum perreptantes adirent, honestosque tui amatores apposuit, & gladiatores, qui te retusis ensibus instruerent, ut quando necessitas incumberet, cuspidatos dexterrimè inferre ictus, & cautè declinare noscas. Et postquam nostra ætate etiam ingenuis Musica in honore pretioque habetur, peritos calientesque eam tibi adhibuit, qui cantare & saltare probè docerent, ne quando fortè rusticus & indoctus dicereris. Ac te modò virum ingenti matrimonio copulavit, utpote Bisiniani Principis ex sorore nepti, itemque Ducis Andriæ, ejusque fratris Neritoni Marchionis filiæ. Magna profectò hæc, sed plus quia te virtutibus addixit; lasciviendi enim viam obstruxit. Cum ergo memineris te Viri, tot tantisque dotibus prædìti, Filium & heredem, nil profectò turpe, si illum mente revolveris, cogitare, nedum perficere audebis; & si fortè quid indecorum subieris, protinus abjicias, & nullatenus ad effectum perducas. Perge ergo assidue hæc meditari, ne memoria excidant, & summopere observa, ne à paternis vestigiis divertaris. Quod si is fueris, quem optamus: omni studio imitari conaberis. Sin autem (quod avertat Deus) secus vixeris, & ad deteriora perlaberis, scias, id magno futurum opprobrio & damno, & felicitatem quietemque, quam parentes tui tanto labore, industria, periculo, sibi tibique hereditariam paravere, male vivendo corrumpes: & parentes tristes mœrentesque tuis nepotibus reddes. Quod te vitare iterum atque iterum moneo, maximè cum nulla peccandi oblata fuerit occasio; quin imò cuncta ad honestè vivendum ultro parata & apposita fuerint. Vale, & si te tuosque parentes amas, te dignum iis filium præsta.

DE VARIETATE FORTUNÆ,

AUCTORE TRISTANO CARACCIOLO.

ETsi omnia vanitati submisisse, sapientissimum Salomonem illum credebam, & ea præsertim, quæ sensibus noscuntur, & manibus tractantur; assertione tamen volubilitatis nostrorum temporum factum est, ut non modò credam, sed videam, manuque tangam, esseque rata existimem. Quippe legeram apud illum, & nonnullos alios, antiquarum varietatem rerum, audieramque præsentium, quàm infirmi essent dominatus, & Regna, quàmque fluxæ & labiles opes & divitiæ, quàmque momentanea forma & pulcritudo, quàm denique pervia pœnitentiæ voluptas & lætitia, quibusvis deliciis comparata. Quæ cum summo studio, maximaque facundia retulissent, & adeò præ oculis illa nobis posuissent, ut pæne cernere videremur: tamen longè magis movent, afficiuntque, quæ nostra ætate contigisse novimus, & tanto efficaciùs nos vexant & premunt, quanto infeliciores fuisse etiam illos castos, priscos, & sanctos viros, præsentia hæc arguunt, ita quod cum miseremur majorum, & affligimur præsentibus, de posteris melius sperare desipientium esset. Ergo ita circumsepti ab hac vanitate & volubilitate rerum vivimus, quarum nos pars maxima sumus; pudet dixisse sumus, cum homini tam nihili, tam futili, suique incerto, minime conveniat, nisi ad supera stabilia, perpetuoque læta, quibus conditus est, pro sanctis Dei monitis & mandatis se erexerit. Ad quod maximè facit, reliqua (præter Animum, qui solo divino fultus auxilio ingentia, & immortalia optare, & assequi potest) contemtui despectuique habere, atque illa faciliùs nos ad se trahentia, quàm vana, inutilia, fallaciaque sint, jugi memoriâ per exemplorum ostensionem noscere. Omissis ergo antiquorum variis deficientis variantisque vitæ casibus, quibus omnis scatet Historia, conemur ea, quæ hoc nostro Regno, atque ætate gesta sunt, recensere, utpote spatiis viciniora, quæ magis nos cautos ad nostram conditionem noscendam reddere valeant.

Igitur ab expugnatione hujus nostræ Urbis ab *Alphonso Aragonum Rege*, ejusque direptione, ut par est, tristi enarrationem ordiemur. Antehac gestorum per me nihil novi, & hujus rei minimè meminissem, ni magnitudo facinoris pavores ingentes, strepitus, & discursus diripientium Civitatem tenellæ memoriæ servandum impressissent. Cepit Urbem Alphonsus, exegit hostem Renatum, triumphavit more Majorum, qualis ante eum apud nos nemo ostendit se Regem; &, quæ Majestatem Regiam decent, exercuit, donavit, regia spectacula edidit, & magnifica cujusvis generis, nuptias celebravit, equestres hastarum ludos, convivia, & sacrorum pegmata exhibuit publicè; & ut paucis absolvam, nil denique omisit, quod sibi laudem & gloriam, Populoque hilaritatem exhibere posset. Quin & venatui, aucupio, Venerique affatim indulsit. Regiam nobili, speciosa, magnificaque supellectili ornavit. Auleis exquisitissimè elaboratis argento, auroq; adeò abundavit, ut repositoria in Turris effigiem substructa, vel erecta, sustinentibus animalibus eodem metallo fabricatis, suisque pretiosis armis instructis, multiplicibus vasibus non ad usum tantùm, sed ad invidiosam ostentationem opplerentur. Gemmas, margaritas, carbunculos, ceteraque id genus pretiosa enumerare vanum esset, cum constet, iis rebus reliquos suæ tempestatis anteisse Principes, interjectionibus tamen iis, quæ lætitiam sæpe interrumperent, multaque etiam, quæ mœrorem, querelasque inducerent, Germanorum ignominiosa relectio ex Hispaniis; & alterius mors; patrimoniique ibi amissio; clientes, partiumque suarum fautores, tot Hispanos Principes viros ad se exutos bonis, exulesque devenisse, quibus consuluisse, & eorum victui prospexisse non sine angore animi credi par est, dispendioque maximo; & præcipuè cum præsentibus illis, se aut impotentiæ, aut ingratitudinis argueret, cum talia passos sua sub spe videret; bellorum infelices exitus; solutæ cum ignominia, & derisu Urbium obsidiones; crematæ ab hostibus naves intus Neapolitanam molem; ipsoque spectante obsessa, & pretio redempta classis corrupto aëre; adversæ profectò minæ adventantis Andegavensis Regni æmuli, magna Italiæ parte, & Pontifice illum attrahente; præsumti Regni novi motus (quibus parem nequaquam futurum multorum opinio erat) maximè vexabant, & felicem negabant. Ad hæc heredis sollicitudo, quando ipse Ferdinandum nothum in hoc Regno sibi succedere vellet, & fortè Carolus Vasconum Princeps ex fratre Nepos adesset, & valetudine, qua decessit, aula omnis esset in factiones partesque divisa: cum alii Ferdinandum, alii Carolum Regem vellent, quæ eum graviter

viter ægrotantem non latebant, adeò ut triduo ante obitum è nova Arce, cujus occupatio plurimum ad Regni successionem referre credebatur, ad Megarim, quam nunc Ovi Arcem appellant, transferri se voluit, ne promiscuus utrisque pateret aditus, sed tantum iis, qui filium Ferdinandum Regem præoptabant, in cujus verba & Arcis Præfectum jurare coëgit. Iis sollicitudinibus, molestiis, curisque anxius decessit, morbo insuper immundo, & pertinaci, involuntario scilicet, insensibilique spermatis fluxu. Hæc exitialis illi exstitit valetudo. Sed quoties lustratam Urbem meminimus, & suscepta redditaque vota, periclitante illo? Quot læta, tristia, magnifica, modica, & Regi, & Populo suo mors momento composuit? Numeratur etiam inter ea, quæ tristem illum reddebant, præsumtio, futuræ successorum minæ. Dum enim Castrum novum ex diruto tam nobile restitueret, sæpiùs dixisse fertur: *Si aliud, quam Novi, loco nomen inesset, profectò ne quadrantem quidem in illius instauratione erogaturus esset*: Si quidem pro comperto duceret, & Arcem, reliquumque Regnum, non diu post in alienas, hostilesque manus deventura. Sed idem, quod priùs Castro servante nomen, non velut munimentum à se positum; sed prædæ loco cessurum hosti. Potuerat Regis hujus vita satis documenti dedisse, quam infirmæ conditionis simus, qui tantum Regem sic jactatum fortuna vidimus; nisi filii, nepotumque progressus & exitus id clariùs ostendisset.

Adsit ergo *Ferdinandus* filius, & hic Regnum auspicatus, adeò crassante pestilentia, ut Neapolim relinquere, Capuamque secedere coactus sit, nondum stabilita re, & nutante Regni magna parte novitatibus audente, id procurante *Callixto* Pontifice maximo, qui non desistebat Proceres, Regnique populos adversùs illum suscitare, tum Pontificali auctoritate, tum Ecclesiæ prætenso jure: Miserat enim diplomata, quæ Bullatas hodie literas nuncupamus, quibus cuncta in favorem Ferdinandi edita à primoribus irritabat, eumque deinceps regnare inhibebat; subditosque sacramento solvebat. Hæc quotidie intentiùs meditantem Pontificem mors occupat, in cujus locum *Pius Secundus* suffectus, adeò benignum, favorabiliemque illico Ferdinando se ostendit, ut Callixti revocaret literas; & anteriorum in Ferdinandi favorem, additis insuper suis, ratas haberi voluerit; quin etiam Legatum, qui corona, reliquisque insignibus Regiis illum ornaret, in Regnum miserit. Vix coronam sumserat, & ecce Tarentinus Princeps ipsius Ferdinandi uxoris Avunculus, unà cum Rossani Principe ejusdem Ferdinandi sororio, quos quasi stabilimentum successionis Alphonsus pater illi providerat, plerisque aliis sibi adscitis ad Andegavensem defecere, in illumque evocatum juravere. Itaque factum est, ut reliqua fere Regni pars ab illo brevi defecerit, despicabilemque haberet. Nec defuere, qui eum insidiis appeterent, quippe cum per intermedios conventum esset de compositione cum Rossani Principe, coram per se remotis arbitris agere, ad destinatumque locum uterque devenisset, duobus solis comitibus, non propugnatoribus, sed spectatoribus potiùs, ubi nunc data receptaque salutatione, paucis ultro citroque habitis verbis, Princeps sociis ad id ductis annuit, illicoque strictis gladiis in Regem pergunt, qui & ipsum ad propulsandam vim nu-

A dato gladio offenderunt. Referre solebat Rex, cum inter loquendum verba Principis titubantia, minimeque præsenti congressioni accommoda accepisset, in suspicionem futuræ perfidiæ devenisse, ideoque tam paratum promtumque hosti se obtulisse. Deveneruntque tamdem cominus, ut gladiis se impeterent, pluribusque ictibus nequidquam illatis (erant enim utrinque armis muniti) Rex à tribus fere circumventus, eà se alacritate tutatus est, ut illæsus hostes dimoverit. Interea, qui eminus spectabant, voces sustulerunt, & Regis comites se proferre cœperunt. Sic frustratus opinione Princeps cum comitibus reversus est. Repertum, ubi decertatum est, mucronem accepere,
B & veneno tinctum fuisse deprehenderunt; exciderat enim inter impetendum è tribus uni.

Non diu post apud Sarnum profligato fugatoque exercitu, castris amissis direptisque, tutari se Neapoli fuga necesse habuit, ubi obsessi instar, usque ad suppetias degit adeò arctè, ut gratia remittendi curas, inter astantes mœnibus ruinas ac macerias accipitribus aucupatus sit. Quo tempore Isabella uxor quotidie in Divi Petri Martyris claustro, vasculo ante se posito velut stipem emendicaret ab iis, quos ad hoc evocaverat, pecuniamque in sui, militumque subsidium mutuò posceret, artificumque omne genus, ut sibi, viroque indigentibus quilibet sui artificii opera crederet,
C persoluturam se brevi, occasione oblata, polliceri, inter preces & verba minas indicantia excidebat. Sicque factum est, ut non modicum & pecuniarum, & operum in subsidium comparavit. Interea insontes aliquos exules, extorresque exegit, (fortè non sine mœrore, & animi angore credi potest) sive ad id metus & suspicio adegerit, sive importunitas eorum, qui talium delatores, & in Regem caritatem ostenderent, & sibi laxiorem apud illum locum facerent. Adde & liberorum immaturas mortes, quorum alterum in Patrum Collegium cooptari curaverat, ingenti cura & impendio, ut esset in officina illa, ubi demolitoria Regum Siciliæ plerumque fundantur,
D qui jugi animadversione orientia in patrem mala deprehenderet, quæ faciliùs caveri possent. Quòd si mors huic se cautioni opponens, suum morem secuta non fuisset, bene certè consultum erat; quippe eum se gerebat, ut multa, quæ domum & familiam subverterunt, ipse forsitan ne inciderent, avertere potuisset. Quique senio & valetudine ad id devenerit, ut armorum meditationes, venationesque, adde lusus, quorum studiosissimus, & æquè appetens exstiterat, fastidiret, adeò ut omnem Civitatem una consenuisse diceres. Nonne toties queri audiebatur, quod jam nec dapes sumeret, nec vinum sapidiùs biberet citra displicentiam & dolorem, propter dentium orisque
E infirmitatem? Et citra omnem reliquam vitam adeò putidiusculus ac morosus devenerat, ut neminem esse, qui cœnam struere, neque vestes aptare, lectumque illi sternere sciret, impatientia pueri soleret? Et tamen iidem erant, quos nuper laudare, & in suo quemque officio agilitatis ac sedulitatis extollere consueverat. Veniamus ad metam. Finiitne labores ærumnasve saltem cum vitæ usura? An potius deficientibus deliciis, viribus, & vivendi caussis, ærumnæ & anxietates magis viguerunt, quæ profectò omnem priorem felicitatem delere potuerint, & novissimè inexpectatus eventus, si felicem illum invenisset, reddidisset profe-

ctò

ctò infaustum & mœrentem. Nemo enim in animum induxisset, Pontificem cum Mediolanensi Ludovico, per se Ferdinandum Regno perturbare diffisum, ad ducendum in eum Francorum Regem conspirasse. In quorum suspicionem cum devenisset, dissimulans, Oratores ad quemlibet machinantium, tamquam ad amicos destinavit; quin etiam ad Gallorum Hispanorumque Reges ante suspectum, exploraturus, an vera sibi delata essent; & si vera reperissent, tentarent illa nihilominus quovis modo infringere; quod si nec hoc quidem succederet, auxilium ab amicis exposcerent. Illi verò per literas certiorem fecerunt, à Pontifice, & Ludovico sibi verba dari, idque liquere ambagibus dolosis, inconstantibusque. Qui verò ad Gallum ierant, ad illius conspectum non admittuntur; dona, quæ attulerant, repudiata, & remissa, suosque etiam fines ocissimè exire jussi, palamque Regem Regi suo hostem esse admoniti. Ex Hispanis autem, etsi non adeò hostile, ambiguum tamen allatum est responsum, quo credo satis patuisse Regi adversam illius mentem. Nondum Legati redierant, & ecce subinde aderant nuntiantes, Gallorum Regem exercitum cogere, adesseque Italorum legationes, quæ illum approperare urgebant. Cum jam accepisset, magnam partem Alpium transgressam, subsequi Regem ingenti comitatum manu, indicto priùs per præconem bello, spe decidit, cernens tam valido ab hoste, totque sociis fulto, se illi imparem, nullum opperientem auxilium peti. Tot hæc confluentia mala senem & ægrum consternatum reddiderunt, ut sæpe secum obloqui auditus sit, & sæpe etiam adstantibus amicis promisisse verba, nihil ad præsentem sermonem facientia, sed curam sollecitudinemque adventantis hostis, sociorumque illius, in se odium, immenso ingentique dolore percitus, intempestivè edere noscebatur. Creditur etiam non citra verisimile tristibus nimiisque vigiliis curisque debilitatum caput in catarrhum incidisse, quo biduo extinctus est.

Scio, non deesse, qui Principis hujus reminiscentes, superficie tenus, vitam considerantes, felicem fuisse velint. Noverant enim illum ex omnibus adversis majorem emersisse; perspexerant etiam, in multis divinum adfuisse auxilium; quippe Callixtum Pontificem tam infensum hostem, & ad nocendum efficacem, morte absumtum, suffectumque in ejus locum Pium, qui adeò benignè amicèque cum illo egit, ut ne pater quidem amiciùs agere potuisset. Meminerant, post adversam apud Sarnum pugnam, opportunè copiosèque illi subventum, & fugatum hostem, & è Regno tamdem exactum, deque adversarum partium fautoribus, & suarum desertoribus pœnas ex animo sumtas. Viderant illum quandoque usum firmo validoque corpore; armorum equitandique peritia non tantum Reges, & sibi pares anteisse, sed multos, quibus ea res peculiari exercitio gloriæque fuerat, superasse; & strenui militis, providique Ducis sæpe navasse operam; voluptates sibi undique comparasse, illisque fruendis fortunatissimum. Hæc profectò magnifica, lætitia gaudiisque plena, felicitatem parturientia, iis fortasse videri possunt, qui segregata illa tantùm cognoscunt. Nam si mala & incommoda illis inserta & intercurrentia novissent, non ejusdem fuisse sententiæ reor. Nos autem utpote illorum tem-

A porum conscii, imparem quantamcumque illius lætitiam spectamus, quæ aut non statim, aut paulò post, aut parem, aut majorem tristitiam attulerit. Quin finis rebus felicitatis, & miseriæ nomen imponere solet. Revertar ergo unde prodieram, asseverans, quod prædixeram, inanem vitam, fictilem, & ut sapientis verbo utar, vanos omnium mortalium deprehendi actus. Cujus documento satis esse potuisset duorum Principum vita & exitus, nisi infelicitas filiorum se obtulisset.

Quid enim hilaritatis inesse potuit successori *Alphonso*, cognomento *Secundo*, quem diademete insignem, raptari per Urbem vidimus, & exultantibus reliquis, ipse tristi, reductoque vultu, & minimè tantam celebritatem decenti visebatur? Rescitum est postea, eo ipso die certiorem factum, trascendere jam Alpes ingentes Gallorum copias, quibus defectus omnibus minimè per se obsistere posset. Discerne ergo tu in hujusmodi commissuris tristibus ac lætis mentis humanæ habitum. Desperaris de se rebus, credens in se conceptum odium, non etiam in filium perseveraturum, illi Regnum, vel potius Regni nomen reliquit; conscenditque triremes, Celtiberiam petiturus, in Siciliam deflexit, nec ulterius navigare per suos licuit, ubi velut non liber, arctius custodiebatur, Messanæque decessit, ibique ejus ossa ad hunc exulant diem.

C An *Ferdinandus* filius benigniori usus est fortuna, qui vix adepto umbratili Regis nomine, coactus est etiam arcem hosti tradere, quam se spectante, Germani, quos præsidio relinquebat, diripientes, vix illi tutum ad naves, quibus discessurus erat, perfugium præstitere; non tamen sine maximo periculo, & trepidatione; & tamen hic post adeptam temporaneam victoriæ laudem, ob nimios labores, assiduasque curas in lethiferam valetudinem incidens, statim Neapoli moritur, ejusque ossa in Divi Dominici æde reposita, unà cum cadaveribus majorum suorum, eodem arsere incendio.

D Adsit *Federicus*, qui novissimus ex illa familia apud nos regnavit. Ostendet profectò, quàm cœnoso, salebrosoque itinere pertractus sit ad infelicem metam. Quippè ipsum momentum, quo induere eum Regno, cujus id munus erat, ostendebat exuere fortunis; & si quid pretiosæ supellectilis supererat, cepit, & subindè non destitit. Spectabat animo magnos Christiani orbis Principes Regno inhiantes subdolè exitium sibi parare; & quando forsitan Rex rei suæ bene consulere potuisset, dolosis perfidisque suasionibus, & minis, si non clarè prolatis, apertis tamen conjecturis inhibitum. Non parum afflixisse eum credimus, talem se haberi, ut non puderet Pontificem *Alexandrum*, legitimam Regis filiam

E sibi nurum exposcere, darique spurio, qui nupèr Cardinalis, eum coronaverat Regem. Quod cum minime successisset, destinavit omnino Regem, Regnumque subvertere; utque facilius res succederet, obsistique minimè posset, adscitis duobus maximis Principibus, quorum uterque Regno aspirabat, illud inter eos divisit, Pontificalique auctoritate, quà divisionem firmarent, Federicumque fugarent, sanxit. Insuper militem, Duce filio, qui Coronam attulerat, cum Gallorum exercitu ad Regem exigendum misit: quod brevi perfecerunt, cum post interneciosam perpudendamque Capuæ Urbis direptionem, deploratis rebus,

bus, coactus sit, qualescumque conditiones accipere, & si indignas. Itaque Gallias cum infantulis liberis, uxoreque exulatum, seu mendicatum, pro tutiori liberiorique petere visum est. Quemadmodum autem receptus habitusque sit, illius comites, qui adfuere, longè melius recenserent. Majusculum è liberis, quem Ducem Calabriæ declaraverat, Tarentum cum præsidio tenentem, Hispani obsederant. Tamdem conditionibus sibi prænotis, illorum Dux, cui se crediderat, illico ad Ferdinandum Regem Catholicum in Hispaniam misit, volentem, an invitum, hoc quoque ipsi sibi norint, cujus facti notitiam auctarium fuisse paternæ calamitatis, nemo sanus dubitare potest. Hoc anno statu, & fortuna spoliatus Turoni mortuus, & sepultus, cum ossa Neapolim deferri exposceret, negatum est. Nec secum fati iniquitatem terminavit. Quippe annuum salarium, eo statim mortuo, Uxori viduæ mulieri, ac orbis patre pueris subtractum est; cui etiam exeundi fines constituta dies est, certiorque facta, à neutro Regum aliquid ulterius subsidii se habituram. Quam in Mantuanum agrum ad Antoniæ sororis suæ, etiam viduæ, jura se recipisse audivimus, ibique vitam ducere, qualem, qui aliena mercede, & diurna liberalitate victitant. Nihil tamen perpetuum, sed ne anniversarium illi quidem à quoquam elargitur. Hunc non modo Federici exitum, sed reliquorum, qui à primo Alphonso ad eum regnarunt, pensiculatè singula expendenti, & invicem conferenti, proponderasse tristitiam liquere credo; & læta, si quæ arrisere, instabilitate tamen, & brevitate adstipulata sunt Salomonis sententiæ, omnia vana, atque futilia, dicentis. Quam sententiam confirmat Severus Romanorum Princeps, qui cum per civiles militaresque artes ad Imperium pervenisset, & rerum summa potitus fuisset, pro nihilo ducens subtristis exclamavit: *omnia fui, & nihil expendi*.

Et ambagibus captionibusque ambiguis omissis, quod mortui infeliciter, misereque quam plurimi eorum sint; Regnum, resque omnes ad hostes devenerint, prævidentibus ipsis; omnia denique fumo evanuisse celeriùs, nemo inficiari audebit. Talia sibi, qui magnus, & felix videtur, meditari velim, noscatque Principibus illis non defuisse opes, non vires, non consilium, quominus affinitatibus, amicitiisque stabilire etiam Regni successionem possent; porro qualitèr evanuerit, videat. Hominem ergo se ex iis noscat, & ne se impleat falsis magnitudinis felicitatisque nominibus. Statueram nostri tantùm hujus Regni revolutiones, & Principum defectus recensere; sed & affinitatis copula, fatique similitudo exire limitem, etsi non loci, non tamen temporis, ad aliena transire cogit. Quæ diximus magna ex parte vidimus; quæ dicturi sumus, relatu fidelium quidem narrabimus. Quare quoniam notissima proferemus, à mendacii suspicione tuti erimus.

Sfortiadum qui primus Mediolanum sibi comparavit, *Franciscus* fuit, vir insignis pace belloque, & singularis virtutis, quem si ad nos usque Deus incolumem servasset, ingentia mala, quæ familiæ suæ evenere, avertisset. Hic Mediolanum adeptus, paucis post annis, quàm Alphonsus I. Neapolim, siquidem hic Regnum Anno salutis Christianæ 1442. auspicatus est; alter verò Ducatum Anno 1450. totidem fere annis, eodemque modo intersitis, quo ipsi regnare cœperant, filii desivere. Quippe Franciscum Mediolani florentem, magnum profectò referentem Principem, & majoribus illis priscis comparandum; multis venustisque liberis lætum; Aulamque ejus omni nitoris genere fulgentem; consultissimum Senatum jurisdictioni Præsidentem, nec inferiorem conventum, cum transigeret cum Principibus, Rebusque publicis negotia; numerosam insuper rei militaris manum, egregieque instructam, qua non modò suos fines tutari posset, sed alienis quoque terrori esse; eumdemque fultum, & erectum magnificis, validisque amicis, & affinitatibus magnis, atque honestis, hunc ipsum non diu post spectavimus malè affectum valetudine. Turgebat enim aqua intercute; vigor ille oculorum, quo maxime polluerat, vivacitatem alacritatemque perdiderat; os lividum & esangue spectabatur; armorum ludi, cantus, saltationum hilaritas, quibus maximè delectatus fuerat, tædio illi jam devenerant. Inerat successor non parum molestiæ Patri ingerens, de quo pessimè ominabatur. Nec id amicos celabat mœrens; prætendebat etiam egestatem, se exhaustum obæratumque Neapolitani Regni proximo bello, quærens militum stipendia: quare familiam minùs solito elegantique cultu ornatam videres, Aulamque reliquam pristinæ collatam, rudem & impolitam; subsquallebant enim subtractis salariis, & donis, quibus illi commodius vivere solebant. Urgebat illum insuper assidua, veluti captivi redemtio. Noverat enim Gallorum Princeps, Franciscum Ducem maximè timere, & cavere, ne si quid petiisset, denegaret. Quare non desistebat subinde mutuum sine restitutione exposcere, quod licèt ingratis, præstabat tamen aliquid, quod etiam nominibus ad præfinitum tempus non respondere dicebatur. Hoc in statu decessit; felix, an secus, exactiori judicio relinquamus.

Successor *Galeatius*, qui patrem de se malè opinantem vexaverat, variè, dissimiliterque in utraque parte se gessit, neutri satis constans. Et hic ipse velut victima à domesticis frequenti multitudine Templo in ipso suffossus est. Qualem vixisse credimus, quem timor, interna loricula, munitum prodire cogebat? Cujus rei non ignarus percussor non pectus, sed inguina iteratis ictibus repetiit. Infantem filium, qui remanserat, mater patruique alendum, tutandumque suscepere. Bone Jesu! quam brevi concordia id egerunt! Quippe divulsa in partes domo, modo uxor læviris insidias parat, modove factionis metu fugere compellit, ipsaque in fuga unus eorum rapidi fluminis transitu mersus & obrutus est.

Rediensque mox *Ludovicus* exilio, de patria, deque ejus fautoribus pœnas abundè sumsit; puerum, arcesque in suam potestatem tutelamque suscepit, diuque pro tutela imperio usus est. Tamdem Dux idem, & fratris filius, cujus tutela gerebatur, moritur, constante fama, quod à Patruo veneno sit extinctus: quod verisimilius factum est, quando statim se declarari Ducem voluit, exstante filio peremti Ducis. Et Ludovicum ejusmodi patratorem audivimus, hostium vim, populique inconstantiam veritum, Mediolano aufugisse, omneque imperium & arces tam munitas, tamque de se benemeritis traditas, nulla cunctatione hostibus præbitas, & si revocatus est

est Mediolanensium favore, sui tamen maximo exitio. Revocaverant enim eum odio Gallorum, & sperabant plerosque eadem de causa facinus sequuturos suum. Quod minimè evenit. Quippe ostensum est, quàm Gallorum odium non minus reliquorum, quàm Mediolanensium fuerit; sed timore detenti, ne illos sequerentur, inhibiti. Cumque neminem sibi auxilium ferre conspiceret, exercitu Mediolani comparato pergit ire obviam Gallorum copiis ad Arcem obsidione liberandam adventantibus. Dumque brevi castra è regione consedissent, ecce Helvetiorum manus pro fidissima conducta, & hactenus habita, eum hosti tradit, quem partium adversarum Duces unà cum parvulo ex fratre pronepote, appositâ custodiâ ad suum Regem in Galliam misêre. Finem illorum expectatum breviùs referemus. Alter eorum, Ludovicus scilicet carcere detentus, noctu caveam intrare ferream, instar feræ, cogebatur; talique statu decessit. Alterum nepotem inaudito modo, ne gigneret, emascularunt, non exsectis quidem testibus, sed sacris initiato, utque perpetuo celebs, & ut ita dicam Claustralis esset. Habetis Sfortiarum magnitudinis, & Regni originem, & terminum; quamque fuerit brevis, qui ne hominis quidem senioris ætatem excesserit, quamve Regni illud fuerit varium, & exercitatum, quantisque periculis, & infamia laboraverit, qui propiùs astitere, dicant. Nulla enim scribi posset tam sæva, scelestaque Tragœdia, cui Domus illa non copiosam materiam suffecisset. Fuerint utinam documento felicitate elatis, & arrogantibus, qui ne ipsi quidem Deo accepta referunt, harum exitus Familiarum, quas retulimus, quarum Principes dum ex se suaque prudentia, & consilio regere autumantes, & augere Imperium posse, interim Divinum exposcere auxilium negligunt, & ea mentis cæcitate plectuntur, ut uterque utrique invidens, nec alter alterum augeri permittens, se invicem perdidere, hostibus facillimè præbita opportunitate. Nec mirum videri debet, tot Italicas gentes Principatibus defectas, me præteriisse, quoniam in animo fuerat nil exterum recensere. Quid enim me traxerit ad Sfortiarum mentionem, jam dixi. Revertar ergo ad propiora, & magis nota, utpote quæ nos afficere, & in memoriam nostræ imbecillitatis efficaciùs ducere valeant. Regum igitur enarratis inconstantis fallacisque vitæ eventibus, par est, qui primi ab ipsis sunt, citare. Ii profectò Principes habentur, non Regio tamen orti genere.

Horum maximus, quos ætas nostra tulit, *Johannes Antonius Ursinus* exstitit, quem plerique ejus tempestatis viri faustum, felicemque clamabant. Spectabant enim suos adeò produxisse fines, ut Tarento digredienti liceret quotidie in suas ædes, locaque divertere, donec Neapolim perveniret; Ducatus, & Comitatus tot sibi congregasse, ut singulorum enarratio fastidium audientibus generare posset; quin etiam Principatu militiæ, quem nostri Comestabulatum vocant, pollere, è septem Viris, qui Regi in solio ardui aliquid molituro adesse debent, facilè Princeps. His tot prosperis specie tenus prospectis, facilè erat talem æstimare, si non pressius rem & vitam taxare, inspicereque vellent; invenirent nimirum, unde judicium mutarent. Ne verò inscii errent, quod de illo cognovimus, fideliter referemus. Is puer relictus à Patre, cujus tutelam Maria mater gerebat, hæc mox in suspicionem venit alienati à Ladislao Rege animi, versique in Andegavensem Ducem illius æmulum. Ut verò tanto discrimini occurreret (plurimum enim intererat Tarenti amissio) Rex festinans, Tarentum cum Maria liberisque obsedit. Tandem Mariam Regi matrimonio sibi jungi visum est. Quo peracto receptis arcibus Uxorem Neapolim cum liberis transtulit, ubi Uxorem, non ut ex animo ductam habuit, illius filios, suosque privignos pro obsidibus custodiri jussit. Hinc ordiri felicitatem cœpit. Mortuo verò Ladislao, Mariæ nuper Reginæ, ut se, filiosque liberam assereret, recuperandiqne suum, liberorumque patrimonium facultas daretur, visum est cuidam, privato quidem, sed Principi suo percarum, uxorem dare filiam, atque illa oppida, & patrimonii partem genero, etsi nobili, sed nihil ad filiæ natales, donare: quod non sine aliqua nominis diminutione, & inter ingratos, facta haberi posset.

Qui Joannes Antonius cùm adolevisset, & res per se ageret, & ad officium Reginæ Neapoli adesset, adeò ne caperetur expavit, ut ex Capuanæ Arcis promurali se præcipitare non hæsitaverit. Sic exsternatus fugâ citissimâ, subinde respectans adesse, qui se vinctum retraherent, oberrans, non ante requievit, quam ad matrem, domumque pervenit. Non diu post exigente ætate, naturaque stimulante, cœpit arma tractare, seque Ducem gerere: quare suspectum Reginæ se fecit, quæ decrevit illum omnino perdere. Tribus ergo brevì comparatis exercitibus ad eum delendum tres Duces misit; Ludovicum scilicet adscitum in filium cum suis copiis, Legatum ex Regia, qui Prætorio imperaret, & Jacobum Caudolam cum sua manu Ducem ea tempestate eximium: qui brevì maximam Civitatum, & Castrorum partem illi abstulerunt. Restabat Tarentum cum paucis communitis fidisque Oppidis, quæ facilè eadem illa ætate amisisset, nisi peropportunè Reginæ mors intercessisset. Quare expectatio majoris motus, Duces, & exercitus distraxit, & ut sua quisque peteret, effecit. Sic obsidione solutus brevi ablata recepit, revocatis præsidiis, eorum Ducibus propriora curantibus.

Deinde Alphonsi Regis bello, cujus partes sequebatur, à Legato Eugenii Pontificis profligatus, & captus, ac diligenti custodia servatus, ubi profectò aut perpetuò, aut diutiùs mansisset, nisi Legatus veritus æmulorum Principis, sublato eo, potentiam, ut esset, quem aliquando illis objicere posset, eum liberasset. Tandem cùm Alphonsus Regno potitus, illo potissimum adjutore, triumphare vellet, illo pompæ die, cœperunt inter se simultates, cùm præcedere currum dedignaretur; ne de se etiam triumphare videretur, qui victoriæ comes, vel alibi præcipuus particeps exstitisset, & tantum ad victoriam contulisset. Peracto deinde Neapoli conventu, Tarentum illico petiit, eo animo, ut quemadmodum re ostendit, non Aulam, & Regem ulterius adiret. Deinde semper anxiè timidèque vixisse fertur. Nec cessavit subinde muneribus Regem palpare, & illius Purpuratis annua stipendia pendere, ut essent, qui consilia, & animum in se Regis deferre possent, quo sibi cavere, rebusque suis facilius, explorato Regis animo, consulere posset. Interea exitiale odium inter ipsum, Pyrrhumque Bau-

Baucium, Neptis ex fratre virum, Venusiique Ducem oritur, quo adeò commotus est, sive causa, sive prætextus fuerit, ut postea à Ferdinando deficeret, tanquam à Pyrrhi fautore: unde certè tot ingentia mala, & privata, & publica prodiisse vidimus. Indubium est, quibus etiam verminibus tortum vidimus, cùm præsens spectare Jachettum à secretis, quem pro se ad Regem miserat, donis, & pollicitationibus corruptum, sibi exitium intentantem. Quod cùm sciret, aut pro comperto haberet, ridere, & jocari conspiceretur, dissimulareque rem, odium, & ultionem supprimere, Regis metu cogeretur deinde ad illius mortem; de qua certior factus, arripi statim hominem jussit, sævissimèque torqueri; deinde per oppidum vicatim raptari, postremò in partes distrahi, illasque in terroris spectaculum frequentioribus Urbis locis attolli, minimè dissimulatâ causâ, & fortunas, quibus maximè eum locupletaverat, etiam publicari voluit. Bello etenim, quod in Ferdinandum agebat, quàm sæpissimè miserrimè queri visum est, pecuniam, quam tantâ curâ, industriâque cumulaverat, stipendio latronum in alienam utilitatem dispergi, miserrimum se queritans. Finem quoque nihil vitâ quietiorem vidimus, cui etiam ægro necesse fuerit valetudinem simulare, & per loca gravia, palustria, insalubria; modò exercitui commoda, exercitum ducere, sicque ingravescente morbo, invitus Altamuram concessit, ubi brevissimè moritur, non citra famam elisi corporis lapsu: quod quam multi, qui id rescire poterant, negabant, verùm repentè, minimèque observatum decessisse volebant, & nil prorsus de se, deque successione cavisse. Principatum, gazam, militem, denique quæ illius fuerant omnia, ad quem minimè voluisset, devenisse cognovimus: adeò mors una illum, suaque finiit, ut plerisque an fuerit, hodie ignoretur, narrentur deinceps defectæ familiæ, & quarum ingentia patrimonia ad alios devenere, nec etiam supersunt, qui vel paterno, vel avito jure illa repetere possent. Horum lapsum, & unde deciderint, demonstrasse ad propositum sat fore credimus; Historiam enim minimè attingimus. Recensebimus tamen, quæ ipsi vidimus, ut liquidiùs percipi possit veritas varietatis, volubilitatisque rerum, & quàm multiplicia omni ævo, universoque Orbi contingere potuerint, quando in hujus hominis ætate, tamquam in angusto Orbis angulo successisse tanta spectavimus.

Martianorum Familiam inclytam, potentemque diu in Regno exstitisse nemo est, qui ignorat, modò vel parum res nostras noverit; gessisse Magistratus præclaros, Ducatus, & Oppida possedisse maxima, & plurima, longaque serie dignitatum, fortunarumque magnarum, devenisse rem omnem ad *Johannem Antonium Martianum* Ducem Suessæ, Regnique Admiratum, qui è septem Magistratibus alter à primo habetur. Inerat ei filius *Marinus*, *Rossani Princeps*, qui ingentem, nobilemque dominatum materna successione possidebat. Satis duxi, ex plurimis ejus titulis maximos ostendisse; ne si fortè singulos percensere voluissem, multitudine forsan, & fastidio, viles illos reddidissem. Juverat Dux ipse plurimùm Alphonsi partes, tum præsenti officio, tum opportunitate dominatus, quo non parum ad victoriam facultatis habuit, de cu-

A jus ingratitudine maximè tristis & mœrens lamentabatur, ne oppidulo quidem ea victoria auctum se asserens; quin potius ut suam fidem liberaret, pecuniam, quam bellorum subsidio hinc inde fœneratus fuerat, divenditis paternis prædiis solvere cum fœnore oportuerit. Nec minori solicitudine domi suæ vacare licuit. Cum uxore Marini matre perpetuò discors vixit, quæ etiam capitis illum accusare apud Reginam affinem suam non sit verita: qua mortua ad sua in Calabriam divertit. Dux verò Suessæ perstitit, uterque propria curaturus. Nulla interim de conjugio cura. Sed ne Marinus quidem filius adeptus maternas fortunas, paterna cum dignitate coluit. Quippe fretus

B Regis affinitate (nam illius filiam duxerat) illum vexare non desistebat, tentans Patris subditis ante tempus dominari, ostentans se brevi Patri seniori successurum; interim melius per se res administrari posse. Quibus perspectis, tutius Patri visum est, uxorem sibi, illique novercam inducere, sicque timorem filio incutere liberorum ex recenti uxoris susceptione. Hæc non ab re dicta putentur; sed cum viderint, Ducem hunc sua in re mortuum, filiumque heredem, noscant etiam, vitam egisse laboriosam ærumnarumque plenam. Nam pergrave tulisse credimus, cum se ad jus trahi etiam à subditis, permittente Rege, videret; tamque minimi ab eo fieri, ut

C ne suis quidem liberè moderari posset. Noscant etiam, qui tantùm bona noverant, hunc pueritiæ & adolescentiæ partem in carcere egisse, adeoque ignominiosè habitum, ut ne sororis quidem pudicitiæ parsum sit; quin etiam veneno tentatum, quod eum perpetuo alvei profluvio affecerit, cum morte nequiverit. Decessit Suessæ, superstite Marino universorum herede; e secunda enim uxore liberorum nil tulerat.

Marini hujus vitam laboriosam, anxiam, suspicionis timorisque plenam, & finem miserabilem, plerique meminisse possunt, quibus propter ætatem licuit. Marinum hunc afflictis partibus ingratis in hostis sui Regis arbitrium

D devenisse novimus. Is mox carceri traditus est, ubi XXX. annis cum filio detentus, inde eductus, ad quod mortis genus vulgò non liquet. Tamen nisi sævum & truculentum existimari non datur. Hujus filius Johannes misellus à crepundiis carceri addictus, ubi pæne consenuit, evenit, ut volubilitate rerum inde exiret; sed ea libertate parum profecit. Quippe brevi iterum captus, iterumque dimissus, & cum eadem ingratitudine Principum, quibus fideliter inservierat, alieno victitare pane coactus est. Et ne sic inops vagaretur, liberalitas *Johannis Jordani Ursini* effecit, qui in sua eum vocavit, tradiditque castrum unum, cujus censu se suosque sustentare posset. Ubi

E non diu post obiit, pressus multo ære alieno; sed Princeps ille, qui præbuerat victum, curavit etiam funus. Tanta, tamque præclara Familia, totque Civitatum, atque Oppidorum domina, in hoc defecit; nec superest, qui illius nomine censeatur. Fortunas, & Principatus non ad unum aliquem devenisse, sed in multos distractos cernimus. Et hic finis Martianorum.

Perscrutemur & alias Familias, quarum magnos & potentes viros vidimus, qui hodie ignorantur, an fuerint, cum videantur eorum res per alienos possideri. *Raymundum Ursinum Nolæ Comitem*, *Salernique Principem*, plerisque

aliis

aliis titulis clarum, insuper Regni Justitiæ magisterio è septem Magistratibus facilè primo, aut certè secundo, quem sibi vivere deliciosè fama erat, non semel vidimus permœstum afflictumque, præcipuè cum filiolum, spem tantæ successionis, quem in specimen formæ, & pulcritudinis ostentabat, intempestivè raptum lugeret, indeque diffidium ab uxore perpetuum; desperans enim ulteriùs ab ea se liberos suscepturum, ad amicas spuriosque vertit animum: ex quo diffuta dominatus pars. Amalfiæ Ducatus, quem Rex affini tradiderat in dotem, ad eam à viro discretè viventem revertit. Prævenit & hic morte sua Domus excidium. Nam cùm nothis filiis Oppida, Civitates, reliquasque fortunas testamento divisisset, brevi ex omni possessione decedere, nemoque eorum nec lapidem tantæ successionis detinere noscitur; & si aliquid per Ursinorum gentem, non utique ex Raymundi linea, vel voluntate.

Admonet me profectò locorum propinquitas, quam reor perpetuò inter vicinos discordiarum caussam extitisse, ut mentionem faciam *Honorati Gajetani*, enarrato jam Marini Martiani, Domusque ejus exitu. Vidimus enim ipsum *Honoratum Fundorum Comitem* in mortem usque inter fausta feliciaque versari. Erat enim affabilis vir, assiduusque Regum comes; exhilarabat non modò sua comitate & humanitate Regiam, verùm & Civitatem omnem. Qui cum militiæ, domique perpetuo Regibus adhæsisset, ingentem sibi & gratiam, & rem comparavit, auxitque se plurimum. Domum splendidè ornavit Attalicis vestibus, aureis & argenteis escariis potoriisque vasibus; & ad ostendendam magnificentiam multa plurifariam duci & effingi curavit. Sua, Uxorisque indumenta serico auroque contesta; Regium in morem torques; murenulasque aureas, lapillis gemmisque splendidas atque distinctas; togam ad talos dimissam conspersam Margaritis, unionibusque videbamus. Ædificia multa, & privata sibi, & publica sacris in ædibus non pauca, in quibus sculpta Auctoris insignia cernuntur, construxit. Ad hæc tot humana blandimenta, fallacisque vitæ delicias, seu potius deliramenta, suspende judicium, donec alteram vitæ partem noveris.

Natus est *Honoratus* matre impari, quam tamen pater allectus amore liberorum, quos ex illa susceperat, uxorem duxit. Adeptus est *Fundanum Comitatum*, quem ad patruelem deventurum jure sciebat, non sine impietatis nota. Quod ne ad ulciscendum perquireretur, favore germani ab Alphonso Rege plurimum dilecti factum est, ut etiam post Patris mortem succederet. Comitem deinde quoties infirmitate partium, quas sequebatur, in discrimen sui, fortunarumque devenisse vidimus! Novissimè bello, quod Ferdinandus cum Andegavense gessit, ad id devenisse res ejus visa est attritu partium, ut à Ferdinando steterit vel solum, quia hostis nullis conditionibus eum admittere voluerit, in gratiam illorum, qui Honorati dominium sibi deberi præoptaverant. Victore demum Ferdinando, major emerserat. Et ecce Trajecti Comes illi primogenitus moritur, marem nullum relinquens filium. Non multo post, seu de filio alio malè cogitans, seu amore percitus, uxorem delegit, Equestrem quidem genere, forma tamen maximè placentem. Stetit ergo aliquandiu quietus, quietis Ferdinandi rebus, aut suppressis

A odiis quieti similibus. Ut verò status Regni turbari cœptus est, & Regnum Regemque hostes vexare, sic ejus familia velut furiis agitari, & filium tamquam hosti se traditurum, odisse cœpit; e regione filium capi à patre, & exheredari, insimulans, quod famulitium Præfectosque Arcium partim minis, partim occultis pollicitationibus ad se trahere satagebat. E contra pater, illi ne obsequerentur, cavere, & apud Regem illum insimulare non desistebat. Tamdem cum jam Domus simultates & odia continere ampliùs non posset, oporteretque illa se propalare, essetque filius in Regis officio, occultè à Rege petiit, ut filium caperet, arctæque custodiæ demandaret. Cui

B respondisse fertur, minimè id sibi videri conducere honestati, nec forsan utilitati suæ: proinde opperiendum, an dies illi de erroribus filii satisfaceret, & sic posse consultius rem transigere. Cujus minimè acquievit consilio; sed instantius idem expostulantem iterum Rex orare Comitem non destitit, ut rei conditionem velit bene perpendere. Si enim capiendo: filium indulserit, adimet profectò & illi pœnitendi facultatem; quoniam si semel vinxerit, non fore ulterius sibi integrum dimittere, tum propter judicii inconstantiam, quia aut quod iniquè ceperit, aut quod leviter liberaverit, utrumque ne incurrat, vitandum. Tum non esse illum ipsi patri caritatem exhibiturum,

C neque ipsi Regi præstiturum fidem, carceris & injuriæ memorem. Quibus acceptis, magis excanduit, remissis statim, qui animum suum Principi patefacerent, obtestarenturque per obsequia illi præstita, per fidem spemque de illo conceptam, ne ulteriùs natum intercipere moraretur. Quod voluit, impetravit; filiumque eodem carcere, quo mancipatus est, decessisse audivimus. Erant, qui ipsum Regem narrantem, se ad id non voluntariè, sed Patris impulsu, cui plurimum debere fatebatur, devenisse. Erat jam Honoratus natu grandior; & nomen habens uxoris, quare pleraque illius arbitrio, maxime post filii captivitatem, dicebatur administrare. Iis vitæ conditionibus

D Fundis moritur, infantulo captivi filii successore, qui paulò post supellectili tam nobili pretiosaque, totque pecuniis, nunc hac, nunc illa de causa exutus est: quæ cuncta ad Regem translata sunt. Quid? quod Comitatus, reliquaque sua oppida per perpetuos Familiæ hostes, cum quibus exitiales simultates sui majores exercuerant, detineri noscuntur, nepote omnino Avorum patrimonio extorre, licet Ducatus titulum, & oppida, & non pauca sui patrimonii possidere videatur. Hoc profectò totius vitæ cursu poterit æquus arbiter de hominis felicitate verius ferre sententiam.

Antequam Campania digrediamur, *Rattarum* gentis *Casertæ Comitum*, & tam opportuni dominatus exitium ostendamus. Qui pri-

E mus ex ea Familia *Jacobus de Ratta* fuit Comes, e Celtiberia, Sanciæ Reginæ, ejusque Aulæ Præfectus advenit. Ab illo ad nos usque series successionis perennavit, quæ morte plurium Comitum, quibus hac ætate decessisse contigit, funditus decidit, nomine illorum penitus abolito.

Aquinorum percenseamus Gentem; ex hac enim *Laureti Comitem*, & *Regni Camerarium* vidimus; nec primum illas dignitates assecutum; hereditariæ quippe illi inerant. Ampliori certè titulo digna res erat: quare conspeximus deinde filium Marchionem effectum.

Fama erat, Gentem illam plerumque uno inniti filio, & successore; sed D. Thomæ Aquinatis ejus gentilis suffragio numquam defuturam. Sic perpetuò mansuram Domum pro certo habebant, & prædicabant. Sed nos defecisse hanc cernimus, tamque ingens patrimonium defectu Aquinorum Principum ad exteram nationem devolutum, extinto Aquinorum nomine. Quid de *Caudolarum* magnitudine dicemus? quorum *Jacobus* inter maximos Duces, etiam priscos, meritò numerari posset; qui neminem sibi regnare passus, modò adversarii vires, ne nimis invalescerent, reprimendo; modò sui Regis, ne nimis insolescerent, moderando. Hac arte dum vixit, liberum se ac formidandum præstitit. Cumque esset lectissimo strenuoque milite accinctus, plerique ex Italicis potentatibus stipendia illi domum usque mittebant, ad hoc tantùm, ne in se duceret, illosque intra Regni fines contineret. Vir enim fuit, quem Ducem optimum nemo, ne inimicorum quidem, quin fateretur, exstitit, cum alias multa convicia illi ingererent. Hunc minimè vidisse me fateor; decessit enim me fere in cunis agente. Cum Castelli, quod aggredi statuerat, mœnia scrutaretur, qua facilius milites irrumperent, repente exanimis equo delapsus est. Hic finis tanti Ducis. Hujus filium *Antonium Barii Ducem*, *Triventique Comitem* vidimus: Pater enim titulis honorum abstinuerat, cum multiplicibus se honestare potuisset, & pro maximo *Jacobus Caudola*, & scribi, & dici præelegerat, tamquam ex se, non ex rebus suis, gloriam adeptus; neque oppida, & Urbes Jacobum Caudolam magnum reddidisse; sed virtute Caudolam illa sibi subdidisse. Filius hic post profligatum, exactumque Renatum Andegavensem, fretus paterno milite, ausus est suis auspiciis, suisque peculiaribus Signis Alphonso Regi congredi, cui profectò male cessit. Nam fugato exercitu ipse captus est, cui Rex clementer ignovit; & licèt magnam dominatus partem abstulerit, libertatem tamen, Triventique Comitatum tribuit ac reliquit, habuitque in suis, ejusque opera in bellis usus est. Mortuo deinde Alphonso, ac Ferdinando ineunte Regnum, iterum captum vidimus, custodiaque; in qua aliquandiu fuerat, fuga elapsum. Exul deinde amicorum subsidio, quorum maxima pars sub patre meruerat; indeque sua auxerat, victitavit. Talem decessisse cognovimus. Restabant liberi magnæ spei editi, egregiæque indolis, quos vinctos detineri vidimus, deinde extorres victum quæritantes, quo meliùs, honestiùsque possent. Diversis tamdem in locis periere. Si qui restant, ea paupertate & obscuritate obruuntur, ut rari eos patrum nomine appellent, aut noscant, quorum memoria hactenus in adversis subsidium attulerant. Ergo Caudolam nemo est, qui audiat: quod nuper nomen montes, valles, campi, militibus Caudolam acclamantibus, reddebant.

Affinis his, & sanguine, & loco ipsius Jacobi alumnus *Leonellus Cælani Comes*, qui terminum posuit Cælanæ claræ pervetustæque; & quamvis plures reliquerit filios, quos adultos prospeximus, unumque ex iis etiam Comitem: omnes tamen post amissas res, diuque extorres vagantes defecerunt; ad idque redactum est Cælanorum nomen, ut neque nominis, neque dominationis pars supersit.

Perquirenti mihi Familias omnino defectas, A & quarum Principatus ad alienos pervenisse cognovimus, quædam se offerunt, quarum, & si aliquis supersit, Principes tamen illarum exstincti, oppida, vires, decoraque Domus ab alienis possideri noscuntur. Hæc conditio non solum unius, sed plurium est. Admonet me de Caudolis habita mentio, ut de *Cantelmorum Principe* loquar; si quidem *Soræ Dux*, *Oliveti Comes*, bis rebus ejectus, bisque reductus cum fuerit, tamdem non modò extra fortunas proprias, sed extra Regnum misera egestate deperiit. Natos Ferrariensium Ducum largitas honestè nutrivit. Frater viget Comes Populi inter Regni Proceres, quem fratris odium salvum fecit. Quippe cum B Populum Civitatem Dux ipse auferre natali prærogativa satageret, diversas illum sequi partes oportuit, quæ victrices devenere; sed nihil ad id, quo tendimus. Quid salus, statusque germani, qui & hostis, ad ipsum Ducem principemque Familiæ, qui cum omni prole miserum infelicemque sortitus est exitum, suaque cuncta distracta, & ad exteros translata?

Huic aptissime connectimus *Capaciæ Comitem*, quem, quamvis è *Sanseverina* gente plures, & magni exstent, Romæ depauperatum amissis fortunis, neminemque ex sua Familia, vel ut rectiùs loquar, linea, qui nomen referre posset, relinquentem, mortuum audivimus, bonaque ejus ab Hispanis detineri videmus.

C *Camponiscorum* Gentis *Montorii Comes* Principatum obtinebat, cujus dicto, Aquila tam egregia Civitas non minus Montorio, audiens erat, in qua liberum ei erat, quos vellet exigere, occidereque impunè. Cujus potentia, & ad movendas res opportunitas, verendum illum, etiam Regibus faciebat. Emicuisse diu Camponiscorum Gentem novimus. Apuliæ in Aprutiorum hodie Provinciæ Civitate maximè famam servabat, cui finem hæc nostra dedere tempora. Etenim cum Comiti vi factionis licuerit in Cives suos quantum libuisset, eumdemque Regibus suis observandum reddidisset, vitare non potuit, quin fortuna suo more secum luderet. Vinctum enim arctissimæque D custodiæ traditum, deque capite ejus quæstiones agitari cognovimus; eumdemque fortunæ benignitate evasisse, patriæque restitutum vidimus, in qua brevi moritur, nemine ex sua gente superstite, adeò ut paterna avitaque oppida non illius nominis dominum habeant; quin, & factio illa tamdiu Familiæ dedita, alieni nominis Ducem sibi eligere coacta sit.

Proferatur, & *Bernabas Sanseverinus*, *Lauriæ Comes*, cujus, & si perstat Familiæ pars perexigua, peculiaris tamen Domus ipse, & filius ultimi exstitere, & Lauria reliquumque patrimonium gentis defectu ad exstraneos delata sunt. Satriani Comitatus, quem, & Sanseverinæ gentis fuisse cognovimus, deficiente E Familia, aliorum facta est possessio.

Rufforum Gentis magnitudo, & antiquitas minimè se præteriri patitur, cum dominium suum ante Reges à nemine sibi concessum, & tantùm Deo acceptum deferebant. Mittamus hæc utpote vetustiora, patrumque memoriam excedentia, quia quin illustris potensque fuerit, quæ de ea vidimus, denegari non patiuntur. Quippe Cotroni Comitatu, Catanzarique Comitatu pollebat. Hic unum inseruisse ad multorum intelligentiam, non ab re fuerit, ut, cum Principatum, aut Comitatum, aut aliquem insignem titulum dico, non merum illum vellem intelligi, sed oppidorum

mul-

multitudinem eum comitantium, atque ornantium. Et hæc tanta succeſſio ad feminam devenit, quæ ſe in matrimonium, Marchionatum, Comitatumque *Antonio Conciliæ*, Hiſpano, Valentiaque oriundo dedit, qui poſt multas cum fortuna palæſtras, etiam dominatui finem dedit. Ter enim captus, toties aſtu, & audacia, unde nemo credebat, evaſit. Semel cum Papiæ detineretur, Arcis ſublimitatem noctu declinavit, illiuſque foſſam amplam inſuper, & aqua plenam tranſmiſit, eademque nocte extra omne ſolum Mediolanenſium Ducis liberum ſe ſtatuit. Captus iterum à Ferdinando Rege, & quia alias aufugerat, arctiùs in Caſtro-novo cuſtodiri mandatur, tanta uſus eſt arte, & ſagacitate, ut omnem Præfecti diligentiam, quæ maxima erat, & in illum maximè intendebat, eluſerit. Reſerato poſtico, quod in litus emittit, falſis vigilibus, per anteriorem partem foſſæ emerſiſſe ferebatur; etiam plures dies poſticum ſuo patuiſſe arbitrio: quare & Arcem, & Regem hoſti tradere poterat, modo adfuiſſet. Denique cum tertiò in eumdem traheretur carcerem, hortanti, bono ut eſſet animo, cum ſæpe ſimilia intraſſet loca, ſemperque incolumis, liberque exiſſet, reſpondit: *Nec hoc ſperare, nec amicos expectare velim ulterius, qui vivum è carcere educant*. Eventus verum dixiſſe oſtendit. Ibi enim paucis menſibus fato fungitur. Qui efferri eum viderant, referebant, ad eam deveniſſe deformitatem, præcipuè brevitatem ſtaturæ, ut non modò quis, ſed an homo fuerit, haud facile cognoſci poſſet. Et quoniam finem miſerum, infelicemque audiſtis, ſcitote, aliquando inter fortunatos, feliceſque habitum, qui nitenti famulitio, magnifico belli, paciſque apparatu viguit. Circa ſe nobilium inerat caterva; comitabatur uxorem copia nobilium feminarum, quibus omnibus dapſilè conferebat. Nam liberalitas in primis ejus ſpectabatur. Hæc dixi, ut vices, inſtabilitaſque humanæ vitæ, etiam in eo noſcerentur, atque ut ferè omnibus præpòderet actæ vitæ triſtior pars, quam triſtiore filio hereditariam reliquit. Quippe qui poſt amiſſas fortunas (quod eo puero patri contigerat) & perpetuum in paupertate exulatum, poſtque tot perfunctos labores & pericula, inter navigandum in pyratas Turcas incidit; quem captum Conſtantinopolim duxerunt, ubi inter Fidei hoſtes extinctus eſt, unàque Familia, & ſpes deinceps dominationis recuperandæ, cui exteri imperare noſcuntur; nec exſtare ex illa gente, qui ſe objicere valeat, certum eſt.

Habuit certè Calabria diu potentes, & claras familias, quarum bonam partem noſtra hac ætate defeciſſe cognovimus. Baptiſtam *Caracciolum Comitem*, Confeſſorium noſtrum adeuntem, nobili comitatu frequentique, pueri ipſi inſpeximus: habebat enim circa ſe, & milites plures, qui ordines duxerant, & Legiſperitos, quos omnes annuo ſtipendio alebat; nec minùs ex aliis nobilibus gentibus familiam elegantem, & ſtudioſam, quique omni in officio illi aderant, & prandenti, & equitanti, ſtratoque mane aſſurgenti apparebant, adeò ut magnificentiæ argumentum non parvum familia ſic culta, moderataque ad obſequium decuſque Domini intenta referret. Etiam dictum, quod hactenus inter nos viget, operæ pretium eſt referre. Quoties domum Neapolim deventurum ſe pararet, inhibebat, ne quid victui neceſſarium, aut opportunum

A præmittere, vel ſecum ferre miniſtri auderent. Quibus, id ne faceret, dehortantibus, magni enim conſtaturum in dies cuncta emere, ubi cariùs annona venibat, ſubridens, inquit: *Oportet enim, lucriones adveniſſe me gaudeant, & deinceps adventurum incolumem optent*. Sed non ea conditione ad mortem fortuna ire permiſit, cum cancere nares erodente, diu vexatus, & deturpatus vixerit: Nec parum illum torquebat mala fratris filii indoles, qua degenerare à majoribus ſolutis moribus ominabatur. Cumque unicum & ſucceſſorem ſors illum reliquiſſet, mœrens ſæpe, quod exitium domus, & nominis illum futurum ad hoc ſervatum prævideret. Hac opinione ſucceſſionis,
B functus eſt vitâ, fratris filio, de quo tam male opinabatur, *Thomaſio* relicto, qui non contentus Comitis titulo, Marchionem ſe ſcribi appellarique voluit: quod inſigne non tranſmiſit ad poſteros, quemadmodum Comitatus longa ſerie ad ipſum pervenerat. Brevi enim gravibus ſuſpicionibus inter ſe, & Regem ortis (uter utri occaſionem dederit, Deus, & ipſe noverint) tamdem cum diutiùs odia contineri nequirent, capitur Thomaſius ſive cauſa, ſive prætextu læſæ Majeſtatis, & coactus in vinculis cauſam dicere, capitali crimine damnatur. Vita tamen in carcere illi donata, bona illico per Fiſcum diſtracta & vendita; ibique conſenuit. Producta, cana-
C que prodeuntem barba vidimus, qui ſubruſa intraverat. Quomndo autem inde exiverit, longum & implicitum eſt hiſtoria explicare. Ad deſtinata ſatis eſſe reor, quod etiam poſt libertatem & petitas res, quarum cauſa ſe, ſuaque perdiderat, nihil eorum, quæ amiſerat, recuperavit; quin potiùs Galli ſua cuncta impetivere, & illum aliena, ut ajunt, quiete vivere permiſerunt. Tali fortuna Romæ moritur. Hic finis, & exitus hominum, & rerum tam nobilis, claræque Familiæ fuit. Marchionatum, & Comitatum, quos Galli eripuerant, nunc Hiſpani poſſident.

Habuit eadem Calabria, & *Arenæ Comites*, unde, & nomen ducebant pervetuſtum, &
D nobile: ipſi enim magnis affinitatibus vincti diutiſſimè, tamdem cum tam crebro Procerum conventus haberi videamus, nemo umquam tali è Gente adeſſe cognoſcitur; & quis Arenæ dominetur, ignoramus.

Interſunt & Gentes, quæ & ſi non radicitus aruerunt, ſummitatibus tamen ſcapiſque defectæ, humillimè jacent. *Pulcini Comites* ex Alemannorum Familia, nonne hac tempeſtate Pulcinum, reliquumque patrimonium amiſere, & eorum magna pars deperiit? Et qui fortè ſuperſunt, fortunarum exiguitate, jam neque ubi degant, quove ſubſtententur, noſcitur.

Novimus etiam, ex nobiliſſimis clarioribuſ-
E que Familiis, quamvis princeps earum exſtent, multos tamen titulis inſignes corruiſſe. Nonne *Lauriæ* titulum poſſeſſionemque *Sanſeverina Gens* perdidit, eadem & *Satriani*? Pari conditione, & *Avellini Comitatus*, quem tamdiu à Caracciolis poſſeſſum vidimus, ad alienos tranſlatus cernitur.

Gambateſarum Progenies ne prætereatur, invicta virtus, facit. Tres enim noſtra novit ætas, quorum ſinguli Gentilitati ornamento eſſe potuiſſent. *Angelum* ſcilicet *Campobaſſi Comitem*, virum frugi & elegantem, adeò comem & affabilem, ut nemo eum noſſet, quin diligeret. Unde major orta eſt commiſeratio,

cum

cum depasci, defodi, deturparique ab edaci lepra cerneretur, reminiscentibus tam humanos viri mores, formam tam egregiam, vultus munditiam & elegantiam. Eò deformitatis debilitatisque venerat, ut caris amicisque sui aspectum interdixerit, quos jam nec cernere, nec alloqui potuerat. Conspici namque tam sordidum, vulnerosum, aliena manu cibum sumentem & potum, dedignabatur. His tantis miseriis, nequaquam pristinæ felicitatis umbræ paria facere se potuerant. Talis decessit, relicto *Carolo* germano *Termularum Comite*, spectatò milite, ut qui ex Caudolæ disciplina probatum in Ducem venerat, experimentumque virtutis non solùm nobis, sed omni fere Italiæ dederat; & *Nicolao* filio post obitum *Campobassi Comite*. Et hic quidem impiger, sagaxque juvenis, ne in paternæ valetudinis miseriam incideret, didicissetque id mare maximè arcere, longa parata navi in Christi hostes perrexit, obviam Turcarum Triremem aggressus, post anceps cruentumque certamen, postque multos è suis amissos, plurisque saucios, tamdem cepit. Hoc rudimentum illi armorum fuit. Deinde ad terrestrem militiam se vertit, in qua tantùm profecit, quantùm suæ ætatis alius; quippe & in Celtiberia pro Lotharingiæ, & in Gallia pro Burgundiæ Ducibus eum se præstitit, & virtute, & consilio, ut etiam gestis rebus cuivis ea in re claro Duci meritò conferri possit. Sed quoniam sæpe non modò invisa, sed etiam suspecta, cui præstatur, virtus est, evênit, ut nova cogeretur facere stipendia, perosusque Barbarorum ingratitudinem, ad Venetorum militiam in Italiam reversus est, ubi brevi in hybernis moritur, duobus superstitibus liberis, qui cum eo exulabant. Tam agitato fortunæ impulsibus non defuit (ut fama est) domus libido, quæ illum molestiùs exerceret; etenim cum uxorem Mantuæ reliquisset, sectaturus militiam, revisenti familiam delatum est, eam parum pudicè vixisse, nec integram viro servasse fidem: quam necasse opinio fuit. Unde ingens odium apud Gallos conflatum, quibus nefas ducitur adulteria multari; sed adulteram, qui graviùs ulcisci velint, ad parentes remittunt, apud quos, demto matronali ornamento, vilissimis servarum fungitur ministeriis. Filiorum majorem natu, Angelum Avum nomine referentem, Ferdinandus Rex in patriam reduxit, illique patrimonium omne restituit, posseditque aliquamdiu. Demum novis Regni motibus filium item exutum fortunis omnibus exulare videmus. Ita numquam Gambatesarum mentio fit, & Ducatus alienæ familiæ insignia evasere.

Meminimus etiam exteras Gentes hìc maximè crevisse tum facultatibus, tum honoribus, quarum plerasque quemadmodum natas, & auctas nostra novit ætas, ita illarum principes cum Principatibus occidisse perpexit. Venerat Alphonsi Primi in comitatu *Innicus de Guevara* Eques Hispanus, genere nobilis, nullo tamen insignis titulo, verùm in primis Regi carus. Erat enim, qui maximè honestaret Regiam; quippe arma egregiè tractabat, equorum studiosus, quos agere moderarique optimè callebat; Musicæ non expers, cantare saltareque ad virilem dignitatem satis aptus. Hunc Alphonsus præ ceteris alumnis spectatum locupletemque reddidit; quippe vix pacato Regno *Ariani Comitem*, *Guastique Marchionem* declaravit; paulò mox etiam *magnum*

A *Senescallum*; & tantùm illi favit, ut tres fratres, qui ipsius spe & ipsi huc accesserant, omnes magnos, interque Regni Proceres Comitesque elegerit. Et hic, periclitante Ferdinandi statu, magnam dominationis partem amiserat, quam ille eodem victore recuperavit. Decessit brevì post profligatos hostes, seque bonis restitutum. Reliquit liberos duos egregiæ indolis, *Comitem* scilicet *Ariani*, *Guasti Comitem*, *magnumque Senescallum*, & alterum *Comitem Potentiæ*. Magnus igitur Senescallus cum in Regia, paterna sectando vestigia floreret, nescio, quo cacodæmone suggerente, de exigendo Rege cum plerisque Principibus in suum publicumque malum, juxta ea, quæ sequuta sunt, conspiravit. Reque illis male suc-
B cedente, & statu Regis firmato, optanda sibi morte ereptus est, ne exitum, quem complices sortiti sunt, & ipse experiretur. Fortunas omnes, Oppida, Civitates, Fiscus arripuit distraxitque, quarum hodie alieni nominis videmus dominos. Hunc finem *Guevaræ Familiæ* princeps sibi fortunisque suis dedit.

Magnificavit idem Alphonsus ex iis, quos secum adduxerat, *Gartiam Cambanillum*, deque Hispano equite *Trojæ Comitem* fecit, interque Regni Principes illum optavit, Provinciisque multis præfecit, ductumque militiæ illi contribuit: cujus operam diu probavit. Cum verò Regiis copiis in agro Senensi præesset, & ad
C sedandum tumultum, inter agrestes gregariosque milites ortum, ex hybernis accurrisset, occisus est, credentibus Senensibus, ad instigandos animandosque suos prodiisse. Et hujus filii (egregium quippe par) revolutione rerum, Comitatum, reliquorumque bonorum maximam partem amisere, hique extorres decessere. Ita nemo ex illa Gente Trojâ potiri cernitur.

Ditavit, magnumque fecit idem Rex alumnum sibi percarum *Gabrielem Curialem*, patre Equite Surrentino pauperrimè natum, quem adeò Regis favor evexit, ut multarum Civitatum, quin etiam & Patriæ suæ, circumque adjacentium Oppidorum jurisdictionem illius
D fecerit; eoque animo extulerat, ut Purpuratorum neminem se præire dignaretur. Raptus est immaturè, nimirum maximo Principis dolore, & pœnitentia, quia in illum, quod destinaverat, non contulisset. In cujus loco *Marino* germano, nequaquam tantæ spei juveni, omne, quod fratri elargitus fuerat, contulit. Insuper & titulos addidit, quos inter *Terrænovæ Comitem* appellari voluit. Hunc post Regis obitum pleraque Oppida destituêre. Comitatum, quem Ferdinandi bello amiserat, ejus victoria postea recuperavit. Mortuus est & ipse absque liberis, successitque Rex; exstititque eorum res bullæ similis, quæ eodem momento, quo tumet, evanescit.

E Habuit nostra ætas simul & Civitas rerum humanarum evidentius ludibrium *Franciscum Copulam*, qui interstitiorum brevitate, infimus, sublimis, faustus, & infelix pæne simul videri potuerit. Siquidem patre Aloysio tenuissimæ facultatis natus, nobilitatus hic mercatura, licèt modica, qua ea tempestate uti Nobilitatem decebat, se familiamque alebat. Franciscus ergo cum per ætatem licuit, paternis insistens vestigiis, lucellis passim se augere cœpit, inque paucitate illa magni Institoris ingenium ostendit. In dies hac de eo opinione crescente, Rex illum, ære præbito, negotiationi suæ præfecit, proque ipsius diligentia &

& industria lucri participem esse voluit. Hanc administrationem cum accepisset, brevi Regis nomine effecit, ut nihil mercium efferri Regno, invehique potuerit, quin illarum ipse primus esset inspector, & emendi, vendendi, commutandique primas electione haberet. Sæpe reliquos extrahere, ut ipse viliùs emeret, curabat inhiberi; item ne importarent, donec ipse suas venderet. Hac igitur arte magnis iis opportunitatibus, nihil præter lucrum spectans, opes non paucas comparavit. Divisaque à Rege mercaturæ societate, dives per se, comparatis onerariis navibus, negotiari nobiliter cœpit, nomenque ingens inter mercimonia exercentes nactus est, & ipsis nautis carus, & Patronus haberi. Nemo quippè ea tempestate classem celeriùs eduxisset; tum navium copia, partim suarum, partim earum, quæ ipsius nomine facile se crederent; tum armamentariis ad rem omnem paratissimis. Quod profectò re ostendit, classe in Turcas Hydruntum retinentes, omnium opinione celeriùs educta, mirantisque Regis ad obsequium exhibita. Auxerat quemadmodum ipse opes, ita & fastum & arrogantiam, in sui usque oblivionem, Principumque despectum: quod profectò illum perdidit. Quippe cum Regem non callidum & versutum, ut erat, sed tardum & hebetem existimat, se, & Regis literarum Magistrum in ruinam protraxit. Calabriæ igitur Duce foris res agente, veritus ne cum rediret, quietasque res offenderet, liberum illi esset, illum, & plerosque alios ulcisci, quibus interminari causabatur: cœpit exinde, aut comitem, aut ducem principibus turbandarum rerum se exhibere: quod agitare non destiterunt, quoad se perdidere, & reliquum Regnum perpetuo malo obtulerunt. Hinc profectò, quæ passi sumus, quæve patienda timemus, initium sumsere. Revertamur ad Franciscum, illaque quemadmodum gesta sunt, & quorum culpa, aliis enarranda sinamus. Talia igitur meditans curavit etiam, ut suo filio mulier Regis affinis matrimonio jungeretur: quod Regem fallere credebat; quam spem dissimulando Rex subinde alebat. Interim, ut postea rescitum est, non cessabat & Dux Regis filius, ceterique amici hortari Regem, ne *Sarni Comitem*, *Antonellumque* Secretarium capere moraretur, certioremque facere, secreta nocturnaque conventicula cum Principibus in ejus fortunam, iisque præcipuè auctoribus fieri: quæ sibi, & si longiùs distarent, clarissimè tamen liquere; & ea esse, quæ agitarentur, quibus ni properè occursum esset, vanam deinceps omnem fore diligentiam. Quod Rex, ut erat natura & astu cunctator, distulit, ut cautiùs opportuniùsque perficeret. Interim multa intercessere utrinque suspiciones augentia, quæ quoniam à me certa fide referri nequeunt, cum publica non exstiterint, & indagasse præsentis non est instituti, aliis perscrutanda reliqui; non enim viri vitam scribimus, sed in eo instabilitatem rerum ostentare tentamus. Igitur præstatuta sponsaliorum filii die, illaque cum in Arce Regis in conspectu celebraturus esset, & domum magnificè ornasset, seque adeò deliciosè comsisset, ut etiam mulam pretiosis unguentis imbueret, & odoramentis sufiret (hinc luxuria reliqui apparatus conjici potest) apparente demum Rege, magna stipato Procerum caterva, quem Principum feminarum, ingensque aliarum mulierum excepere conventus, tanta alacritate ex gaudii expectatione, tantoque in Aula splendore, vestium & auri fulgore: ecce qui illum, & Secretarium, tamquam arduum quid cum eis acturi evocaverunt, paulumque ab Aula remoti, offenderunt Arcis Præfectum, qui eos ad carcerem occultè duxit. Ubi aliquandiu duris in quæstionibus habitus, tamdem Majestatis reus præter Arcem eductus, ibique securi percussus est. Bona distracta, spectavimus enim plures rhedas è Sarno onustas in Arcem deferri. Nobiliorem verò supellectilem è domo rapi, profectò gazam Regiam referentem. Omnium suorum heres exstitit Fiscus. Filii, qui hodie exstant, nil paterni census possident.

Et virorum infelix societas, & similitudo incrementi, exitusque paritas meritò postulant, ut Francisco Coppulæ *Antonellum Petrucium* è secretis subnectam. Hic, ut plerique autumant, Theani natus est; nutriri autem Aversæ multi illorum spectarunt. Sunt qui patrem Petrucium vocatum velint, matrem Petruciam fuisse dicant: unde nomen Petrucii sumserit ab alterutro parente. Constat tamen, humillimæ fuisse conditionis, & fortunæ hortulani. Siquidem memini ego, florente eo, in ejus laudem ostendi tuguriolum culmeum, dicente vulgo: *Hinc prodiit, qui modò tam egregias ædes tot in Civitatibus possidet, munitionibusque validis sua oppida confirmat*. Cumque à primis annis majorem se natalibus futurum ostenderet, semique nudulus vagaretur, incidit in Johannem Admiratum Tabellionem, senem, meo quidem judicio, virum optimum; novi enim eum annosum, valde fide, & Religione spectatum, memoria, & intellectu supra ætatem vigentem. Adoleverat enim in Ladislai Regis aula, cujus gesta memoriter enarrantem avidissimè audivimus. Hæc mihi de Notario Johanne nunc satis, cujus memoria virum bonum repræsentat, & similium raritas illum me memorare & laudare hortatur. Hic cum acceptum à parente puerum in dies ingenii acumine progredi animadverteret, cœpit majorem illi adhibere curam, & pro ætate literis & moribus diligentiùs erudire, ac tanto impensiori affectu, quanto jam ætate gravis, sine liberis se spectabat, illum liberali caritate alebat. Cum ergo animadverteret Antonelli sagax ingenium, & ad obsequendum promtitudinem cum ætate adolescere, & majora, quam quæ à se tribui possent, spectare: statuit bonus ille vir, ne tam egregiæ indolis species secum augmenti damnum faceret, posthabita commoditate & blanditiis, quæ puer illi præstabat, ad majora illum admovere. Erat enim *Johanni Olzinæ*, *Alphonsi Regis Secretario*, maximè familiaris; fuerat namque proximo bello illius hospes. Ex quo visum est Antonello bene consuluisse, si narratis adolescentis dotibus commendatum illi traderet; à quo & adolescentis aspectu, & commendantis fide, benignè susceptus est. Aderat tunc contubernio Olzinæ *Laurentius Valla*, doctrinæ ingentis morumque honestate spectandus. Huic informandum literis & moribus herus tradidit, ut aptiorem Scribarum Collegio adoptaret. Videbat enim sagacissimus Senex, excellentem in illo officii genere deventurum. Brevi ergo Laurentii doctrina tantum profecit, ut meritò ad Scribarum munia assumi potuerit: quare perpetuò gratissimus Laurentio Vallæ exstitit, venerarique ut parentem, illique

que plurimum debere non erubuit. Imò cum tam magnus apud Ferdinandum Regem devenisset, semper honori emolumentoque fuit. Quin & post illius mortem ejus Scriptorum, & defensor, & laudator promtissimus perstitit. Iis præsagiis adscitus, brevi qui longè ante munus illud exercuerant, antevertit. Ipse Olzina, cum Rex foris ageret, aut occasione aliqua coram adesse, negotiaque per se tractare non posset, plerumque Antonellum ad id destinabat; qui diligentia, & fide utrisque satisfacere noscebatur. Gessit se ita eo in officio, ut ipse Rex mandatorum, quem dicunt, Secretarium elegerit. Est enim illorum exequi mandata Regis, conficiendo ex iis Privilegia, eaque propria manu subscribere, uti majoribus à secretis mos erat, à quibus primum locum obtinent, aditumque liberiorem ad Principem habent. Creditur enim, si diutiùs Rex ille vixisset, inter hujusmodi ministerii primos (pluribus enim, non singulis, tali officio utebatur) adlectus nosceretur. Ferdinandus etenim post Patris obitum, cum statuisset uni tantùm res suas credere, hunc potissimum elegit, qui & aurium, & oris ejus fungeretur vicibus. Cumque gravaretur per se aliquem audire, ad Secretarium ire jubebat, perque illum otiosus postulata intelligere velle, per eundem, quid suæ mentis esset, consultius responsurum. Sic igitur singularitate officii, suaque humanitate & modestia, (quæ profectò magna exstitit, adeò ut sæpe, quibus non tempestivè, ut malebant ingrateque responderet, sibi convitiarentur, filiisque imprecarentur, non nisi sedatè placidèque accipere videbatur) eas comparavit opes, & nomen, quibus è duobus filiis *Comitem Caleni* alterum, alterum *Policastri* effecerit; ex reliquis alium *Tarentinum Præsulem*, *Prioremque* alium *Hierosolymitanæ Religionis Capuani Conventus*; affinitate verò nobilissimarum Familiarum plures liberos junxerit. Magnum & fortunæ, & Principum auditis afflatum, & favorem magnum profectò, & qualem non multis impendere soliti sint. Sed quæso ad exitum omnia nosse velis, antequam de ejus vita, qualis fuerit, existimare disponas; quam si æquilibrio appenderis, prægravare malorum lancem facilè offendes. Pueritiam egit inopem, & laboriosam, ut victum sibi parare servitio necesse fuerit, parentibus tanta egestate pressis, ut etiam suo labore, & mercede subvenire boni ingenii puero grave fuisse par est credere. Sed omittamus hæc & pleraque adolescentiæ, utpote frivola, & quæ nisi ad eam fortunam devenisset, penitus ignorarentur, & nos uti infecta relinquamus. Non enim gratis constitit Principis gratia. Quippe adeò eum excruciavit, ut quieti nullum indulgeret tempus, quin etiam noctu sæpe cum domum ex arce rediret, vix appulsum, viatores festini aderant, qui ad Regem, quàm celerrimè redire jubebant: quod facere interrupta cœna, & sæpissimè somno, licet in gratiis, cogebatur. Et hic ludus pæne quotidianus erat. Cum fortè Rex venatum, aut aucupatum prodiret, euntem ad Principem sævissimis tempestatibus, & imbribus, ferventissimo sole, noctu, interdiuque, cum reliqui in mansionibus sub tecto degerent, ipsum ob publica Regis negotia ad consultandum, quos Neapoli Rex parcens eorum labori reliquerat, & nive, aut pulvere, aut cœno, prout tempestas ferebat, obtectum transire vidimus, cum in Confessorio essemus; similiter ad Regem revertentem,

A nullo habito neque tempestatis, neque lucis respectu. Maceraverat, & attriverat eum laboris nimietas, & somni parcitas, alienaque hora sumti cibi, ut ætate maturiùs edentulus fieret, solidique nil mandere potuerit, & vitam sorbitionibus producere curaret; quibus etiam vix tempus dabatur: tanta erat negotiorum ingruens multitudo. Etsi fortè aliquando domum quieturus subhilaris revertisset, aderat uxor, quæ eum impune exercebat; imputabat enim fortunam, ac si suo ex matrimonio magnum sibi infortunium contigisset. Objectabat insuper natalium humilitatem; & cum cetera deessent, immittebat in eum filios, quærentes, decere se liberaliorem victum, famulitiumque

B magnorum instar, vesteque pretiosori uti, ita ut frustratus requie, quam domi speraverat, festinantior tristiorque exire præeligeret. Filiorum etiam insanam spectabat audaciam, & domumque perdituram. Erant enim parentis moribus adversi, pro illius humanitate, arrogantia, proque affabilitate importuna superbia utebantur: quæ & si quietè tacitèque ferre videbatur, ingenti tamen dolore, & amaritudine apud amicos reponebat: adeò processerat illorum fatuitas, ut Principem in odium patris provocare nihil existimarent. Studebat enim illorum unus Regis secretos amores, occultasque voluptates rimari, vanaque loquacitate inter sodales effundere. Quæ cum pater

C Regi notissima esse sciret, minimèque illum de eis aliquando secum expostulasse cerneret, ingenti timore augebatur. Callebat enim Principem suum, & dissimulandi injurias, & æque ad tempus ulciscendi peritissimum artificem. Quid? quod semper veritus, ne Princeps illum pecuniosum crederet, crebro strenarum ad instar præter Januarias Kalendas magnis illum muneribus donabat; modò, ut ostenderet pecuniam non servare, multa à Principe præstolari contra animi sui sententiam fingebat. Itaque sic sua & se donis, & muneribus redimere videbatur, ad quod amicos, affinesque hortabatur tamquam ad Officium Regi gratissimum. Nonne ad infamiam, qua mox damnatus est, timoris vim eum pertraxisse creden-

D dum est. Ut in Regem scilicet conspiraret. Non enim fallebat eum, præsenti statu nullum fore sibi, domuique suæ opportuniorem, modò se perpetuum sperasset. Modus autem, quo pessum ierit, cum mihi ignotus extiterit, vitans mendacii discrimen, omisi, contentus vulgari testimonio, & quæ populus novit. Ductus est in carcerem unà cum Francisco Coppula, quemadmodum de illo diximus, eoque die è filiis duo, quos Comites fieri curaverat, cæciori carceri traduntur, domusque omnis direpta, & pro Fisco detenta. Uxor cum ad sponsalia, & magnificè comta, in Arcem venisset, exire inde vetita, in cubiculo clausa,

E aditu & colloquio omnibus interdicto. Pueri dominorum reditum præstolantes, mulis & equis deturbati: illosque raptim ad equile Regium tractos, sunt qui se vidisse referant. Ipse demum sævis dirisque tortus est modis. Interea non deerant, qui, ubinam pecuniam recondisset, interrogarent; & quod tanta cura, & arte simul, & dispendio semper curaverat, scilicet ne pecuniosus haberetur, cui maximè voluisset, minimè persuadere potuit. Adjice ad hoc, quod corporis patiebatur tormentum non levius. Filios, quos vinctos diximus, supinos tabulis impositos, jumentis per celeberrima Urbis loca, usque ad mercatum ipso nundina-

dina-

dinarum die tractos, ut nobilius esset facinus, ad decollandum, omnis populus vidit; ubi truncati, quatrifariam distracti, stipitibusque affixi, propter Regias vias ad spectandum sursum sublati sunt. Quod eum minimè celarunt, qui illum non satis torsisse credebant, ni etiam hoc addidissent. In eum tormentorum devenisse pavorem ferebatur, ut cum aperiri carcerem præsentiret, & qua fugere minimè poterat, satagebat externatus, & si fortè cavum aut rimulam ibi se immittere posse, & occultare sperabat. Hæc finiit, quando unà cum Coppola Sarni Comite eductus, atque spectante populo, præ foribus Arcis ambo securi percussi sunt. Filiorum, qui supersunt, alii Præsulatus honestantur dignitate, alii privatim degunt, & tantæ paternæ rei penitus extorres.

Subiit etiam, ut *Hugonis Alanii*, *Marinique* germanorum factum recenseam, priorum haud simile. Siquidem privatos non adeò divites spectavimus; mox à primo Alphonso Rege inter Comites, magnosque cooptatos. Nam alterum *Regni Cancellarium*, *Burrellique Comitem*; *Buchianici* alterum effecit. Et hos ante dignitatibus, quàm vita perfunctos vidimus. Qua in re præcipuè humanarum rerum inconstantiam perspicere possumus, ut quibus primùm datum sit tribulium suorum secularis dignitatis titulis insigniri, negatum etiam sit in morte illis usque prodesse. Quod si antea quæ nuper evenissent, superfluum, & importunum fuerat enarrare, & inconstantiam varietatemque rerum, & humanæ prudentiæ imbecillitatem, tot singulorum infelicibus eventibus demonstrasse: erit en satis hoc unum ad ostendendum, quæ omnifariam stare videntur, momento posse subverti. Quid illud fuerit, breviusque factum sit, rupto naturali ordine, ut decet, dicam.

Ruisse Venetorum Rempublicam, Regnum, ipsosque de capite, & de libertate laborare. (*) Qui verò quanti fuerint, habitive hactenus sint, orbis non modò Christiani; sed ne universi quidem angulum reor, in quem non clarum Venetorum nomen pervenerit, Historia insuper teste de illorum gestis, quam tot diserti doctique viri scripserunt, qui eos & prudentiæ, & virium ad miraculum usque extulerunt, ad quam nosse illa cupientes remitto. Tamen & liquidiora mihi, quæ mea ætate gessere, ut præfatus sum, fideliter referam, ut simul quemadmodum decreverint, & quàm citò, noscatur. Idcirco quæ cum Philippo Mediolanensium Duce gesserunt, tentemus, quod semper superiores fuerint, multaque Castella, Civitatesque illi ademerunt; propugnaverunt suos fines; & imperium auxerunt. Compararunt exercitum omnium maximum, quo majorem multis antea seculis Italia non vidit, habueruntque sub Francisco Carmagnola eorum duce; & tamdem ad id cum Philippo res devenit, ut prope mœnia exercitum transmitterent, adeò propiùs, ut bombus tormentorum ad ipsum etiam Ducem, clangorque tubarum pervenerit, quo, ut ajunt, dolore percitus, brevi mortem obivit: cujus post obitum pleraque, quæ illius fuerant, sibi vendicarunt. Cumque Mediolanense Populo, in libertatem se asserere satagente, bellum sumsere, in quo, etsi Franciscum

(*) *Hæc scripta, quo tempore omnium gravissima procella invictam Venetorum Rempublicam concussit. Verùm ii non multo post incredibili fortitudine, felicitate, & gloriâ sua quæque recepere.*

A Sfortiam illorum Ducem (**) profligatum, cladeque ingenti affectum eorum exercitum audivimus, illico tamen se ea prudentia, & viribus probavere, Francisco Sfortia sibi juncto, & validiori comparato exercitu, ut victori hosti minimè cesserint, quin potiùs eum represserint, & brevi superiores emerserint. Eadem tempestate etiam cum Alphonso Primo Rege nostro non semel gessere bellum, cujus aliquando classem per diversa maria sequuti, tamdem in Siracusano portu inventam, nequidquam tutantibus oppidanis, & opibatis, succenderunt, & naves illas maximas ad terrorem navigantium ædificatas delevere. Nihilominus pacem æquioribus sibi conditionibus effecere. B Adversus Franciscum Mediolanensium, & Renatum Andegavensium Duces, unà secum pugnantes, adeò fortiter restitere, ut brevi dissoluta Ducum societate, pacem Francisco & ipsis gloriosam, nec minùs utilem dedere, inscio, ne dicam invito Alphonso eorum Collega, ut per se satis posse ostenderent. Cum Ferdinando etiam Rege post patris obitum non semper pacem habuere; sed interfuere bella, in quorum compositione nil se minores conditionibus voluere. Et eadem tempestate Cyprum Insulam Rege vacantem, & cui multi anxiè inhiabant, neminem veriti occuparunt. Deinceps cum in Herculem Ferrariæ Ducem arma moverent, C timens reliqua Italia, nè etiam Ducatum illum sibi adsciscerent, communi consensu suppetias Herculi, privatis quisque sumtibus misere, & quidem validas. Etenim Ferdinandus, Calabriæ Ducem Alphonsum filium ingenti manu propere ire jussit; quin & Ludovicus Mediolanensis imperii moderator, cum omni militum robore præsto adfuit. Pontifex Sixtus Legato Ecclesiæ cum illius milite, ut se reliquis jungeret, imperavit; & tantis copiis, totque Principibus, Urbinatem Federicum ea tempestate Ducum maximum, præfuisse cognovimus. Vidimus nihilominus Venetos suis tantùm viribus, & copiis innixos, tot hostibus, tam validis, summisque potentiis nihil cessisse; quin potius Ferrariensi nonnulla D abstulisse, & hostem omnem æstivo tempore eo modo tractasse, ut ante hybernorum opportunitatem dederint potiùs, quam acceperint, conditiones: re ipsa teste; siquidem quæ vi abstulerunt, deinceps quietè ut propria possidere licuit.

Penetrasse Carolum Francorum Regem ad nos usque, cum ad deturbandos Regno Aragonios iret, aucupatoris in morem, pugno accipitrem gestantis, cognovimus, quia minimè sibi obstituros Venetos cognoverat. Ne quidquam similiter in reditu; postquam enim magnitudine successus dolentes fœdera cum plerisque pepigerunt, ut Gallorum cum Rege E vires in Italia attererent, ad quod præcavendum Rex, priusquam collegarum copiæ convenirent, in Gallias præmaturabat iter: quod intercedere adversariorum copiæ cum tentassent, adeò strenuè rem eorum navavere, ut si similis reliquorum adfuisset virtus, facilè eo in prœlio Rex, aut capi, aut turpiter fugari potuisset. Nec minori tamen constantia ad fines usque illius persequentes, Mediolanensi & bello eo, & secuta pace emolumento fuere.

(**) Hæc contra veram Historiam. Proinde consulendi graviores Historici.

re. Eodem animo cum Ferdinando juniori Regi adfuissent, oppidorum, quæ Galli de Regno Apuliæ vendicaverant, ipsis armis sibi aliquot vendicavere, utque jure parta, neutri Regum restituere voluerunt, etiam tenentibus illis Regnum reliquum, & sæpe amicis, & confœderatis. Nonne altero ab hoc calamitatis eorum anno, fervente omni Italia, ingenti apparatu Imperatoris, partim formidantibus, partim ad res novas se erigentibus, intrepidi soli illi occurrere non sunt veriti? & ea prudentia, & robore, ut non modò Germanos, finibus suis illæsis, arcuerint; sed & illorum ingenti clade illata vastaverint, & insuper oppida regionis non infima ademerint; & ulteriùs, ne se proferrent, pacis potior conditio effecit. Quæ etiam vi ceperant, detinere permissum, proventusque, reditusque illorum ad se jure devenire; denique non priùs restitui debere, quàm omne æs in id bellum erogatum, solidum restitueretur, nulla perceptorum fructuum habita ratione. Quam quidem pacem, inscio, ut aliqui, ut alii verò, invito Rege Francorum eorum collega, firmasse volunt, eamque inter dissidii causas, calamitatisque Venetorum adscribunt. Nam renuntiantibus id eorum Legatis, vultuosè Gallum respondisse fertur: fuisse tunc Venetorum, pacem talem annuntiare; etiam quandoque suum, bellum indicere. Ultimo verò cum in se tot potentes, clarosque Principes, Pontificem Maximum, & Francorum, Aragonumque Reges conspirasse cognovissent, minimè animos submisere, sed constanti virtute vires, quibus illis se objicere possent, munitionesque Civitatum, oppidorumque providere non destiterunt; & adeò ingentem equitum, peditumque paravere manum, ut hostium ingentibus copiis obsistere sperarent, Civitatesque, & oppida, adversa jubente fortuna, obsidiones diuturnas comparatis munitionibus perferre possent. Quod unum perpetuò mea memoria eos attriverit, infirmioresque reddiderit, est juge bellum, quod cum Turca diu infeliciter gessere. Quippe illos Dalmatia, Illyricoque penitus exegit. Quod si verum pervestigare voluerimus, solidius Venetorum robur illic Turca succidit. Quippe omnis nauticæ rei facultatem, quæ magnos illos, potentesque effecerat, Provinciæ illæ suggerebant. Unde enim materiam, picem, ferrum, omnemque denique ad Navium fabricam, apparatum? Unde porro, & remiges, & epybatas, ad quantamvis classem exstruendam, atque conducendam, commodiùs quam ex ipsis Provinciis, quæ non tantùm ad classes ingentes parandas; sed portus tutissimos adversùs tempestates opportunè detinendas, præstare valerent? Audisse aliquando memini de eorum primariis, si quis pressiùs Venetorum Rempublicam taxare vellet, facilè reperiret, potentiorem ditioremque, & minori invidia laborantem tunc exstitisse, quàm cum tot amplis Civitatibus in continenti Italiæ dominaretur, & rei nauticæ tantam commoditatem amisisset. Quippe quod vires illorum ibi infractæ sunt, magnitudini hostium adscribi potest. Quod verò non semel provenerint, passimque ceperint, & tamdiu se continuerint, constantiæ, & virtuti eorum meritò dari debet. Itaque ex Turcarum bello multum damni, ignominiæ nihil reportarunt.

Dixeram, eorum Regnum omnium opinione corruisse celeriùs. Quippe Nonis Julii Francorum Rex hostium validissimus in eos, ut potentiùs, ita celeriùs se accinxit, & Mediolani lustrato exercitu VII. Idus Venetorum exercitum in agro Caravagensi assecutus est, cumque eorum parte manus conseruit, quæ ad detinendum eum restiterat, donec reliqui ad tutiorem locum pervenissent; & quamvis strenuè milites rem navassent, pedites præcipuè, fugati profligatique sunt. Equitum pars, pedites verò universi ferè interemti; hoc enim liquido constat. Quæ autem plerique conjectari volunt, si omnis concertasset exercitus, secus evenisset, aliorum sit judicium. Nos autem quæ facta sunt, non quæ evenire potuissent, cum incertum sit, scribimus. Scire enim maximè cuperem, quando eorum Rempublicam virtute natam, & auctam, prudentiaque diu servatam ostenderimus, & nunc, nec vires defectas, quin potiùs erectas, Senatum, & prudentia, & numero crevisse cernamus, tam parvo pugnæ accepto detrimento, nec quiverint consulere, & providere, ne ferperet, & in tantum eorum malum perveniret. Hoc casu sive fortuna minimè accidisse credendum est. Prævisum enim, & antea sibi indictum sustinebant bellum. Opposuerant omni vi venturis se hostibus; consuluerant etiam casuræ fortasse rei tum milite, tum machinarum, tormentorumque apparatu; frumentariam rem opportunis locis comparaverant: fossis, turribus, reliquisque munitionibus Civitates, Arcesque tutandas curaverant; stipendium innumerum plurifariam dispertierant, ut opportunè, non modò ad suos continendos, verùm adversariorum militem alliciendum, quo uti valerent; Legatos, quos ipsi Provisores exercitus appellant, Senatus, qui frequentissimus quotidie cogebatur, solito plures, prudentioresque eo bello elegerat; & in suam quemque Provinciam ire jusserat. Fortunæ quippe, & casus incursus tali modo provisos impetere non audent; sed ne fari vis, si plurimorum, & Philosophorum definitionibus crediderimus, eos atterere tam brevi potuisset; cum alii necessitatem indeclinabilem, non repentinam, esse velint; alii rerum perpetuam seriem semper se connectentium. Sunt qui Astrorum in suis locis progressum fati vim afferant; & non desunt, qui aliter interpretentur: quæ recensere perlongum esset, & facile refellere. Ergo hæc utpote ad rem non spectantia sinamus. Rectiùs tamen appellemus ordinem à Deo provisum, & perpetuò constantem, & omnia suo loco, & tempore producentem, universitati apta, & suæ dispositioni congruentia, licèt nostri intellectus paucitati abstrusa, & incognita; & quibusvis fat sit credere, cuncta justè, sanctèque, præter vitium, & scelus, providentiâ, & Dei judicio, evenire. Hoc ergo fato credere possumus, tam inexpectatam Venetis cladem inflictam; caussam verò solus, qui omnia potest, & cui præter justum nihil placet, novit. Ex his hoc eliciamus, ut numquam timere Deum desistamus; tum quæ immineant, quidve de nobis statuerit, nulla ratione, aut argumento prænoscere possumus. Hic fermè est Timor, qui intrepidè futura expectare finit, & æternæ vitæ præstolationem, vitiorum fugâ, spondet. Bene eum profectò timebimus, non aniliter expavescendo tonitrua, aut somniorum terriculamenta formidando, sed illius potiùs obsequendo mandatis, & Sanctorum virorum juxta monita vitam vivendo. Erit profectò do-

documento sanis mentibus tanta tamque præceps Venetorum dominationis ruina, ut viribus, aut consilio minimè fidant; sed eum prae oculis habeant, ab eoque se augeri, auctosque servari, efficaciùs bonis operibus, & vitæ sanctitate, quam verbis, & precibus postulabunt.

Cum multorum, quos videramus, ad nostram reprimendam insolentiam, æstuantemque habendi sitim diluendam, eventus rerum infelices, exitus miserandos, non modò singulorum, sed etiam numerosæ Gentis, instabilitatem rerum, variantesque fortunæ vires nostræ tempestatis ostenderimus, ad monimentum superbientium animorum, vanis, caducisque fidentium: operæ pretium duximus, ut qui felices & rebus, & honoribus abundantes, infaustis à nobis eventibus enarratis subtristes, meticulosos, & sibi fortè paria timentes effecerimus, etiam ad erigendos dejectos miserorum animos ad spem potiora & feliciora assequendi, ejusdem mobilis, inconstantissque vicissitudinis documento surrigamus. Extant profectò non pauciores, quos ex infimis altos, fortunatosque cernimus, iis opponendos, quos è summo ad infima demissos ostendimus. Nemo igitur miretur, si priorum ediderimus nomina, horum autem subticemus. Credo enim ratione factum, ne in odium incurramus, tamquam invidi, & alieni boni detractores. Scimus enim, graviter, molestèque laturos plerosque, cum dignitatum, aut natalium novitate taxatos se senserint. Etenim non pauci inter tales spectantur, quos priùs beatos, quàm notos ostendisse oportuerit; plures etiam velut olera, quorum nec semen, nec fomentum nascebatur, in altitudinem insperato crevisse cernuntur; & tamen haberi velint, ut qui fortunas, & honores, & magna nomina vigilantia, atque industria, & ut uno complectar verbo, virtute sibi paraverint, tanta animi pervicacia, ut ne Principibus quidem iis, qui in eos, & forsitan immerentes, tanta contulerant; acceptum referre, aut gratias saltem habere velint: quorum non solùm, ut prædiximus, nomina celare volumus, sed ne notis quidem, quibus dignosci possint, sugillare intendimus. Vidit profectò nostra juventus, videtque præsens dies privatæ conditionis homines, quorum hactenus nec sui, nec suorum fuerat notio, inter suæ sortis homines plurimùm eminere, & Magistratus gerere; et si altiore in gradu cernimus, humillimo tamen stetisse cognovimus. Spectamus insuper, quos & si vetusta Nobilitatis series ediderit, nullo majorum

A stegmate, aut suo aliquo facinore censeri posse, nihilominus ad summos honores, potentiæque gradus devenisse; nec pauciores, qui ampla, ditioraque Sacerdotia possident, quam qui Magistratibus, Comitatibus, & Ducum titulis Spectabiles procedunt: quorum, præ multitudine jam titulorum insignia viluerunt. Quippe jam Comitatus multi dedignantur, altiora petentes nomina. Et quoniam animi propositum est, omnibus cujusvis fortunæ hominibus bonam spem facere, spectent, qui mercimonio se augere contendunt; tot ditatos, spectatosque viros, quos mensis numerariis, vestiumque tabernis alienis inservisse

B noverint, & vilissimarum rerum, sordidarumque ministeria; quibus invidisse, & similes esse multi velint. Quid multa? Cum nec hominum statum, nec fortunam, nec artem cernere est, in quibus ex minimis maximos devenisse, plerosque nullo probabili merito spectamus. Eadem itaque ratione qua fortunatos nimiùm fidere, & minimè insolescere vellemus, cupimus miseros, & abjectos spem præsumere è tanta multitudine, quæ adeò ditem, beatamque se undique offert, quorum bona pars otio, malisque artibus, Principumque insaniâ ad id devenere; sed nolim præterea inerti, & otiosæ expectationi se committe-

C rent, aut iniquis, turpibusque negotiis invigilent; sed magis justa, honestaque sectari, & strenuè laborare, ut saltem si spem eventus frustratus fuerit, noscatur sibi ipsis non defuisse, imò quod suum fuerat, tempus scilicet & studium laboriosissimè impendisse. Hæc admonuisse satis, superque; & quando tanta sit hujusmodi novis fortunis, & nominibus aucta frequentia, aut etiam connieentibus oculis se objiciant, utinam quemadmodum optamus miseris spem præbeant, animosque faciant, & non potius invidiæ, & maledicentiæ occasionem dent. Volumus namque non solùm bene sperare, sed quæ speraverunt,

D feliciter assequi. Quare monemus, si quando quod concupierant, consequuti fuerint, & forte quod sæpe contingere solet, ampliora quàm, quæ mente præsumserant, meminisse velint pristinæ conditionis & fortunæ, nec oblivisci cautionem timoris, quod fortunatorum frenum esse debet; & gratos esse, acceptorumque debitores se cognoscere; sciantque, Deum habuisse Auctorem, cui ut & construendi, ita & demoliendi eadem est vis; & quæ ab homine receperint, etiam gratè recordari velint. Est enim ingratitudo malum publicæ utilitati officiens, & præcipue indigentium.

DE INQUISITIONE

EPISTOLA

TRISTANI CARACCIOLI.

Constanter quotidie per literas efflagitas, quod coram sæpe petieras, ut si quid insoliti apud nos eveniret, certiorem te facere non gravarer; & potissimum si qua aliquando non solita, nec usitata, & quæ scribi non ab re fuisset, evenirent. Nihilominus meam servans sententiam tamquam judicio electam, id facere supersedi. Nosti enim jampridem me incuriosum, & talium adversissimum. Credo enim nuntiorum indagatores plerumque falli, & sic non vera aliis tradere, geminoque errori se objicere. Itaque cum nostræ conditionis mentiri non sit, & verum difficile inventu, ab hujusmodi vitiis me asserere, minime perquirendo, plurimumque tacendo, pulchrum existimabam. Quod autem nunc secus, ad te scribendo, facere videor; non profectò inconstantiæ, aut propositi pœnitentia factum est; sed ut conceptam ex re curam, quando verbis coram non datur, literis tamen apud te si non omnem, saltem partem, deponerem, simul ut prudentem cautioremque iis per me cognitis, te reddam, ut evitares, quæ futura præsagiuntur, si datum est; sin secus, æquiore animo, ut prævisa, acciperes.

Tenere te scio, Regem nostrum, vivente Elisabella ejus Uxore, decrevisse, omnem Hispaniam, quod est ad ea, quæ puritatem, sinceritatemque Christianæ fidei fœdare possunt, eluere, & mundam reddere. Quod cum minimè se perfecturos sperarent, ni prius Neophitos, qui vetustos Christianos inter viventes, se priùs, Judaicos sectando mores, deinde & illos è sanctis dogmatibus educebant, castigatos è Regno abigerent. Et quando natio callida versutaque cum sit ad alliciendos ad se homines, quæstumque percallens, cœperat Hispanorum plerosque, qui nec ipsi, nec majores ipsorum, nisi vera Christi Salvatoris dogmata noverant, pernicioso suo veneno inficere. Qua in re adeò prævaluisse feruntur, ut omne rerum arbitrium ad se traherent; nihil esse ducentes tam magnum, quod non auderent, & per se melius agi existimarent. Eoque jam pervenerant, ut affinitates cum Proceribus vulgò ingererent, tum ob divitias, tum ob artes, quibus impotentiam Regum instruerent. Etiam Sacerdotiis manum injecerant, vectigalibusque, quę non modò publica, sed Regulorum redimebant, maximè studebant, occultè callideque ferendo, ut Regum postulatis obviam iretur. Sicque Principum frustrati sunt voluntates: quam causam fuisse remur citiùs inquirendi illos, & sæviùs plectendi. Quo terrore, & suppliciis cum multi vita, & fortunis privati sunt, tum plerique posthabitis domibus, & fortunis, vitæ consulentes, fuga se tutati sunt. Quare & si deinceps Reges quietiùs imperitarunt, non parum tamen & hominibus infrequentius Regnum, & divitiis exhaustum reddidere, sancta illa Inquisitione, seu Sanctitatis prętextu. Quare, & si honesti rectique forsan propositi fuerit inventum, tamen exequendi modus crudelitatis, & avaritiæ nomen indidit. Duraverat intentio, & rigor facinoris hujus in mortem usque Elisabellæ Reginæ, qua cessante, & Rege, adventu Philippi Generi sui ab Hispanis deturbato, aliquantisper remissa sunt, quoad Rex à nobis ad Hispanias reverteretur, ex quo nulla minori austeritate, avaritiaque repetita audivimus. Dumque hæc in Hispaniis aguntur, ad nos sæpe fama pertulerat, gestire Regem ad hoc suum Regnum, & qui similiter inquirerent, & punirent, destinare: Quod etsi multorum animos fama hæc percusserat, tamen quando diutiùs prolatum videbatur, credebatur numquam fore; nec tentaturum Principem rem novam, & hactenus inauditam, ubi talium criminum nulla suspicio extiterat.

Hac spe, aut opinione subfirmatis animis, proximè ad nos Præsul Cepheleditanus Neapolim accessit, Divi Dominici institutionum Professor, ad Inquisitionis Officium (ut fama erat) peragendum. Cumque aliquandiu nihil tentasset, nec adventus sui caussam, neque potestatis documenta ostendisset, opperiens, ut eventus declaravit, Officii Collegium, cui, profanus cum esset, liceret capitaliter plectere, & libenter damnatos expilare. Qui non multis post diebus huc appulit, magnaque illius adventu animorum commotio subsequuta est, adeòque omnium mens in Officium, Ministrosque excanduit, ut nullo expectato Inquisitorum ad progressum motu, nec habita quid acturi forent, cognitione, subitò viritim, vicatimque privatis, & publicis congressionibus acclamatum, nullatenus ferendum, tale Inquisitionis Officium in se non modò peragi, sed nec indici quidem; proinde, si qui ad hoc venerant, ab omni illius incœpto progressuque desisterent, in bonamque eorum rem, quà venerant, reverterentur. Cumque summussaretur, statuta Dominica die habituros Inquisitores maxima in Æde sermonem ad Populum, paratosque Rogatione Urbem, Crucifixi Domini atratum proferendo signum, lustrare: adeò grave, intolerabileque acceptum est, ut illico, undique convenerint unanimes, se sumturos arma; & si quid tale ausi fuerint, etiam vi inhibituros, minitantes. Hoc communi omnium sententia & Nobilitatis, & honestorum Civium, & humillimæ Plebis, tamdem deventum est, ut ad Vicarium Regis mitterent, qui hanc unam omnium mentem deferrent. Delegaruntque plures numero ex singulis Civitatis Regionibus, quomodo mitti soliti erant; qui summam injunctorum audacter retulere; & cum uni eloqui datum esset, pauci tamen abstinuere, quin ex se aliquid adderent. Ubi relatum, qualis Hispaniarum Inquisitio redacta sit, & quàm levibus ex caussis crudelissima tormenta, & mortes inflictæ; quin & judicatum contra jam vità functos, & cremata ossa sepulcris eruta in mortuorum dedecus, viventiumque terrorem;

præ-

prægnantes, non expectato partu, necatas; pueros, infantesque pro parentum postulatis exheredatos; puellas, & virgines nec suæ, nec alienæ culpæ obnoxias, contra virginale decus, pudoremque nudas per oppida circumactas, & dotibus privatas; submissos, etiam, qui innoxios tamquam inquirendos territarent, fugereque compellerent, fugamque exinde criminum confessionem judicantes, domos, villas, ceteraque eorum bona Fisco addicebant; & famulitii, si quid fortè remanserat, in carcerem ad quæstionem trahebant, ut quæ abeuntes Domini occultassent, indicium ab illis extorqueretur; & longè iis exquisitiori rapacitate, avaritiaque ministra objectum est; quod in malluviis Jesu nomen celatum haberent, ut illum exspuerent, in illumque excrearent, & vomerent, caussati stomachi levandi repletionem; nonnullis, quod Crucifixi Domini signum, ubi scaphia, & matulas collocaverant, depictum tenebant in illius contemtum; subsanasse alios, dum sacra & sermones de Jesu Salvatore agerentur, exinde exitiale exstiterat.

Hæc, & his plura cum tumultuariè ad hoc missi dixissent, tamdem hunc dicendi terminum imposuere, iterum repetentes: nolle Civitatem, omnino pati, inquiri in suos Cives crimina sibi ignota, & ubi numquam similia audita sunt, & similiter subire discrimen lucrionis delatoris, cujus etiam nomen celaturos Inquisitores pollicerentur, & quæstus partem præbituros. Itaque multam fore rapinam oportet, de qua multos ditari velint. Unde liquet, non sinceritatem Fidei inquiri, quæ apud nos Christianè viget, sed æs, quod eripi, & subtrahi possit. Ergo cum nos, & nostra, opportunitati Regis exposita sint, precamur, ne cum tanto nostro dedecore nos expilari, & sub velamine Fidei, prædæ esse velit, & tamquam Infideles occidi. Si ergo Regni quietem, & Regis gloriam optat, inhibere velit, ne hujusmodi homines ulteriùs ad agendum procedant, neque Orationem de hac re habere, neque rogatione Urbem lustrare sinat, si motus, & turbellas excitari nolit: quod profectò Regi ingratum & indecens, & nobis damnum, quibus similia minimè cordi sunt, utpote inutilia, & inhonesta. Hæc & ordine, & gestu acta sunt, ut facile turbatos animos dicentium nosceres, quibus adstipulabatur adstantium murmur, & crebra dicentium interruptio, cum nemo satis per Oratores mentem Civitatis expressam crederet, & se quisque aliquid ad rem pertinens suggerere putaret. Quæ oratio, juxta quorundam judicium viriliter audacterque peracta est. Erant tamen, qui temporum, & personarum habita ratione, nimis intentam, & ut honestius dicam, animosam judicabant postulationem, quam ne eventus aut inconstantem, aut damnosam ostenderet, Deum precabantur.

Responsum est à Præside, Regis literas esse, quibus jubebat, Inquisitoribus Magistratus adesse, quarum similes credere se ait, Neapolitanos accepisse; vellentque, ut hos, tamquam à se missos, ob eorum utilitatem, & Christi Salvatoris gloriam, utque ejus nomen sincerè, Catholicèque celebretur, benignè gratèque accipere, favorabilesque illis esse, si rem gratam facere sibi cuperent, seque ejusmodi rei bonæ memorem fore. Proinde Regis mandata exequi velint, quæ utilitatis maximæ, & honoris caussa jusserit, non direptionis, in-

A famiæ, & occisionis, ut male persuasi ipsi autumant. Magistratus autem munus est, sui Principis voluntatem exequi, non autem solvere, neque illi obsistere. Cui minimè assensum est; sed quasi chori vox ex diversis una audiebatur, caussantium Regis facilitatem, & Quæstorum importunam avaritiam. Itaque perstare iis, quæ poposcerant, enixiùsque petere, ne quid novari permittat; eumque per Regis Regnique otium adjurare; quando nihil magis, quod Regiæ Celsitudini conduceret, moliri possit. Quos cum adeò subiratos videret, Præsul ipse expectare tantisper responsum jussit, dum Consiliarios adeat. Mox revertens respondit: *Ut noscatis meum in vos animum, &*

B *id, quod citra inobedientiam Regis facere possum, libenter præstare, ad Regem delegetis, qui rem omnem, ut hìc acta est, enarrent, & Civitatis fideliter caussam agant; fore enim facile, ut Princeps vestras admittat rationes, voluntatique satisfaciat; & ipsi audito Rege, quid suæ sit mentis, quid diu ad hoc agitandum egerit, sine ambiguitate cognoscant, & facilè conventuros sperare.* Interim se inhibiturum, ne quid novi hac de re Inquisitores moliantur. Hortatur tamen illos, ut quietè pacificèque rem suam quisque agat, nec otium Magistratus, mentemque Regis turbent, in iramque provocent.

Iis igitur acceptis discessere. Quem verò ad Regem destinarent, mox unanimes elegere eo

C consensu, ut mirum profectò Neapolitanis videri possit, quem diuturniorem nostri soliti mores non spondent. Et utinam ante egressum Oratoris; non enim jam dissidii semina desunt, & qui tempestivè illa spargere norint. Cumque nondum ad Regem destinatus necessariis se expediverat, ecce tricarum sparguntur fila. Me tamen & ætas, & longè magis quæ videram, meminerimque, suspectum reddunt; sed ominari sinamus. Novimus enim, pauca juxta hominum judicium evenisse; sed plerumque diversa, sæpe etiam contraria. Exitus ergo ostendit rei veritatem, non nostra prædictio. Iis igitur de caussis occupatis animis, & Oratore non dum digresso, fortè eve-

D nit, quod multi ad Inquisitorum terriculamentum factum volebant: quare hìc subdere non alienum duxi, & simul ut verum liqueat.

Lis pervetusta erat inter Civem, & Magistratum, quem Justitiarium appellant, de qua non semel inter partes jurgia, & verba utrinque minus honesta jactata fuerant, & animorum virus præseferentia. Cum itaque fortè obvii sibi fierent, vir, qui proximè Civitatis caussam solerter curaverat, & puer patroni, qui è contrario litem diligenter defenderat, primo conspectu se subsannando salutaverunt; deinde de statu caussæ perquirendo, ad convicia, & verba animos detegentia perruperunt. Hinc rumor percrebuit, omnemque pervasit

E Urbem, à cliente illo Justitiarii Civem, populo carum ob caussam strenuè in Justitiarium actam, lethaliter percussum esse. Nil ultra consultiùs expectato, itum ad arma tabernæ officinæque clauduntur, quisque armatum se multitudini addere festinat. Itaque expectatione celeriùs maximam armatorum manum circuisse Justitiarii domum videres, eamque perfringere tentantem, ipsumque exposcere, tamquam perpetratæ Civis necis auctorem. Hæc audientes Magistratus, & Optimatus quam plurimi advolant ad tumultum sedandum, mitigandumque plebis furorem, quem tamen avertere omni arte & studio nequiverunt, do-

nec

nec errorem manifestum ostenderent, & quem graviter percussum audiverant, incolumem beneque valentem coram cernerent. Interea qui ad inquirendum venerant, sibi plurimum timentes, suique caussa excitatam plebem rati, alienis domibus pluribus commutatis, secretissimas latebras petierant. Itaque quod controversia Civium actum est, id terriculamentum Inquisitorum plerique credunt, & Hispani fere omnes aut tenent, aut caussantur. Quæsitores sociique (& si verum norint) in se arma sumta mussitare non desistunt. Hæc hanc usque in diem acta sunt; finis tamen dubia expectatione est; qualem verò nemini liquere credo. Multi tamen, quod vellent, futurum existimant, non reputantes potentium mentis recessus, ubi quotidie condunt, quæ quandoque minus expectato suum ad usum promant.

Oratoris ad Regem missi responsum expectatur, quem incolumem isse, & reverti optamus. Vir quippe frugi est, sed valetudinis non æquè par; pedibus enim, & si juvenis, laborat. Interim sollicitæ de responso Civitati, anxiæque, quod aliquamdiu nuntii morabantur, allatæ sunt literæ ab Oratore ad sex viros, quibus caussabatur tarditatem appulsus ad Regem valetudine, qua itinere tentatus non adeò, ut volebat, ad iter intenderet. Sicque tardiùs quam optaverat, sed quam timuerat longè citiùs, ad Aulam pervenit. Ubi à Rege benignè acceptus, & mandata prolixius distinctiusque exponens, attentè placidèque auditus. Cui Rex satis sereno vultu, placidisque verbis respondit: Non profectò illis de caussis, quibus perperam Neapolitani persuasi fuerant, aut vereantur, sed pro Fidei puritate, Christique Salvatoris gloria, sui, & subditorum claritate vitæ morumque, Inquisitionem hujusmodi Neapoli intentari per suos velle; neque eos, quorum majores salutari unda persusi essent, tali indignationi subjacere. Sed instantibus Conventibus, se daturum operam, quoad illos dimiserit, ut mox per aliquem Senatorum intelligat, qui ad eos, qui ad illum miserant, respondere valeat, quid suæ mentis fuerat.

Sex fere dies post receptas hasce literas, recentes aliæ afferuntur, quibus Civitatem scire volebat, cum nequaquam expectatum, sepiùsque requisitum responsum ab iis, quos reddituros speraret, accepisset: visum est per se iterum Regem compellare, ut dignaretur sua Celsitudo brevi petitionibus Neapolitanorum assentiri; ostendens, quàm gloriosum suæ Majestati, & conducibile nobis suis fidelibus futurum esset. Cui paucis, curaturum se quamprimum, & justificè respondere; nec potuisse propter circumseptum à Purpuratis Regem ulteriùs alloqui. Quæ ut primum pervulgata sunt, Civitatem omnem adeò iterum, sed variè, commoverunt, ut pæne omnium mentes male affectas ostenderent, ut qui responso tali negatam postulationem judicarent. Alii demisso capite, considerato, quàm discriminosa res esse posset, tristes secum, aut cum paucis sui similibus meditabantur. Alii verò & hi pars maxima, invicem se adeuntes, proprias claudentes tabernas, alienas ineundo, hoc responsum maximè verentes, ut venturi mali præꝰnuntium, ferocioribus verbis, non id pati debere, mutuo se hortantes, similiter vicatim cœtus eadem de re non modestius loquentes aspiceres, & velut Justitia indicta Curiam suam unusquisque petere, ut quid agendum foret consultaret. Itaque per Nobilium Consessoria, perque Civium conventus decretum est, secundò, Regis Vicarium majori numero una cum sex viris expostulatum iri velle, enixiusque Regi eorum nomine supplicare, nolit rem tam acerbam ipsis sibique invisam executioni tradere. Profectò hoc se augurari malum, negotiaque molesta perpetuò adfutura; quantique discriminis sit, nosse Regem, subditis displicuisse, nemo ignorat, jure, vel injuria, nil distantibus.

Sicque catervatim inde Reginam Ferdinandi prioris uxorem eadem petitum adeunt. Nec intermisso cursu ad Cardinalem Surrentinum eamdem orationem habuerunt. Ab utrisque idem responsum: molestissimam sibi esse hujusmodi rei mentionem, utpote multorum mentibus, & quieti adversam, scripturos nihilominus se accuratissimè ad Regem, precibusque efficacissimis rogaturos, ut quavis ratione Neapolitanis hac in re beneficum se exhibere vellet. Scripserunt & ipsi, urgentes Oratorem, ut perseverare velit in priorum postulationum constantia, & scire, quàm male acceptum fuerit ultimarum literarum responsum. Quod si è re judicaret, literas ipsas Regi ostenderet. Hæc hactenus à secundis receptis literis acta sunt. Expectatio majoris timoris, quam spei est. Animi Civium valde moti visuntur, & quotidie aliquid novi susurri auditur, nunc venisse jam Inquisitionis metam, sed celari à Magistratibus, donec consultius Regis responsio reddatur; modò non venisse, sed prope diem adfuturam dicunt, & pro caussis conjecturas disseminant. Observatus interim quàm minimus Inquisitorum motus; domum enim prope Arcem, ab eis magna importunitate quæsitam, volunt, ut officium licentiùs tutiùsque ibi peragere possint.

Exiit deinde VI. Kalendas Octobris, (sive rumor, sive suspicio mentes hominum subierat), vox, quæ ingenti motu Civitatem exagitaret: venisse literas, ut Inquisitio indiceretur, velleque postridie Regis Vicarium de hac re concionem habere, ibique mentem Regis aperire, ut id pacatè perageretur. Quod adeò pro comperto acceptum est, ut illico ad conventicula concursum sit, acclamatumque, ut tabernæ, & officinæ occluderentur, armisque sumtis convenirent, vindicaturi, si quod Inquisitionis nomen audirent. Adfuere & eâ insaniâ homines, ut tintinnabulis ad arma plebem excitandam dicerent. Res maximo quidem discrimini, ingentique malo proxima fuit: quod prudentiorum interventu vitatum est, & communi Ordinum sententia visum, per primarios Regionum viros, & numero ampliori, Regni Præsidem convenire, ipsumque enixè deprecari, obviam iret tam pernicioso ingentique malo, & per Regis obsequium, quietamque Civitatis salutem orare, cui adeò invisum hoc Inquisitionis nomen, ut quodvis dispendium perpeti, quàm illam admittere, præoptaret. Proinde etiam si à Rege literas aliter imperantes haberet, ut nolit eas propalare, neque quod jubeat exequi, existimetque, Regi nihil gratius futurum tranquillitate, & otio subditorum; cum ipsum tantillâ de re sperent, nolle egregiam hanc suam, Maestatique suæ commodis expositam Civitatem corrumpi, aut talis infamiæ notâ uri. Quibus mirari se respondit, cum nihil tale, neque à se, neque à Rege perceperint, tam indecentes excitasse rumores. Quippe sibi negotium hoc omni ex parte molestum,

&

& anxiæ curæ esse materiam; velle tamen cognoscant Neapolitani suam in hac re mentem; nec minus pro quiete, & otio sui Principis, quàm totius Regni, accuratissimè scribere ad Regem, eumque etiam atque etiam orare, ut ab Inquisitione desisti procuret. Monere tamen magnopere, & exhortari illos interim, ne ad facinus aliquod prolabantur, quod Regem pro majestate non adeò placabilem, & mitem esse fineret; sed potiùs, vel in gratiis suis dissimilem fore cogeret. Daturi utrique ad Regem literas discedunt. Hæc ad hanc diem acta noscuntur.

Interim dum responsum expectatur, numquam desitum est subtumultuari, & conciones crebras haberi tam Nobilium, quàm Plebejorum; & quoties recens aliquid de acerbitate Inquisitionis allatum, seu fictum, seu verum est, itur à quocunque ad sua conciliabula, & semper idem, damnatio scilicet, & acerbitas Inquisitionis agitatur; remedii autem nihil, nisi ad Regem iterentur, & inculcentur priores literarum petitiones. Hoc adjectum est etiam, ut Rogationes, lustrata Urbe, annuntiatæ haberentur, quas Proceres, Nobiles, universusque Populus sequerentur: ordine verò eo, quem, si adfuisses, risisses forsitan, aut stomachosus recessisses. Hæc coram meliùs intelliges, & de nostra sapientia æquius judicabis. Ne verò seriem describerem, metus fuit in caussa, ne fortè in manus nostræ literæ devenissent, à quibus levitas nostræ Urbis meritò videretur. Nonnullos post dies literæ Oratoris nostri redditæ exiguam vulgo spem præbuere. Scripserat enim, Augustinum Vicecancellarium solito meliusculè visum de re nostra sentire, & loqui: quare orare nos, velimus ad illum literas publicas dare, quibus tamquam de re benemerito gratias agamus. Insuper enixè precari, nostrum ut sumat patrocinium, foreque nos exinde beneficii memores, & laboris non ingratos polliceri. Quarum interpretamenta, quàm varia, dissona, quin etiam contraria sint, tibi, qui commentantium ingenium, & libertatem nostri noscis, liquere non dubito. Concursatum per vicos, & fora, obviis se intuentibus invicem, mutuoque interrogantibus. Nec secus in Nobilium Consessoriis inaniter laboratum est.

His adhuc exercentibus nos rumoribus, ecce novi suboriuntur. Quippe sex virorum unusquisque suos tribules admonuit, habere se ex Hæbræo Apulo, cujus reddebant nomen, & ex Christianis duobus, quorum nomina jurejurando acceperant, & propterea non ederent, cœpisse jam inquiri Monopoli, & Præsidis Provinciæ illius Ministros subinde spectari commonentes Populos, velint, quæ Rex mandaret libenter admittere, & sine tumultuatione Inquisitionem exequi. Quanta commotio his nuntiis agitata sit, nisi qui viderint, credere minimè possent. Per vicos furentium more, perque fora, & templa querentes se decipi: quod minimè ferendum esset. Expostulandum propterea cum Præside, quando pollicitus fuerat ad responsum usque Regis, nihil de Inquisitione innovari: agi contrarium. Nunc enim ajebant, nosse nos Inquisitionem; procedere se insciis; & versutè aliunde cœpisse, ut ad nos mitiùs perveniret. Vix itaque aliquibus maturioris sententiæ viris obtemperatum, ut Præsidem adirent, illumque eorum, quæ audierant, certioratum

A ordine redderent. Sciscitarentur insuper, quid de talibus nuntiis haberet, & si vana essent, non oportere ulteriùs progredi; sin vera, supplicarent, ut malum ne serperet, provideret, quin potiùs extingui curaret. Quod profectò in Regis gloriam, ejusdemque & nostrûm quietem plurimum facere existimamus. Dum hæc agitantur, incertique adhuc, vera ne fuerint, an secus, ex Apulia allata, & in labore, & metu esset Civitas: ecce Præsidis stratores sex viros ad illum ire nuntiantes, secumque nonnullos Civium suo quoque ex ordine ducere, audituros profectò rem lætam, omnique Civitati pergratam. Colligentibus se vocationi, adhuc non desitum est

B dubitare, & metus non minus spei secum afferre. Adeuntes verò Præses, vultu priùs, quàm voce curâ levavit, & bene sperare promisit; deinde læto, benignoque ore, inquit, habere se à Rege literas, quibus mandaverat, ut Neapoli, reliquoque ejus Regno minimè inquireretur; pro comperto enim habebat, à Christianorum quoque primordiis hic Fidem merè sincereque servatam, nullaque contagionis nube prætensam. Itaque eis benignè tribuere, ne suspicionis quidem notâ inurantur; ostenditque literas Regis signatas manu, quæ dixerat, affirmantes. Habere insuper Pragmaticas, quibus imperat Judæos cuncto hoc suo abire Regno; ad quorum abitum Martium

C mensem proximum terminum imposuit. Interea licitum sit sua liberè, otioseque distrahere, commutareque cum quibusvis, & quæ ex illis resumserint, secum liberè exportare, excepto auro, argentove rudi, seu signato: quod in antiquis Regni Constitutionibus cautum est. Eâdemque Pragmaticâ, omnes Neophitos, qui in Apulia, Calabriaque degunt, quique ex Judæis ibi oriundi cognoscebantur, intra terminum Judæis datum iisdem conditionibus Regno abire mandat. Interim neminem illis injurium aut molestum esse vellet. Verum si pertinaciâ ausi fuerint præstatutam diem non servare, & in Regno persistere, cuncta eorum bona, ipsosque ubi Imperii sui

D inventi fuerint, ipso jure diripi, & capi licere.

Ingenti igitur lætitia accepta est ejus oratio, revertentesque vicatim, quæ audierant, recensentes, omnis Civitas exultare, & bene precari Regi, tintinnabulisque undique personare cœpit.

Sperabam equidem gaudium, lætitiamque diuturniorem futuram, ut possem per literas tibi, cum coram non dabatur, congratulari de tam exoptato, & demum ultro oblato beneficio; ni Princeps ille discordiarum Diabolus suæ artis ministros, qui ejus semen spargerent, submisisset; susurrantes non perspicuè, Pragmaticæ quædam verba ambigua In-

E quisitionem penitùs tollere, sed dolosè nobiscum agi. His itaque stimulis agitata multitudine, turmatim consultaturi eunt, quid facto opus esset, quoniam pars maxima in fraudis suspicionem devenerat. Visum est, à Præside postulare, ut præconium emittere biduo differret, dum legis peritos consulerent, an Pragmatica aliquid etiam Inquisitionis in nos saperet. Quos & præsumtionis, & diffidentiæ arguit; mirari se inquiens, dubitare eos, quibuscum Celsitudo Regis tam benignè, liberaliterque agi mandaverit, qualiterque tot nobilium reliquarum Civitatum suarum nulla, sibi ab illo versutè imponi, & subdolè agi aude-

audere crederet: fuerat quidem justiùs, tantum beneficium cognoscere, illiusque perpetuò memores esse. Irent ergo, & tam optatâ gratiâ frui, & gaudere sciant. Reversis mox Civitas omnis susurrat, patere jam strophas, & in facto esse, postquam Præses tam molestè tulerit interrogari; Præcones biduo ne Pragmaticam publicarent, detinere noluerit. Obstrepitum veriùs, quàm consultatum diei reliquo. Sequenti verò, qui fuit III. Kalendas Decembris, Præcones ceterique ejusdem officii suum peracturi munus ad Sellarios usque tacitè devenere: quibus visis, tubarumque vexillis agnitis, ingens multitudo se illis objecit vociferando. Tunc territi Præconii ministri fugere, quà venerant, cœperunt. Non pauci clamantes sequebantur. Sunt etiam, qui impetitos luto viderint, fustibusque deterritos, ita ut abirent, citra sonitum populum excitantem, Pragmaticæque enuntiationem. Erant, qui accusationes levium, & curiosorum fortuito sine Præconum injuria factas vellent, & utriusque relationis oculatos testes se exhibebant. Impeti illos cœno, fustibusque fugari, vidisse alii affirmabant. Nec deerant, qui negotio interfuisse, & nihil tale non modò vidisse, sed nec etiam esse actum affirmabant. Cessavit ergo ex omni Urbis parte præconium eo die.

Ingens deinde multos incessit cura, ne tali motu itum ad Majestatem foret, maximè cum etiam qui conclamatum esse audissent, dicerent omnes tabernas claudi, & Regia edicta propalari. Levior enim, & ut solet maxima pars, hæc pro nihilo haberi volebat, & prædicabat, cui potioris conditionis non minima pars non adstipulabatur: quare aliquantulum inter eos certatum, & eos, qui minimè volebant, disceptatum est. Convenere tamen, ut ad Divi Laurentii ædem iretur, ibi quid agendum esset, disceptaturi. Quo in Consilio tantam multitudinem adfuisse cerneres, ut artificum neminem in suis tabernis, aut officinis reperire posses. Et adeò indiscretè concioni se turba immiscuit, ut nihil eorum, quæ ad id electi consulebant, esset, quod audirent, & suis non requisitis responsionibus non interpellarent. Hæc concio in tertiam noctis horam à prandio producta est; & nisi nox finem imponeret, coëgissent diutiùs durare, ut vocum dissonoritas, & sententiarum diversitas pollicebantur. Coacti ergo in tempestate noctis concionem solvunt. Sicque importuna eadem noctis hora Arcem adeunt, Præsidemque conveniunt; eadem, quæ priùs tumultuosè petunt: dilationem scilicet duorum dierum, dum per Legis peritos Pragmatica reviseretur; liberum deinde illi futurum edicta Regis per Præconem publicare. Præsentis Diei motus potiùs pro errore defentionis, quàm pro culpa, purgatus est: quibus, qualiscumque fuerit, pro nihilo duxisse respondit. Pragmaticam verò consultent, quamdiu velint; dilationem bidui, quam postulant, non esse necessariam, quoniam pro nuntiata jam habebat proxima Præconum apparitione: si autem per se promulgare velint, fore eorum arbitrii. Sic ab eo discessum. Varia responsionis interpretamenta, partim culpantium postulata, partim æquè laudantium, unde tale emanaverit responsum. Postque multa visum est, iterum Præsidem compellare, vellet Pragmaticam per solita Urbis loca Præconis voce notam facere; fore id carissimum cunctis: quod factum est citra dissidium, aut tumultum aliquem.

Sperabam equidem receptis à Rege literis, quibus ad Inquisitionis metum efferebamur, lætissimè signare, & complicare has ad te potuisse. Quod ne fieret, multorum nostrorum ingenii perspicuitate, & nimia prudentia effectum est. Et utinam perficere per eorumdem, ut sibi videtur, prudentiam liceat. Restat enim adhuc, quod nos exerceat, negotii non parum, quod in nos attraximus; & dissidii semina vellere: quæ utinam tam facilè facere possimus, quàm salubriter & honestè debemus. Cernimus enim in dies insolentiam pertinaciamque multorum augeri; & quod pessimum judico, quanto quisque quieti & veritati magis adversus est, tanto plures spectamus, qui illorum accedant sententiæ, & pæne conceptis sequantur verbis. Vale.

GENEALOGIA
CAROLI PRIMI
REGIS NEAPOLIS
TRISTANI CARACCIOLI.

Carolus Andegaviæ, & Caramaniæ Comes, Ludovici Francorum Regis, & Blancæ Regis Castellæ genitæ, filius, & Sancti Ludovici Regis frater, Uxorem habuit Beatricem ultimo genitam, & heredem Raymundi Berengarii Provinciæ Comitis, ex qua Carolum filium unicum suscepit. Hic ab Urbano IV. Pontifice Romano in Manfredum Federici Cæsaris filium, Regni Neapolis occupatorem, Romanæ Ecclesiæ infensum, auxilio vocatus Anno salutis 1263. & ab eo utriusque Siciliæ Rex designatus, donec expeditionis necessaria parantur, Romæ Senatorio munere functus est. Mortuo denique Urbano, à Clemente IV. in Lateranensi Basilica Rex unctus est, & coronatus Anno 1265. ad Regnum armis capessendum profectus, Manfredo vita, & Regnis spoliato, victoria potitus est. Regnavit annis XIX. vixit LX. obiit Fogiæ Anno salutis 1284.

Carolus II. Caroli I. filius ex Maria Hungariæ Regis filia quatuordecim filios genuit, novem mares, feminas quinque.

1. Primus è maribus Carolus Martellus appellatus est, Salerni Princeps, & honoris Sancti Angeli Dominus, qui vivis adhuc parentibus materno jure Hungariæ Rex factus est.

2. Ludovicus Episcopus Tolosanus, qui ob vitæ innocentiam inter Sanctos relatus est.

3. Robertus Calabriæ Dux, qui postea Rex Patri successit.

4. Philippus Princeps Tarentinus.

5. Raymundus Berengarius, qui absque liberis vita functus est.

6. Johannes Thomas Clericus, qui obiit admodum puer.

7. Tristanus natus, quo tempore Carolus pater, captivus citeriori in Hispania detinebatur, qui & ipse infantili in ætate functus est.

8. Johannes Achajæ Princeps, & postea Dyrrachii Dux.

9. Petrus Comes Gravinæ, qui in Hetruria in prœlio Montis Catini in subsidium Florentinorum missus Anno ætatis suæ 38. obiit.

10. Feminarum prima fuit Clementia Uxor Caroli Valesii.

11. Blanca Uxor Jacobi Aragonum Regis, quæ vixit annos 34.

12. Eleonora Uxor Federici, fratris Jacobi Regis Aragonum, qui Siciliæ Regnum invito fratre occupaverat. Hæc vixit annos 40.

13. Maria, quæ nupsit Majoricarum Regi.

14. Beatrix, primo Marchioni Ferrariæ, deinde Beltrano Baucio Montis Caveosi Comiti nupta.

Maria verò Regina horum omnium mater obiit Neapoli, & in Ecclesia S. Mariæ Dominæ Reginæ Sororum Minorum S. Francisci sepulta est.

Carolus verò II. ejus vir obiit extra Neapolim in hospitio Regio, quod Casam novam appellant Anno 1309., & ætatis suæ 60. die V. Maji Anno Regni sui 25. Sepultus est in æde D. Dominici Neapolis, mox in Provinciam æde B. Mariæ Nazareth in Aquis translatus est. Post eum Robertus ejus filius, tertio, ut diximus, genitus Rex factus est.

Carolus Martellus Hungariæ Rex, & Caroli II. primus in ordine filius, Princeps Salerni, & honoris S. Angeli, Elisabeth uxorem duxit filiam Rodulphi Romanorum Regis, ex qua habuit filium, & Clementiam filiam: Verùm vivis adhuc parentibus Anno ætatis suæ 30. diem obiit, & in Cathedrali Ecclesia Neapolis prope Caroli I. Avi sui tumulum sepultus est, superstite Carolo filio, qui in Hungariæ Regno successit.

Clementia filia Ludovico Galliæ, & Navarræ Regi nuptui tradita est.

Carolus Caroli Martelli filius, & Caroli II. Nepos, quem in Hungariæ Regno, vivo adhuc Avo, successisse diximus, Elisabeth sororem Poloniæ Regis, uxorem habuit, ex qua Ludovicum post ipsum Hungariæ Regem, & Andream, & Stephanum suscepit.

Ludovicus Caroli hujus filius Rex Hungariæ uxorem duxit filiam Caroli IV. Cæsaris, & Boëmiæ Regis, ex qua prolem non genuit; eaque mortuâ ex Elisabetha . . . . filias procreavit, Mariam scilicet primogenitam, per quam Hungariæ Regnum ad Marchionem Brandeburgensem, cui illa nupserat, translatum est. Et Annam uxorem Regis Istriæ Pagani, quæ successit Hungariæ Regi Patri suo in Regno Poloniæ, quod ipse Pater dotali jure materno possederat. Qui Rex Poloniæ ejus vir obiit 1383.

Andreas Caroli Secundogenitus ex Roberti Regis voluntate Johannam ex Carolo Calabriæ Duce Roberti Neptem, uxorem duxit, & mortuo Roberto Regno Neapolis potitus est; triennio tamen post à Johanna Regina uxore suspendio necatus est.

Ex his, Andrea scilicet, & Johanna unicus natus est filius, Robertus Martellus appellatus post mortem Patris. Verùm haud diu supervixit. Corpus Andreæ Regis Neapolim relatum est impensa Ursilli Minutili Canonici Neapolitani, honestisque funeralibus in Ecclesia Cathedrali prope Avum sepultus est. Vixit annos 24. obiit anno 1345. mense Septembris.

Ludovicus Rex Hungariæ ejus frater ad vindicandam Andreæ cædem in Regnum profectus est anno 1347. mense Januarii. Cumque illi Aversæ Proceres processissent, Robertus Princeps Tarentinus Constantinopolitanus Imperator vocatus, & Philippus frater

ter ejus; item, & Carolus Dux Dyrrachii, & Ludovicus, & Robertus ipsius fratres: omnes, tamquam sceleris conscios capi jussit; Carolum tamen Dyrrachii Ducem in loco, quo Andreas Rex suspendio necatus fuerat, capitali supplicio affici voluit. Mox Neapolim profectus est, recepta etiam ex Johannæ Reginæ mandato Arce, quæ Johanna paucis ante diebus è Neapoli in Provinciam mari per triremes delata fuerat. Ludovicus autem puerum Robertum in Hungariam misit, & cum eo Principes viros, quos supra numeravimus captos, quos usque ad annum salutis 1352. in vinculis habuit. Robertus verò Martellus eodem anno, quo in Hungariam appulit, vita functus est, & cum Regibus sepultus.

Stephanus Tertiogenitus Caroli Regis Hungariæ uxorem habuit ..... Ducis Bavariæ filiam, ex qua Elisabeth unicam filiam suscepit. Sed ad recensendum Caroli II. Regis Siciliæ filiorum ordinem redeo.

Robertus Calabriæ Dux, tertius in ordine Caroli II. filius, duxit uxorem Violantem Petri Aragonei Regis filiam, ex qua filium habuit Carolum Calabriæ Ducem, qui postea Patre superstite diem obiit. Post Violantem mortuam Xanciam Majoricarum Regis filiam, ut Violantis consobrinam uxorem duxit, ex qua liberos non suscepit.

Hic Robertus, habita cum Carolo Caroli Martelli filio Hungariæ Rege de Regni Neapolitani controversia, Avenione à Clemente V. Romano Pontifice Rex declaratus est anno 1309. die Dominico die primo Augusti, & regnavit annos 33. menses octo, & dies 15. Et mortuus, sepultusque est in æde Divæ Claræ, quam ipse à fundamentis erexerat, anno 1343. Idibus Januarii ætatis suæ anno 68.

Roberto successit Johanna, ut dictum est, ejus ex Carolo unico filio Neptis, & Andreas ejus vir. Xancia Regina Roberti uxor cum in Regio Palatio annum jam sedulò viduitatem servasset, Monasterium Sanctæ Crucis, quod jam pridem construxerat, ingressa, inter Moniales in paupertate & humilitate quievit anno 1345. mense Augusti.

Carolus Dux Calabriæ, unicus Roberti Regis filius tres habuit Conjuges, Catharinam scilicet filiam Ducis Austriæ, ex qua prolem non habuit. Eaque mortua, & in æde Divi Laurentii sepulta, Mariam duxit Carolo Valesio Philippi Francorum Regis fratre genitam, ex qua filios non habuit. Moxque ea defuncta, Matilda Comitis Sancti Pauli filia, & Catharinæ Imperatricis Philippi Principis Tarentini conjugis sorore, accepta, duas genuit filias, Johannam, quæ Roberto successit, & Mariam postumam. Obiit die Divi Martini anno 1328.

Johanna hujus filia post Andream, ut supra memoravimus, è medio sublatum, Ludovicum unum è filiis Philippi Tarentini Principis, sui patrui magni, virum sibi delegit. Ludovico mortuo, Jacobum duxit Regis Majoricarum fratrem, & post eum, qui haud diu vixit, Othonem Ducem Brunsvicensem, quem non Regem, sed Tarenti Principem, appellari voluit, ex quo nec etiam concepit. Et anno 1382. à Carolo III. Rege capta, & ejus jussu strangulata, in æde Divæ Claræ Virginis sepulta est, anno ætatis suæ .....

Philippus, quartus in ordine ex Caroli II. filiis, Princeps Tarentinus, ex filia Despoti Romaniæ, quæ patri successerat, duos habuit

A filios, duasque filias. E filiis major fuit Petrus, ex hereditate materna Romaniæ Despotus, cui Majoricarum Regis filia nupsit; & absque liberis, vivo Patre, adolescens decessit, & sepultus est in æde Divi Dominici Neapoli prope Avum. Minor fuit Carolus, qui in Etruria cum Petro patruo pro Florentinis pugnans cecidit. Ex filiabus prima fuit Regina Armeniæ, secunda Gualterii Brennæ Athenarum Ducis, & Lupiæ Comitis uxor, quæ fuit sterilis. Mortua prima uxore Philippus Mariam Caroli Valesii filiam in uxorem accepit, ex qua filios non suscepit. Eaque vita functa, ex Catharina Balduini Comitis Flandriæ, & Imperatoris Constantinopolitani filia,

B & Imperii herede, tres filios, & duas habuit filias. Filiorum primus fuit Robertus; secundus Ludovicus; tertius Philippus. Filiarum prima fuit Margarita; secunda Maria.

Robertus ex tertia uxore primogenitus Philippi Tarentini filius, successit parentibus, & Imperio, & Principatui, & duxit uxorem Dominam Mariam Borbonam Ducissam, quæ primùm nupta fuerat filio primogenito Regis Cypri. Ex prædicto Roberto, & uxore ejus non supervixerunt filii. Obiit Neapoli anno 1364. & sepultus est in Ecclesia Sancti Georgii Majoris; & uxor ejus sepulta est in Ecclesia Sanctæ Mariæ Novæ.

Ludovicus secundogenitus Philippi Tarentini uxorem duxit de facto Johannam Roberti Regis ex Carolo filio Neptem, & Regni

C heredem; ex qua duas habuit filias, Catharinam, quæ modico tempore vixit; & Franciscam. Habita dispensatione à Clemente VI. Pontifice, ad quem ipse Ludovicus cum Johanna uxore, jam Ludovicum Hungariæ Regem fugientes se contulerunt, & mox reversi Neapolim, anno 1352. ab Episcopo Bracarensi coronati fuerunt die Dominico 26. Maji die Festo Pentecostes, ac sexto post coronationem die Francisca infantula mortua est. Ex illo tempore Johanna Regina amplius non concepit.

Anno 1362. die Jovis 26. Maji in die Ascen-

D sionis obiit dictus Rex Ludovicus Neapoli, & exequiæ factæ fuerunt in æde Divi Dominici; sed postea corpus ejus translatum est ad Cœnobium Montis Virginis, ubi ipse sepeliri se mandaverat juxta sepulcrum matris. Obiit Anno ætatis suæ 43.

Philippus tertiogenitus ex tertia uxore Philippi Tarentini Principis, successit fratribus in Principatu Tarentino, & in titulis Imperii Constantinopolitani. Et primo duxit uxorem Mariam filiam Ducis Calabriæ, & Reginæ Johannæ sororem, quæ ante virum habuerat Ducem Dyrrachii Carolum consobrinum suum; ex qua filios, & filias habuit. Omnes tamen in infantili ætate perierunt. Postea Mariâ mor-

E tuâ Neapoli, Anno 1368., & sepulta in Ecclesia Divæ Claræ, accepit Elisabeth filiam Stephani tertiogeniti Regis Hungariæ, & Andreæ Regis fratris, ex qua filios non genuit. Obiit Tarenti, & in Ecclesia Cathedrali sepultus est.

Margarita Scotiæ Regis relicta, fratribus vita functis successit, quæ paulò ante, fratribus repugnantibus, Francisco Baucio Montis Caveosi Comiti nupserat, & post matrimonium contractum cum viro, Andriæ Dux à Ludovico fratre, & Johanna creata fuerat. Ex Francisco Jacobum genuit, & Antoniam. Jacobus Imperator appellatus est, & post patrem fuit

Prin-

Princeps Tarenti; & Antonia nupta Federico Regi Siciliæ, prægnans obiit. Hæc Margarita, cum Neapoli ex caussa viri in vinculis habita esset, obiit, & sepulta est in æde Divi Dominici, & in ea inclyta Domus Tarenti defecit. Nam Maria ejus soror jampridem Neapoli virgo obierat Anno 1368., & sepulta fuerat in Cœnobio Montis Virginis.

Johannes Achajæ Princeps ex filiis Caroli II. Regis octavus accepit prius in conjugem Achajæ & Moreæ Dominam, ex qua liberos non genuit. Posteriùs verò facto inter eos divortio (*nam illa alium habere virum viventem comperta est*) duxit Petri Calicensis filiam nomine Agnetem, ex qua tres filii nati sunt, Carolus Dyrrachii Dux, Ludovicus, & Robertus. Hic Johannes obiit anno ætatis suæ 53., & sepultus fuit prope patrem in æde Divi Dominici.

Carolus Johannis filius Dux Dyrrachii duxit uxorem Mariam Caroli Calabriæ Ducis secundogenitam, & Johannæ Reginæ sororem, & ex ea unicum habuit filium, qui infans Neapoli obiit; & quatuor filias, Johannam, Agnetem, Clementiam, & Margaritam. Hic Aversæ, ut diximus, jussu Ludovici Hungariæ Regis capite punitus est, & in Ecclesia Sancti Laurentii Neapoli sepultus est Anno 1348.

Ludovicus secundogenitus Johannis accepit uxorem Margaritam Roberti Sanseverini filiam, & ex ea unicum habuit filium, qui postea Rex fuit Carolus III. Hic affectati Regni Reginæ Johannæ suspectus, ejus jussu in Arce Ovi captivus detinebatur, & illic obiit Anno salutis 1367. & sepultus est juxta matrem in æde Sanctæ Crucis.

Robertus tertiogenitus mortuus est absque conjuge, & liberis in pugna Pictaviensi, in qua Johannes Galliæ Rex à Principe VValliæ Anglorum Regis filio captus est.

Johanna prima ex Caroli Ducis Dyrrachii filiabus, duos habuit viros, Ludovicum scilicet Regis Navarræ filium, ex quo non concepit. Et eo mortuo, & in Cœnobio Cartusiensi supra Neapolim sepulto, Robertum duxit filium .... de Artois Comitis Atrabatensis, à quo nec filios habuit. Hæc cum Roberto viro detenta in Arce Ovi per Carolum III. ejus consobrinum obiit Anno 1381. Robertus verò sepultus est in æde Divi Laurentii Neapolis in Cappella Ducis Dyrrachii soceri sui.

Agnes secunda primo nupsit Cani Scaligero Veronæ Domino, ex quo prolem genuit, postea Jacobo Baucio Imperatori Constantinopolitano, & Principi Tarentino, cum quo etiam sterilis permansit. Mortui sunt Agnes Neapoli, Jacobus verò Tarenti, & sepultus est in Ecclesia Cathedrali.

Clementia obiit virgo Neapoli, & sepulta est in æde Divæ Claræ.

Margarita ultima ex dispensatione Urbani V. Pontificis nupsit Carolo Ludovici patrui sui filio, qui pulsa Johanna Regina Rex postea Siciliæ factus est, & ex eo Ladislaum genuit, & Mariam, quæ in puerili ætate obiit Murconi, & sepulta est Neapoli in æde Divi Laurentii, & Johannam, quæ postea Ladislao fratre mortuo Regina fuit.

Carolus Rex Siciliæ factus Anno salutis 1381., & coronatus Romæ in Basilica S. Petri in die Pentecostes 2. Junii, die 16. Julii Neapolim venit, & obsessa in Arce nova Johanna, captoque Othone Brunsvicensi ejus viro, ipsam in deditionem accepit, misitque captivam in Arcem Muri, in qua eam strangulari jussit in vindictam Ludovici patris, qui ab ea in carcere mori coactus fuerat. Othonem verò in Castellum Sancti Felicis in Lucania captivum habuit, qui demum libertate donatus obiit Fogiæ.

Hic Carolus ab Hungaris vocatus in Hungariam profectus est, ubi adhuc regnabat Maria Ludovici Regis filia ex Carolo Martello de stirpe Caroli II. qua assistente in Aula Regia coronatus fuit die Dominico ultimo Decembris Anno 1384. (*quo die insolita & maxima fuit Solis Eclipsis*). Die verò 7. Februarii immediate sequentis opera Elisabeth Reginæ securi in capite percussus est. In Arcem Visgradi perductus die 27. ejusdem mensis vulneribus veneno illitis, diem obiit, & sepultus est in æde Beati Andreæ prope oppidum Visgradi.

Ladislaus puer Caroli III. filius patri successit, & septimo post anno Cajetæ, jussu Bonifacii IX. Pontificis coronatus est Siciliæ, Jerusalem, & Hungariæ Rex. Die Dominica, ultima Maji duxit in uxorem Constantiam Manfredi Claramontis Siculi filiam, magna pecunia dotis nomine accepta, quæ cum eo Cajetæ coronata & uncta est. Postea mortuo Manfredo illam repudiavit, & Andreæ Altavillæ Comiti cognomento de Capua nuptui tradidit. Ipse verò accepit Mariam Johannis Lusignani Cypri Regis sororem, quæ filiorum procreandorum avida dum intentius pharmacis ad id aptis indulget, biennio, postquam viro nupta fuerat, Neapoli obiit, & in æde D. Dominici sepulta est. Post alteram Mariam tertiam uxorem accepit ex familia Eugenia, quæ prius Raymundi Ursini conjux fuerat Principis Tarentini, de qua etiam nullam habuit prolem. Obiit Neapoli anathemate notatus à Johanne XXIII. Pontifice Anno salutis 1414. die 6. Augusti, & fuit sepultus in æde Beati Johannis ad Carbonariam.

Johanna Caroli III. filia Ladislao fratri successit. Hæc vivente fratre Vidua ab Austria redierat, cujus Provinciæ Duci nupserat; sed Regina effecta Jacobum de Borbona, Racentasiæ, & Marchiæ Ducem, virum accepit, qui Manfredoniam cum triremibus Venetis appulsus, quam plurimos Regni Neapolitani Principes obvios habuit, & ab his Neapolim perductus 1415. Regina conjuge, & Regno potitus est; sed Anno 1416. orta inter ipsos conjuges discordia, ab Arce Regia, quam Novam vocant, exiens, Cives Neapolitanos in Jacobum Regem irritavit, qui in arce Ovi obsessus, specie concordiæ ad Conjugem venit, & ab ea captus, biennioque detentus in carcere, & opera communium amicorum liberatus, tamdem Tarentum aufugit in quadam navi Januensium. Quo audito, Regina Johannem Antonium Ursinum Raymundi quondam Tarenti Principis filium, ad eum obsidendum cum exercitu misit, qui opera impigrè navatà Tarentum à Jacobo Rege, pro soluta pecunia recepit. Jacobus mox ad patrios lares profectus est, Reginæque mortuæ superstes fuit.

Hæc Regina mandato Martini V. Pontificis coronata diem obiit Anno 1435. & sepulta in æde Divæ Mariæ Annunciatæ, die 2. Febrarii. In hac omnis progenies Caroli I. defecit &c.

DE FERDINANDO,

QUI POSTEA REX ARAGONUM FUIT,

EJUSQUE POSTERIS

TRISTANI CARACCIOLI.

Ferdinandus, Alphonsi illius, qui Primus nobis Hispanorum moderatus est, pater, cum ei Henricus Hispaniarum Rex germanus moriens, Infantis filii Johannis mox Regis, Regnique tutelam demandasset, itaeam integrè, pièque gessit, ut Proceres, Populique omnes Regem potiùs, quàm Regis Tutorem præoptarint. Quippe præsentem, expertamque integritatem, quàm quò evasuri adolescentis Johannis mores essent, experiri malebant. Credebant insuper, Ferdinandum tantum ultro oblatum Regnum non aspernaturum, quod multi parricidiis, sceleribusque sibi parare non forent veriti; quippe jam vulgo cernimus, & sanguinis necessitudinem, & fidem, ipsamque denique Religionem, opibus, & imperandi libidini cedere. Quod præsagiens sagacissimus Princeps, ne nomen suum in discrimen iret, aut renitendo (quod omnino statuerat) graviter Regnum offenderet, cum quod è re sua postulasset, sibi negatum cerneret, & infensum puero, & sibi Tutori remaneret; aut annuendo, contra cognationis jura, germanique fidem, infantis crediti sibi Regnum usurparet; statueretque immaculatam potiùs vitam ducere, quàm execrandis sceleribus fœdam, execrandamque reddere: ire obviam statuit; & se omni suspicione affectati Regni liberum præstare. Hac igitur ratione prudentissimè fieri posse excogitavit. Hispali Conventu indicto, quo ad præfinitam diem cum & Reguli, & Regiarum Civitatum Legati adissent, adfuit & ipse, & puerculus Rex, cujus tutelam gerebat, assistentibus pro dignitate in æde maxima cunctis suis ordine fellis, suspensis animis, expectantibus, quidnam Ferdinandus allaturus esset. Is repente apparuit, Regem infantem, Regiis ornatum insignibus, humero gestans. Assurgentibus cunctis ad spectaculi novitatem, Regisque honorem, indicto silentio, inquit: *Fidelissimi semper Regibus vestris Hispani, & nunc maximè familiæ nostræ, ecce Regem vestrum*, (retorquens ad puerum, quem gestabat, os), *hunc colite, hunc observate, in ejus fidem, & salutem, meis residentis, & fulti humeris, iurate, cum me idem fecisse conspexeritis.* Inde suggestum versus, quem sublimem struendum curaverat, in quo erat etiam Regia sella, ire pergit, universis sequentibus. Ad locum cum pervenisset, Rege, ab humero clementer in sellam demisso, retrocessit Princeps adoraturus ipse Regem. Captoque spatio, quo aptè se ageret, clariusque conspiceretur, antequam ad Regem deveniret, ter subinde genu posito, revelatoque capite illum salutavit, juravitque in ejus obsequium, fidumque se futurum, & tantò arctius, fideliùsque obstrinxit, quantò Patrui, & Tutoris iniquior esset perfidia. Hæc intenta voce, ut exaudiri etiam ab eminus stantibus clarè posset. Genibus ergo assurgens, è quibus verba fecerat, à Rege osculo accipitur. Est enim mos Hispanicorum Regum, gentiles, cum se primùm adeunt, osculo admittere. Quibus perspectis, cuncti admirati constantiam viri, sinceritatemque fidei, cum libenter obsequuti ordine, quo ille processerat, venerati sunt Infantem Regem, pro cujus salute, imperioque se, pignora, fortunasque omnes expostituros jurejurando affirmant. Quare & à puero Rege humaniter amplexati, verbis, ætatem decentibus, qualia Patruus, ne accersita, & aliena viderentur, suggesserat. Ipse deinceps assurgens, excusata priùs adolescentis ætate, extollendo illorum fidem, virtutesque, numerando etiam . . . . bono ut essent animo, & spe certa; Regem, & se bene memores tantæ devotionis, obsequiique Regali familiæ dignitatique præstitæ, responsuros brevi beneficiis, honoribusque amplioribus, indubitato teneant.

Ecce Ferdinandi probitas, argumentum, bene, pièque facta non usquequaque mercede, præmioque fraudari desierant jam Celtiberis Aragonensibus sui prisci Reges, convenerantque *Porochia*, ut ipsi appellant, Plebs scilicet, Nobilitas, & Sacerdotii Præsules. Tribus enim iis corporibus omnis res agitur, eorumque viribus innititur, & parens dicto est. Cumque diutiùs agitatum esset, quemnam in Regem assumerent, nec convenirent; Erat enim perdifficile à concione variè affecta principibus, de quibus ratio habebatur, rectam, & tempestivam ferre sententiam de Rege. Inaniter autem disceptando tempus terebant, maximo populorum discrimine; cujus rei cum votorum diversitas modum non inveniret, visum est rem paucioribus demandare. Quatuor enim in Regna, seu Principatus, Imperium illud omne dividitur. Placuit ergo de singulis quaternos eligi, quantum humana prudentia ostendere valet, tantæ rei idoneos, qui Regem adoptarent, & quorum dicto reliquis standum esset. Sexdecim igitur viri destinantur, moribus, sanctitate, rerum experientia nobiles; & qualem Regem esse, qui bene consulere sibi creditis, & maximè non antea sibi cognitis, apprimè callerent. Ii injunctum munus summo studio peragere nituntur juxta spem, fidemque de eo habitam. Erant enim magnarum Familiarum Principes, qui Regna illa Uxorum nomine ad se devenisse caussabantur, quæ variis ex prædecessoribus Regibus natæ erant; quos inter & Ferdinandus erat, qui & similis necessitudinis jura sibi esse contendebat. Norant autem Sexdecim prudentissimi viri, Regem esse petendum Regia ex Familia, ne fortè Populos novi hominis puderet Imperii, parereque dedignarentur: Gestis præterea clarum, armis exercitum, moribus sanctum, benignum, justi-

stitiæ, & pacis amatorem, scelerum vindicem, & qui bello armis, pace, jure, & æquo, uti optimè sciret. Perlustratis ergo curioso examine omnibus, quisnam esset iis dotibus præditus, ut eum optare Regem meritò possent, unus Ferdinandus Castellæ Regni, Regisque Tutor, Regali illa è domo visus est, qui optatum, exquisitumque Regem magis referret. Igitur præteritis competitoribus Ferdinandum cooptant, virum etiam citra successionis jura regnare dignum, suffragantibus meritis, & præcipuè documento justitiæ, & pietatis in fratris filium nuperrimè edito. Quod facinus adeò gratum de eo exstitit, ut etiam ad illius posteros mercedes amplas transfundere voluerit. Siquidem Castellæ Regnum, quod sibi Ferdinandus perfidia, & scelere vendicare noluerat, cum facillimè potuisset, Ferdinandum nepotem legitimè, justèque plures annos possedisse vidimus conjugio Isabellæ, cui deficientibus maribus regnare contigerat. Felicitatique ejus additum, quod ejus uxorisque fuerit Mauros fidei hostes extremo Europæ angulo exegisse, totque post secula Granatæ Regnum, partem scilicet Bæticæ Provinciæ, vel præcipuam, ad Christi nomen Hispanorumque ditionem pertransisse conspicitur. Diximus, Ferdinandum ex Castellæ bene gesta tutela, Aragonum Regem optato devenisse, & coronam illam Salomonis dicentis, *Filii Regum, corona eorum*, eum meritò decorasse. Sustulit autem ex uxore moribus sibi compari, cum qua una rem habuisse constans fama erat, liberos mares hos, *Alphonsum* illius Regni successorem, quem nostram hanc Siciliam sibi vindicasse vidimus, Principem, & si fortè non omni, maxima tamen parte egregium. *Johannem* deinde, quem Navarræ Regnum connubio Reginæ assequutum, non citra tamen probitatis, virtutisque specimen, tenendum est. *Henricum* tertio loco natum, Magistrum Militiæ, quam Divo Jacobo dicarunt, in præsidium Provinciarum ad arcendos, continendosque Mauros, ne à Granatæ finibus reliquam Hispaniam incursionibus, latrociniisque vexarent. Ultimum *Petrum*, quem germanus Alphonsus expeditione Neapolitana subsidio simul, & solatio secum duxerat. Hic militari congressione, circa obsessæ Urbis mœnia, tormento, è propugnaculis emisso extinctus est. Habuit etiam . . . . . . Portugalliæ Reginam: quos omnes moriens, superstites reliquit, nequaquam frustratus spe, quam de illis optimam præsumserat. Siquidem *Alphonsus* non contentus paterno sibi Regno jure devoluto, hanc nostram Siciliam addidit, Hispanorumque nomen pæne abolitum celebre in Italia reddidit. *Johannes* autem ex privato Regis filio Rex & ipse evasit. *Henricus* suum Magistratum constanter ad mortem detinuit. *Petrus* vero tot de se strenuitatis, probitatisque experimentis nullo germanorum, etsi annis, non tamen gloriâ minorem se futurum ostendit.

Ferdinandi igitur vetustioris moribus, sobolequé enarratis, operæ pretium videtur ad id, quod principaliter intendimus, redire, Principum scilicet, qui ex eo in nos regnarunt, successionis seriem ostendere, Vitam ac Historiam facundiori promtiorique ingenio relinquentes. *Alphonsus* igitur Primus exstitit, qui nobis moderaturus accessit, & annos fere sexdecim pace plerumque fœcunda præfuit. Decessit autem Neapoli in Ovi Arce, morbo, quem Græci Gonhorream appellant (est involuntaria seminis defluxio) quo sensim extabuerat, ætatis anno, ut fertur, climacterico, sexagesimo scilicet tertio, Redemtionis verò nostræ 1458. ex quo Neapolim ceperat XVI. Moriens hujus nostræ Siciliæ Regnum *Ferdinando* filio notho, tamquam à se partum reliquerat, Fato-ne, an prudentia evenerit, ut 38. annos (tot enim plus minus imperavit) homines & pecora perpetua aëris salubritate, annonæque, omnis copia, adeò creverint, ut se, & Fiscum apprime auxerit; quin & seditiones, motaque in eum bella ea felicitate sedata sunt; ut ad hoc suborta videri possent, ut eum ditiorem fecilioremque redderent: qui res ejus gestas noverint, exactius judicare poterunt. Coronam, Sceptrum, Pomum, reliquaque Regni insignia à Pio II. Pontifice Maximo per Latinum Ursinum Cardinalem ad id delegatum Baroli suscepit, salutis Anno 1458. obiit Neapoli Anno 1494. vitæ verò 64. defluxu capitis ex Bajano rediens, quò venatum ierat. Corpus ingenti funeris pompa in D. Dominici ædem delatum, ibique ossa plumbeo locello, purpura auro intexta cooperto, prope Altare maximum locata jacent. Filios complures genuisset, hos tantum superstites reliquit, *Alphonsum Calabriæ Ducem*, qui ipsa obitus patris die Regnum infeliciter auspicatus ex Arce nova prodiens Rex. Et hunc Alexander VI. Pontifex Maximus legitimè regnare voluit; utque clarius innotesceret, Johannem Borgiam Cardinalem Montis Regalensis ad eum delegavit, qui insignia decreta, quæ à Sede Apostolica stabiliendis Regibus conferri solent, illi suo, sedisque nomine contribueret: quod & peractum est Neapoli in æde maxima . . . Idus Maji salutis Anno 1495. apparatu quidem splendidissimo, frequentia numerosa, nobilitate illustri: spectaculum certè omnino delectabile, magnificeque Regium. Inde sacris expiatus precationibus, sanctoque Chrismate perunctus, Dalmaticatus processit, Coronam illam paternam flammigerabilem, tum multiplicitate gemmarum, tum earum magnitudine & pretio, capite gestans, dextera regale Sceptrum, læva auream Pilam. Sic pallium subiit, purpura auroque intextum, quod è Proceribus primarii substentabant, præcedentibus Principibus viris, quibus insignia illa concessi Regni præferenda tradiderat, Sceptrum scilicet, Pilumque; Corona autem Dalmaticaque indutus ipse remanserat. Sic obequitans celebrioribus Urbis locis, ubique salutantes benignè humanèque allocutus, maxima hominum lætitia, frequentibus obviisque acclamantibus, *diu vivas, Alphonse, perpetuoque regnes Alphonse*, in Arcem dum usque pervenerit. Hic finis coronariæ pompæ, qua, & funere, quo Patrem extulerat, omnes ante nostros Reges ejusmodi superavit; & cum longè diversum sit, Regem efferri, & Regem coronari, utroque tamen sua magnificentia, & Regio apparatu persunctus est, adeò ut neutri quid defuerit, paria nec patres nostri memoria teneant, nec nepotes sperent.

Non evagemur ulterius, nec commiseratio infelicis Principis nos distrahat; ne dum benefacta ejus, & specimen futuræ magnitudinis (si per suos licuisset) ostendere velim, ad quod destinavi serius accedam. Susceperat ergo, vivo patre, ex Hippolyta incliti Francisci Sfortiæ Mediolanensium Ducis filia, *Ferdinandum*, Capuæ ante Principem, quem mox inito Regno,

gno,

A gno, Ducem Calabriæ dixit. Item *Petrum*, quem aliquandiu ante adeptum Regnum extulit, corpusque in Montis Oliveti poni voluit. Habuit & *Isabellam*, quæ Johanni Galeatio Mariæ patrueli suo nupsit, quam similiter iniquo parentis fato exsolutam Ducatu, hic Bari Ducem cernimus. Hos ex Hippolyta uxore, quam & ipsam defunctam vidit, & in Annunciatæ Templo regiè sepeliri curavit. Vix enim regnare cœperat, cum desiit, siquidem non revoluto anno *Ferdinando* filio Calabriæ Duci Regnum tradere statuit, seque ad Hispanos vitam acturum cœlibem privatamque conferre. Revocato igitur ab exercitu, cui præerat, filio, Regium nomen, & omne, quod in B se erat, illi Neapoli tradidit. Secesserat interim in Ovi Arcem, cum primò Ferdinando filio, cui Regnum demandaverat, Urbem perrectanti acclamatum est: *Vivat Ferdinandus Rex*, vocibus non adeo intentis & firmis, seu palpitantibus præcordiis ex imminentium malorum ostentis, seu memoria recentis infaustæque nuperrimæ precationis patri exhibitæ. Igitur successore dicto, dispositisque pro statu temporum rebus suum iter aggreditur comitatu, quem sibi ex sanctis Professionibus elegerat, religioso & probato in Siciliam devenit, ubi in mortem usque hæsit. Cur non ulteriùs perrexerit, utpote rem mihi incertam, & dubiam subticeo. Dicant, qui norunt, quando C mihi statutum est, res quemadmodum præsentes vulgò novi, ita futuris noscendis transmittere. Messanæ demum (quod clarè liquet) diem obiit, ubi maximo à Civibus funeris honore prosecutus; parique reverentia ossa servanda curarunt. Cum de abdicatione sui Regni, ejusdemque tam repentino discessu, varia varii commententur; unum tantùm, quod publicitus ferebatur, in medium producere libeat; scilicet, ut ferinam rabiem, quam & ad sui, Regnique internecionem processuram cerneret, in se, quem causabantur, exarmaret, filiumque loco, & natura * & Reges sibi dederant, relinqueret * Ferdinandus igitur cognomine secundus Regiorum munerum usu D ante Patris discessum abstinuit. Mox matrimonium cum Johanna Ferdinandi Avi filia, quam ex Johanna uxorum altera susceperat, iniit, & rebus, quæ per se, suasque vires agi possent, non deerat. Sed tam numeroso validoque imminente Gallorum exercitu, crescenteque subinde amplioribus copiis, destituto omni auxilio, & spe desolato, de cedendo cogitandum supererat. Nihilominus ad Capuanæ usque direptionis vastitatem nihil eorum, quæ ad sui, Regnique tutelam pro viribus parari poterant, omisit. Capua ergo amissa, veluti deploratis rebus, qui de conditionibus cum Gallo agerent, misit; qui cum re infecta rediissent, Ænariam, modò Ischiam, secedere statuit. E In colligendo res asportandas, à Germanis, quos Arci novæ præsidio relinquebat, se coram diripi, expilarique videns, destinato celerius ire compulsus est, comitantibus nonnullis suarum partium viris, qui ei usquequaque fideliter constanterque adfuere. Brevi post Ischia in Siciliam transmisit, ubi per aliquot menses fuit. Neapolim reversus maxima Civium caritate admissus fuit Nonis Julii Anni 1495. abierat enim hostis Carolus Francorum Rex, eam à suis pessimè habitam relinquens.

Adfuit Ferdinando mox *Federicus* patruus, remque communi sententia agere cœperunt. Post multos tamdem exantlatos labores hostes exutos armis datis conditionibus emisit. Ipse assiduitate laborum, & curarum gravem in morbum incidit, quem armatus, inermis, noctu, interdiuque, solem, imbres, ne opportunitatem victoriæ amitteret, ferendo hauserat; adeò ut remedia medicaminaque cuncta pertinacia valetudinis respuerit, sensimque extabescens semivivus Neapolim delatus, ibi postridie moritur vitæ Anno. . . Corpus noctu exequiis modicis in ædem Divi Dominici elatum juxta loculum Ferdinandi Avi. Liberorum nil prorsus reliquit, Regnum *Federico* patruo delegaverat. Obsidebat tunc Federicus Cajetam, unde revertens Neapolim, auspicaturus Regnum, adiit, quam & mœstam, & luctuosam recenti Ferdinandi morte, præsentia tamen, & spes de illo præsumta aliquantulum elevavit. Genuerat autem Federicus ex Isabella Baucia vivo Ferdinando patre filium, cui avitum nomen indiderat *Ferdinandi*, quem mox, inito Regno, Ducatu Calabriæ honestavit; est enim regnandi prærogativa. Tulerat jam Rex alios duos; alterum *Alphonsum* nominavit, instaurans germani nomen; alterum verò *Cæsarem*. Et hunc, Federicum scilicet, Regem haberi, coronari, dicique voluit Alexander VI. Pontifex Maximus. Capuæ frequenti Regnicolarum conventu Coronaria pompa celebrata est Præfecto Cæsare Borgia Cardinale, & Pontificis Legato, & tunc affini, & ut exitus probavit, animo & fide, qua Alphonsum nuper insigniri curaverat. Quandoquidem illum Cæsarem Borgiam, quem modò Legatum, Pontificisque tantummodò necessarium, galero Cardinalatus insignitum, sacra dantem, & Samuelis Prophetæ vice Reges ungentem vidimus, ecce profanus, maritus, Pontificisque filius, militum Dux, sævissimus Tyrannus, sacrorum expilator, repente prodiit; & quem Præsulem ad firmandum Regem Pontifex miserat, eumdem filium latronum Ducem ad perdendum redire voluit. Hic Dux ille Valentinus, quem capi Neapoli vidimus, captumque ad Regem mitti, ibique in custodia habitum, ex qua fugiens ignobili quodam in certamine, seu velitatione occisum audivimus.

Federicus igitur *Rex* post acceptam Coronam præfuit Regno annos quatuor plus minus, anxius semper, & suspectus, futura præsagiens. Videbat enim rem undique suam invisam, & actu subdolè evertendam; & quamvis diutiùs ceteris Ferdinando succedentibus Regnum detinuerit, numquam tamen integrum ei fuit peragere, quæ optasset, undique terrentibus minis. Tamdem prodierunt occulta consilia, & diu ad illum perdendum excogitata, & quidem talium, qui non modò Federicum nemini eorum viribus parem, sed orbem reliquum labefactare valuissent. Quod tanta silentii cura, & ne præsciretur, cautione actum est, ut maximos Principes, & hujusmodi officii insolitos, non piguerit per se literas dare, & accipere in socios à secretis, & ab Epistolis, adeò ut prius hostes haberi, quam audiri maluerint. Fines ergo Regni devastantes ingressi. Federicus interim modo, quo poterat, munitionibus militeque se tutari parabat. Sed cum hostis Capuam usque devenisset, eamque inaniter diripuisset; alio ex Regni latere hostilis classis Provinciam Calabriam ad se traheret, omni spe auxilii amissa ad Gallorum Ducem, qui de conditionibus agerent, misit; & qualibuscumque datis, subire necessarium ducens, Ischiam cum omni familia, & re secessit, comitan-

tan-

tantibus illum plerisque nobilioribus, qui relicta domo, ceterisque suis, eamdem subituri erant fortunam, quam ipse Rex subiisset. Tradiderat enim Arcem, Urbemque concesserat, ut sibi quò vellet ire, per Gallos liceret. Substitit aliquantisper, dum res pro conditione componeret. Inde suis triremibus ad Gallorum Regem, quem jam præelegerat, venire contendit, à quo ut victus acceptus est. E Fisco tamen annuum victum ei statuit, neutro tamen dignum, si illius opes, si hujus necessitatem spectes. Evocavit porro ad se uxorem, & liberos, quos Ænariæ reliquerat, unàque secum in mortem habuit, *Ferdinando* Primogenito Calabriæ Duce in Hispaniis detento, quò Hispanorum Dux, cui se tradiderat, è Tarento transmiserat, ubi in Aula Regis adhuc visitur. In Galliis degens Federicus, cum rem suam, & spem quotidie in pejus labi, & minui cerneret, nimiis, & æquè tristibus curis ægrescere cœpit, utque ajunt, rarò domo egrediebatur: valetudine-ne detentus, an Regiam, ejusque frequentiam vitans, incertum est. Tamdem cum macerrimus devenisset, molestiis, & angoribus atterentibus vires, febre extinctus est Turoni, superstitibus liberis *Alphonso*, duobusque Infantulis, quos circa se moriens vidit. *Ferdinandum* verò Primogenitum Calabriæ Ducem, præcipuam morientis sollicitudinem fuisse tradunt. Cum illum in Hispania esse cognosceret, de conditione præsenti dolebat, & futuræ ejus metuebat. Quod non infimam suæ infelicitatis partem existimans, & crebris, altisque suspiriis filium appellans, & quod non saltem moriens alloqui licuisset, querendo defecit.

A Devenimus ad tristem infelicemque Alphonsi I. successorum exitum, quorum Regnum subversum vidimus, quin & partem maximam prolis suum obiisse diem, aut coram vidimus, aut audivimus. *Ferdinandus* Federici Regis primogenitus, quem Calabriæ Ducem pater voluerat, penes Ferdinandum Aragonum Regem, modòque etiam nostrum Hispaniæque Rectorem, degit, ejusque mercede pæne liber victitat. *Alphonsum*, & *Cæsarem*, duasque femellas cum eorum matre hospitalitate Antoniæ Bauciæ eorum Materteræ in Mantuano vitam, quæ eis præbetur, vivere intelligimus. Videmus etiam hìc Isabellam Bari nunc Ducem, Mediolani quondam, Alphonsi Regis II. filiam. B Hæc omnis Alphonsi I. legitima exstitit progenies. *Ferdinandus* autem, ut diximus, *Aragonum Rex*, & nunc noster, & si Aragonius, non tamen ex Alphonsi I. linea, sed nepos ex Fratre Johanne Navarriæ Rege, exstat. Et hunc post Isabellæ Reginæ obitum, cujus consortio illis regnaverat, ad nos devenisse vidimus, ubi Regio apparatu, ingentique pompa, effusa Civitate, omni alacritate & plausu optatissimus admissus est. Sed tam brevì hìc moratus est, ut paucissimis se noscendum præbuerit, adeò ut plerique ne faciem quidem viderint, præfestinato ad Hispanias reditu. Non enim septimo expleto mense Neapoli degit. Interque redeundum, Savonæ à Gallorum Rege C ibi eum opperiente biduo Regali liberalitate fraternè detentus, inde secunda navigatione ad Hispanias pervenit, modò Castellæ, reliquorumque Regnorum, & Isabellæ filiæ Reginæ tutelam gerere pacatè videtur.

NOBI-

NOBILITATIS NEAPOLITANÆ
DEFENSIO
TRISTANI CARACCIOLI.

A Quanta justitiæ, integritatisque tuæ apud me fuerit non opinio, sed fides, cum te Arbitrum circumspectissimum, æquissimumque Judicem te ipsum elegerim, facilè potes cognoscere, ut meritò sperem, te non solùm semiconceptæ opinioni cessurum, verùm etiam pro tua æquitate nostris partibus adfuturum. Nuper enim cum apud te essem, mecumque nonnulla familiariter disserens, remissa aliquantulum severitate legationis, quâ fungebaris, post multos variosque sermones devenisti ad laudes nostræ B hujus Patriæ, quam magnificè extollens tibi omni ex parte placere affirmabas; tantumque in ea te desiderare solertiam, & industriam Nobilium, seu gentilium Civium, quos cernere erat quotidie otiosos, & ludibundos in Consessoriis, &, ut patrio utar verbo, Sedilibus, inaniter tempus terere. Quod idem cum paucis ante diebus ex te audissem, veluti si inter loquendum excidisset, consultò inoffensum præterii. Sed postquam iterum accuratius abs' te repetitum animadverti, veritus ne candidum judicium tuum vana quædam obumbraret opinio, altiusque in animum de- C scenderet, falsum tradi à plerisque conabor ostendere; fretusque bonitate caussæ, obtrectationibus etiam satisfacere, nedum tibi præcipuè amatori.

Neapolitanam igitur *Nobilitatem* pervetustam existimari, nemo est, qui nesciat, adeò ut in toto pæne terrarum Orbe peculiariter Neapolitana Gentilitas dicatur, eamque esse reor, quæ à M. Tullio in Topicis definitur. Unde hanc Gentilitatem, vel, si libet, Nobilitatem, citra virtutum, fortunarumque copiam constare non posse, experimento docemur. Videmus itaque Nobilitatem hanc utrisque com- D modis in primis abundasse, nec hodie adeò malis attritam, ut Italicarum Civitatum alicui cedat, sive in amplissimorum censuum, anniversariorumque redituum proventibus, sive in Magistratibus, & Officiis insignibus. Hæc autem otio parta esse, atque inertiâ subinde conservata, stultum esset credere, standumque potius argumento tamdiu firmato, sic majores illos nostros virtute sibi dignitates parasse, ut eas animorum corporumque præstantiâ nepotibus tradiderint, eademque vivendi observantia ad nos usque derivata permanserit, quæ nec pestilentiâ, nec direptio- E nibus, aut malorum Principum diritate, intercidi, nedum aboleri potuerit. Sed ne tam breviter, succinctèque dixisse, etiam rei fidem levet, recensebimus, quibus artibus Parentes illi, majoresque nostri, nominis claritatem, rerumque affluentiam sibi paraverint, idemque facere posteros docuerint. Profectò nec munia, nec exercitationes ullæ exstant liberis hominibus dignæ; quas non egregiè exercuerint, nepotibusque velut hereditarias eodem studio obeundas reliquerint. Quam quidem viam Nobilitas hæc sectando, nomen, & rem auxisse cognoscitur, Sacros Pontifices, optimosque Principes omni labore, industriaque demerendo, utque illorum gratiam inirent, non fortunis, non labori, non ipsi denique vitæ pepercisse. A sacris igitur, & ab ipsa Religione, ut Christianos decet, initium faciamus.

Summum Pontificatum certè nemo diu tenuit, cui non ex nostris plures adstiterint; sacerque ille Cardinalium Senatus, raró umquam citra Neapolitanum aliquem, qui non fuerit in illum ordinem cooptatus, coactus est. Testantur hoc apud nos Sacella, in quibus pendere visuntur pilei illius insignia. Unde non paucos ex his ad Summum Pontificatum evectos meritò credi potest, cum patrum memoria Urbanum, Bonifacium, Johannem, ex equestri omnes Familia, in eo gradu collocatos, atque è pluribus nostrorum Cardinalium electos fuisse legamus. Alias verò dignitates, utpote Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatias, nonne & nostros Theologiæ professione, Juris scientiâ, rerum agendarum solertiâ, negotiorum experientiâ insignes, Sacra ipsa Romana Sedes meritò per totum Christianum Orbem potiri voluit? Præcipuè tamen Regni hujus Sacerdotia ad eosdem, velut hereditaria deferuntur. Quid de illo Fratrum Hierosolymitani cognominis contubernio, Christianæ Fidei hostibus semper objecto, Rhodi commorantium, dixerim, in quo nostri præcipuè milites perpetuò conspiciuntur? Quin etiam Magistrum illum, & moderatorem ex Neapolitanis Equitibus aliquem religiosa illa Societas quandoque sortita est; & nos ipsi nuper vidimus, cum Mahometus Turcarum Princeps Rhodianam Civitatem tam numeroso premeret exercitu, exitiumque & Præsuli, & propugnatoribus ad internecionem minitaretur, multos illius Ordinis ex nostris illuc advolasse, velut aves ad arcendum à nido pullisque pestem, secumque & commeatus, & præsidium privato ære paratis navibus advenisse. Quorum non pauci in ipsa obsidione, oppugnationeque viriliter occubuere. Nam, etsi tam emeritæ militiæ legitimam vacationem jam impetraverant, maluerunt honestam subire mortem, quàm domi, cum possent, sine nota, supervivere. Non ab re hìc quoque subscripserim, quod narrantes sæpe seniores audiverim, suorum nonnullos, majorum verò non paucos, cum Fratribus quibusdam militasse, quibus Prussiensium erat nomen. Tutabantur enim Histri fluminis ripam, ne fortè Christi hostes populabundi in Pannoniam, reliquasque Christianorum Provincias transgrederentur. Hæc dicta sufficiant, ut nosci possit, hanc nostram Nobilitatem non ignavo otio studuisse, cum non piguerit, tam procul à patria, posthabita familiæ caritate, tot discrimina pro Christi Salvatoris nomine, & pro gloria Virtutis adire. Utque nullum officii genus prætermissum intelligatur de Sacra nostra Fide benemerendi, mentemque in sanctis disciplinis exercendi, multos cucullatos videre licet in qua-

vis sanctæ professionis Societate, quorum plurimos morum ac vitæ sanctitas in Abbates evexit. Plerique verò eorum, qui Observantes dicuntur, eam divinarum Literarum scientiam assecuti sunt, ut Sermones ad popûlum pro communi salute Catholicè, efficaciterque edere, & habere voluerint, nec minus in expiando noxios, qui se reos faterentur, prudentissimè discreverint.

Militiæ tamen præcipuè exercitamenta fuere, quæ majores nostri præ ceteris ad nomen, & rem augendam sectati sunt; quoniam & animorum fortitudine, & corporum patientia labores omnes pro honestate tolerare statuerunt, viasque laboris, & discriminis plenas usque adeò avidè perquisiverunt, ut raro confecti sint exercitus, in quibus nostri nomina non dederint. Testis opulentissima vestra illa, & inclyta Respublica esse potest, quæ perpetuos milites ad sui, multorumque præsidium alere non cessat, cum multi è nostris apud se stipendia faciant, non modò milites, verùm etiam turmarum ductores, insuper & Præfecti, quos gratâ munificentiâ, ob benemerita fideliaque opera, honoribus semper auxit, quotidieque auget. Hujus rei fidem nobis faciunt emeriti ad nos redeuntes, quos cernimus præmiis, & dignitatibus honestatos, militiæ vestræ decus extollentes, nostrisque tyronibus, ut sub vestris auspiciis mereant, suadentes. Nonne etiam in Mediolanensium Ducum Aula, & exercitu, Neapolitani milites egregiè spectantur? Quid de Estensium Marchionum dicam contubernio, ubi nostrorum plurimos videbis commorantes? Quid apud Gonzagas, & Malatestas, ceterosque in Italia Regulos? Nonne egregias Neapolitanos navasse operas cognosces? Adeò ut cum eversiones magnæ alicujus Italicæ Familiæ intelligimus, tristes, quasi calamitatis participes, illam deplorare cogamur, velut amissum Nobilitatis nostræ subsidium, campumque exercendæ virtutis, & industriæ. Quid Florentinorum ille libertatis amator Populus, qui etsi non perpetuò conductum militem habet, tempestivum tamen parare pro occasione non cessat? Et hic nostros in primis habere, eisque honores, & præmia maxima cum spe deferre dignoscitur. Quid? quod claustra Italiæ angusta animis nostrorum visa sunt, quos non piguerit Alpes transcendere, nequaquam ad delicias, sed ad pericula, bellorumque discrimina subeunda, utpote qui barbarorum se furoribus interserere, & objicere non formidaverint. Et ut antiquiora omittam, in bello, quod superioribus annis Carolus, Burgundiæ Dux, exitialiter gessit, Civitatemque hostilem arctissima obsidione pressit, Neapolitanorum virtus equitum præcipuè enituit. Cogitabat Princeps Insulam, quam Rhenus amnis efficit, per vim hostibus eripere; ex illa enim & militare subsidium, & commeatus in Oppidum invehebatur, quæ nisi capta fuisset, vana, & inefficax futura videbatur obsidio. Hoc facinus, etsi difficultatis atque discriminis multum habere videbatur, nostri tamen ad ipsum se exponere, & locum aggredi ausi sunt. Quare à Principe concessam rem viriliter navare adorti (erat enim navibus ad destinatum locum transmittendum) quamvis in ipso trajectu tormentis plurifariam ab Insula impeterentur, nihilominus ad Insulam devenerunt, non paucis perfossis navibus, militibusque vulneratis, Tunc nullâ interpositâ morâ eorum Præfectus (erat enim vir strenuus, & pluribus facinoribus clarus) suos ad munimenta hostium diripienda, animumque tentandum, impigrè, incunctanterque duxit. Ibi aliquandiu atrociterque pugnatum utrinque, & occisi quamplurimi, & vulnerati. Sed cum ab Oppidanis his, qui Insulam tutabantur, subinde subsidium, & tela subministrarentur; nostrique, quoniam flumine ab exercitu disjungebantur, nullum inde subsidium expectarent, ingruente tamdem tormentorum, & hostium vi, cedere coacti sunt. Hi tamen tanta constantia, tanta ostentatæ fortitudinis specie ad naves se recepere, ut hostes, quamvis longè plures numero essent, nemo tamen munitionibus egredi, nec terga tam paucorum se recipientium insequi ausi sint. Atque ita cum summa sui admiratione ad Ducem rediere; quibus mirifice collaudatis, quod non successerit, locorum iniquitati, ac hostium multitudini adscribendum esse censuit; audaciam verò tam ardui aggressus, tamque moderati receptus cautionem virtutis, atque prudentiæ fuisse. Quin etiam cum ad obsidionem solvendam, Oppidanosque tanto discrimine liberandos, Imperator maximis Germaniæ viribus suppetiam venisset; Dux autem ipse, ne Oppido appropinquaret hostis, obviam procederet dimicandi facta potestate: primi Itali hostem lacessere; alacriterque in illos conversi tam terrifici nominis viros hastis, gladiisque impetivere, quorum prima acies Neapolitanorum insignis exstitit, adeòque suam navarunt operam, ut sibi ipsis honori fuerint, & reliquis ad victoriam incitamento. Quorum nomina ex industria subticeo, non ut gloriam fraudem; sed cum multi fuerint, qui pari gloria se strenuè gesserint, ne si qui fortè exciderint, velut silentio præteriti, conqueri possint; junctimque recensere perquam difficile sit, paucorum tamen, aut etiam unius, justa hæc querela esse posset. Ea denique fide hoc in bello, eaque virtute stipendia fecere, ut Dux ille maximus Italos milites donariis insignibus, variisque præmiis auctoratos, ac reliquis bellis, quæ ad mortem usque gessit, secum habere studuerit, habuitque citra omnem pœnitudinem. Quippe Dux duobus prœliis, quibus infeliciter decertavit, alteroque etiam occubuit, neutrum sine nostrorum cæde peractum est. Qui verò post Ducis interitum, profligatasque copias superfuerunt, à Francorum Rege curiosè perquisiti, donisque amplioribus stipendioque aucti, inter suorum primos habiti sunt. Quibus etiam ducatum sui exercitus demandavit, ita ut præclaræ illius victoriæ de Britonibus habitæ auctorem è nostris exstitisse, fama fuerit; quippe nostrates belli experientiâ probatos, non tantùm illi prœlio interesse voluit, sed etiam præsidere. Ex nostris insuper inter Regni sui Pares esse constituit, deque Principum Gallicorum capitibus ferre sententias. Quamvis enim nominatim me quemquam prodere nolle meminerim, tamen ob facinorum claritatem, adstantiumque multitudinem ex toto Christiano Orbe, ea tempestate Gallorum Regibus, & gesta, & eorum, qui gesserunt, nomina pluribus nationibus cognita, & clara habita pro comperto scimus.

Gustasse hæc pauca trans Alpes ex multis, quæ foris nostri equites gessere, cum satis esse putemus, par esse credimus, quales domi se præstare soliti sunt, ostendere. Quare neque desidiosi, neque inerti otio marcire cognoscentur,

tur, ut maledici nonnulli nostrorum institutorum inscii obloquuntur. Spectentur ergo monumenta, quæ sacris nostris ædibus continentur. Cognoscetur profectò, aut neminem apud nos, aut paucos omnino regnasse, quibus non ex hac nostra Nobilitate comites expeditionum, invasionumque socii peculiares adfuerint, illosque Regiæ personæ insignia gestare voluerint, eademque facinora secum tractare, eodem voto adstringi, beneque actæ rei iisdem præmiis impartiri permiserint. Discernuntur hæc in multorum tumulis, & stragulis auro sericoque distinctis, pendentibus supra sepulta cadavera, in quibus, dum efferrentur, fuerunt ornamento, demumque memoriæ servatis. Porro quod nos ipsi vidimus nostra patrumque memoria, & si alienigenæ apud nos regnaverint, Principatusque assecuti sint, neminem tamen illorum exstitisse, cujus aulam & exercitum honestissimo quoque ministerio, aut officio nostri non expleverint, ut etiam filios, vel hic genitos, vel huc fortè infantes adductos, per Neapolitanos Equites educari voluerint, qui teneritudinem illorum stabilirent, lubricamque adolescentiam sisterent; posthabitisque suis conterraneis, Neapolitanos esse maluerint, qui eorum liberos nostræ Fidei præcepta atque ministeria docerent; quique etiam honestè saltare, canere, equos impigrè quaquaversum agere, optime equitare, omni insuper armorum genere agiliter ludere Regios juvenes erudirent. Admittere verò Principum, Populorumque Legatos, postulata audire, responsionesque ex tempore (si res posceret) reddere in parentum absentia, omni servata majestate, nostri Cives etiam docuere. Adultis jam, & Principalia munera obeuntibus, quinam eorum curam tutelamque nisi nostri suscipere soliti sunt? Hi intra Cubicula secretiora dormientibus Principibus excubant, surgentibus præsto adsunt, vestes, calcearia promtissimè administrantes, utque suos Principes veneficiis tutos præstent, prægustatores, fertores, pollicitatores tanta diligentia, & caritate se exhibent, ut Principis salutem suo mercari periculo non dubitent. Hæc itaque officia, cum Juventus, viridiorque ætas Principibus tribuat, non desunt tamen gravioris ætatis viri, quorum auctoritate majora magisque ardua dirigantur, utpote Justitiæ distributio, rerum agendarum Consilium, cautioque, ne quid inexpectati mali inopinatique subsequatur. Militiæ bellique ordo, opportuna stipendia, vestisque militibus provisa, hæc maxima ex parte per nostros agi continuò noscuntur. Vides etiam Regium Consilium Præside, Consultoribusque Neapolitanis moderatum, vallatumque egregiis patronis, privatorum caussas tuentibus. Et ne fortè partem hanc ingenui laboris ab his relictam putes, fere Advocati omnes nonnisi Nobiles admittuntur. Hujusmodi igitur moribus non modò obsequia securitatemque Principibus hæc nostra Nobilitas præstat, verum etiam auctoritatem, & reverentiam apud exteros parit. Norunt enim, ejusmodi cum Regibus viros degere, eorumque res tractare, qui nullo decentiùs Regiam ministeriis ornant, & qui bello pacique opportuna optimè calleant, ut bellorum præludia quotidie meditari, venationes intrepidè obire, cantus saltationesque ad resumendas vires, ut vegetiores ad virilia munera redeant, concinnèque citra lasciviam modulari. Talia igitur qui intelligunt, Principibus adscribunt tam-

A quam Institutoribus tantæ Alumnorum disciplinæ: unde & suspici ab omnibus & venerari solent. Hinc etiam emanasse credi potest, ut cum totius inter Superum Inferumque Mare Regni hujus Rex sit, Neapolitanorum tantummodo à plerisque dicatur, spectantibus, ut opinor, mutuam caritatem, quæ raro in tam dispari hominum conditione esse consuevit. Intelligunt enim, Regi nostro non opus esse conductis, aut accersitis aliunde Ministris, cum domi habeat fidos exercitosque viros, qui quantumvis arduum laboriosumque negotium attentetur, expedire audeant, & possint. Quin etiam hinc nactos occasionem nostros Principes crediderim, ut crebras inierint expeditiones, dum B validam nec minus firmam manum facilè, parvoque ære comparare possint, qua non modò fines suos tutari, hostemque procul detinere, verùm etiam se ipsis locupletiores bello lacessere, insolentioresque damno & ignominia afficere. Profectò, postquam videris Regiam omnem hujusmodi hominum genere refertam, exercitus verò militibus, ductoribus, necessariarumque rerum curatoribus constare; Judicia, tranquillitatemque à nostris Equitibus æquo jure servari; juraque sanctissimè reddi; caussas tanta diligentia ac fide agi; in aliis Regni Civitatibus, Procerumque, & Baronum Oppidis jura dicere: profectò neque inertiæ, neque desidiæ nostram Nobilitatem abs te dominatum C iri puto, quam tot sacris profanisque Militiæ, Togæque rebus tam assiduè vacasse, omniquo constantia insudasse cognoveris, suumque ad usque nostri sermonis ignaros nomen claris facinoribus propagasse. Nullas denique reor excogitari posse vias, quibus ingenium, se, suasque fortunas augere possent, quas non sagaciter nostri perquisiverint, constanterque tenuerint. Mercaturæ autem quòd minimè animum intenderint, rectè-ne factum sit, omittamus. Res est diu inter mortales disquisita maximis utrinque argumentis; sed sunt sui cuique Patriæ mores non improbandi. Magnos certè quæstus ex Principum obsequiis, quæ nostra mercatura est, percipere solebamus; atque uti- D nam illam diu exercere possimus, filiisque exercendam relinquere. Hanc verò importandarum exportandarumque mercium rationem Nobiles nostri honestis quidem Civibus, non sui tamen Ordinis, reliquerunt, per quos fideliter liberaliterque tractatur, ut pars etiam hæc Civitati nostræ non deesse noscatur.

Ceterum spectari multos in Consessoriis etiam ludentes non inficior; sed minimè turpi otio, aut avaritiæ adscribendum puto; quin potiùs defessis animis ob curas atque labores meritò concedendum. Adde, ne si fortè per itinera necessaria in aliquem locum devenirent, ubi ingenuè luderetur, idemque, ut facerent rogati, ignorantia causaretur, se inurbanos ru- E sticosque dici injuria erubescerent, cum honestè ludere pars sit Civilitatis. Nec loca hæc nostra fomenta inertiæ, desidiæque haberi volo. Quin immo emeritorum Senatulum honestissimum, in quo domi militiæque Magistratibus egregiè perfuncti, sua, aliorumque decora recensentes, Principum, & Nationum mores, vias, atque artes, quibus varias per regiones parari gloria possit, Juventutem docentes, exemplorum stimulis instigant, æmularique audita cogunt. Longè plura dici possent, quæ arguerent, Nobilitatem Neapolitanam genuisse, submisisse, hactenusque servasse laborem & industriam, non otium & inertiam, sedendo,


aut

aut oscitando, ut quidam etiam ausus est scribere, cujus ne manes exagitem (decessit enim jam pridem) nomen supprimo. Unum est, quod non possum non stomachari, quando scribere non erubuit, sibi videri suam Gentem rectiùs quàm nostram de Nobilitate sentire, cum sui Cives maxima ex parte lucriones, vilibus etiam mercibus questus faciant, fœnusque, utpotè rem honestam, passim & impudenter exerceant, omneque prorsus virile officium, legitimumque laborem aversentur.

Dicis forsitan: adeone munda & abstinens fuit isthæc vestra nobilitas, ut non aliquando facinorosos ediderit? Profectò minimè istud asserere ausim, memorque præcipuè delationis quorumdam, quam mecum expostulasti, obiectatus priùs, ut penes me continerem, neminique deferrem. Respondi rem tamen, utriusque nostrum auribus non insolitam, tametsi molestam & ingratam auditu, & fures, & plagiarios non solum, de quibus præsens habebatur sermo, sed similibus, & longe fœdioribus sceleribus deturpatos in nostra gentilitate subinde exstitisse, quorum non modò mores & vitam detestamur, sed etiam nomina oblivione delemus. Eorum tamen nequitia nequaquam reliquos fœdari solere, tu ipse optimus Arbiter esse dignosceris. Nam si Nobilitas aliqua est, quæ sanctis probatisque moribus vivat, vestram esse fatendum est. In ea tamen aliquos patet flagitiosè, sceleratèque, neque secundùm majorum instituta vixisse, nec hodie, ut verisimiliter credi potest, etiam vivere. Nam etsi vestri Magistratus omni conatu prudentiaque satagere non cessant, ex tam bene culto agro damnosas pestilentesque plantas evellere, reliquorumque famam omni animadversionis silentio custodire: non tamen cavere possunt, quin vitæ exitus nonnullorum malefactis digni perspiciantur, cum in carceribus strangulari, fluctibus obrui, & id genus extingui eos mandent. Non ergo mirum videri debet in tanta hominum copia, si qui sint perversè impièque viventes; probi etenim numero, honestisque moribus, illos profectò obruunt, quibus etiam ne nominentur præstant; eademque pars eorum inter ingenuos, quasi parum fæcis in arca capacissima esse solet.

Stemus igitur experientiæ, qua nihil certius fideliusque haberi potest. Novimus enim ex primis monumentis, quàm rara, aut nulla fuerit societas ex omni parte sincera. Societatem cum dixi, familiam, domum, cœtulum quemcumque intelligi etiam volo. Solari nos tamen potest in hac parte summi cujusdam Pontificis responsio, apud quem cum anxie quidam ejus gentilis quereretur, quamdam ex cognatione mulierem nimis impudicè vivere non sine magno familiæ dedecore: *Noli*, inquit, *mi fili, propterea tristari; sed potiùs boni consule. Væ enim Familiæ illi, cui non sunt viri aliqui perditi, feminæque vitiosæ*: quasi humilitatem damnans, ac gentilium paucitatem. Habes ergo quæ scribere ad te caritas Patriæ me compulit, quæ quidem verecundiam, & timorem ineruditionis & inscitiæ exegit, urgens etiam ad te talem virum hæc delegare, cui veritatis major, quam verborum cura est. Tu verò pro judicii tui rectitudine bona illa censebis, quæ ad optimum missa sunt; & quod mihi ipse persuasi, benignè fac præstes, ut si quando in oblatratores laceratoresque Neapolitanæ Gentilitatis incideris, offulis prudentiæ facundiæque tuæ fauces illorum obstruas, oraque occludas. Erit tibi profectò nobilissimo, Nobiles tutari, ingenitum decus, talemque ordinem patrocinio obnoxium tibi reddere. Mei tamen, cujus in te amori nil addi potest, memor sis, inque tuos non postremos adscribas.

FINIS.



ANNALES FOROLIVIENSES

Ab Anno MCCLXXV. usque ad Annum MCCCCLXXIII.

ANONYMO AUCTORE

Nunc primùm prodeunt

EX MANUSCRIPTO CODICE

COMITIS BRANDOLINI

DE BRANDOLINIS.

IN ANNALES FOROLIVIENSES
PRAEFATIO
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

INter Flaminiae, seu potius Aemiliae antiquae Civitates, quam Provinciam nunc Romandiolam, vulgari vero sermone *la Romagna* appellamus, Foro-Livii suus fuit splendor, vel sub ipsis Romanis rerum dominatoribus. Quam dignitatem subsequutis quoque Seculis ita ea Civitas aut servavit, aut auxit, ut nostra etiam tempestate illustrem locum teneat; utpote quae olim egregios viros tum armis tum literis dedit, & nuper etiam duos amplissimos S. R. E. Cardinales jure se habere gloriabatur, Romano Pontificatu dignissimos, ut publica vota jam diu fidem fecerunt, videlicet Eminentissimos viros Fabricium Paulucium & Julium Piazzam. Pauca de ea habet Blondus, Civis & ipse Foroliviensis, Historicusque laudatissimus; ac proinde publicae Literatorum rei intererat, Urbis ac Populi hujus gesta luculentius habere descripta. *Annales* ergo *Forolivienses* nunc primum exero, luce adhuc carentes, & ab Anno 1275. deductos usque ad Annum 1473. Debeo illos singulari humanitati nobilis viri, ac Patricii Foroliviensis, Comitis Brandolini de Brandolinis, ex ea nempe Familia geniti, quae Seculo XV. Brandolinum ac Tibertum procreavit fortissimos armorum duces, ut praecipue constat ex Porcellii Neapolitani Commentariis, aliisque Historiis in hac ipsa Collectione evulgatis. Is enim Codicem, circiter Annum 1485. manu exaratum, mihi liberalissime suppeditavit, Patriae gloriam prae oculis habens, & minime eorum probrosam avaritiem imitatus, qui gemmas suas in occulto deperire malunt, quam ad publicam delectationem utilitatemque aliquando proferre.

Auctorem istorum Annalium nemo a me petat, quando is deditâ operâ se occultasse videtur, ejusque nomen ulla Libri pagina habet. Fatetur ipsemet in Praefatione, *suam famam in obscuro versari*. Itaque unum tantummodo compertum habeo, scilicet floruisse Auctorem circiter Annum 1485. id persuadente non tam Codicis antiquitate, quam ipsius Historici narratione, qui de Pino Ordelaffo Forlivii Domino vivente vivens loquitur. Quamquam quid Auctorem dico? Collectorem aequius appellare debuissem. Quisquis enim in hanc Historiam serio intenteque introspiciat, facile deprehendet, non uni Auctori haec esse tribuenda. Nam usque ad Annum 1300. gesta in Romandiola, ac praecipue Forolivii, tam minute, locis ac temporibus designatis, referuntur, ut ab anteriore aliquo Chronico, atque ab antiquiore eorum temporum Scriptore, omnino desumta videantur. Et in margine quidem MSti Codicis non raro memoratur Chronicon aliquod vetustius. Quae vero post Annum 1300. sequuntur, omnia fere excerpta videas ex antiquis rerum Bononiensium Historiis, quas etiam ad oram Codicis indicatas fuisse animadverti; quod nempe ad ea tempora illustranda Collectorem deficerent Patriae monumenta atque Historiae. Et sane per ea tempora non solum suis tenebris relinquitur Historia Foroliviensis, sed etiam erroribus intermiscetur. Tum post Annum 1375. fusius recensentur tempestatis illius acta. Denique post Annum 1466. alicubi, & potissimum in calce Operis, stilus immutatus occurrit, atque alium propterea Auctorem habuisse putandus est. Si quid igitur video, Foroliviensis quidam Anonymus circiter Annum 1483. ex variis praecedentibus Historiis hosce Annales concinnavit, & ubi res Patriae deerant, finitimorum delibatis Chronicis suum implevit. Ipsemet in Praefatione testatur, se perfecisse Opus suum *per Annales anteactos, Codicesque antiquos disquirendo, & recensendo, quae vita moresque in Liviensi Civitate fuerint, & per quos Viros, & quibus artibus, domi militiaeque, ipsa Civitas & Respublica floruerit.*

Idem vero Scriptor in memorata Praefatione pollicetur, se *per Mille sexcentos &*

& octoginta ab initiis ipsius Urbis Foroliviensis de rebus patriis acturum. Et reapse narrationem suam exorditur, & in paginas plures trahit, per Romani Populi, priorumque Imperatorum gesta excurrendo, originem & antiquitatem Urbis a Livio Salinatore deducens. Deinde seriem Imperatorum brevem contexit usque ad Albertum Austriacum, atque inter eos *Berengarium I.* patria sive dominatione Foroliviensem exhibet, nihil praeterea memoria dignum de Foro-Livii referens ad Annum usque 1275. quo revera exordium & cursum ejus Annales accipiunt. Ego ab his edendis abstinui; tum quod omnia, quae ad ejus Urbis primordia pertinent, dubia ac incerta illic sunt, & à nostrorum temporum Eruditis accuratius pertractanda forent; tum etiam quod antea Ughellius in praevio apparatu ad Catalogum Episcoporum Foroliviensium Tom. II. Ital. Sacr. eadem ferme retulit, quae refricare supervacaneum foret. Quod vero ad Romanorum Principum Indiculum attinet, eo etiam aequius fuit ille suis relinquendus tenebris; nam & descriptus est ex Augustali Libello Benevenuti Imolensis; & quae ibi adjecta sunt, cum certioribus rerum monumentis pugnare deprehenduntur. Quale illud est de Berengario I Augusto, Foroliviensi Cive, quum supra omnem controversiam positum jamdudum sit, Berengarium non *Foro-Livii*, sed *Foro-Julii* dominatum fuisse, quam etiam Provinciam titulo Ducis, ante Regnum initum, regebat. Equidem non semel animadverti, in MStis Codicibus duo haec vocabula *Forojulium* & *Forolivium* confundi, atque unum pro altero incuria Librariorum irrepsisse. Quae res me quoque illic ancipitem fecit, ubi Blondo praeeunte, Scriptor noster *Cornelium Gallum*, olim aureo Latinorum stilo viventem, Civitati Foroliviensi in hisce Annalibus tribuit; quum contra vulgata Eusebiani Chronici a Sancto Hieronymo Latinitate donati exemplaria Poëtam hunc Patria *Forojuliensem* faciant. Quare Lilius Gregorius Gyraldus Dialogo IV. Histor. Poëtar. illum Forojuliensibus accenset, addens subinde: *quamvis amore, ut puto, patriae Flavius Blondus Foroliviensem facit*. Equidem controversiam hujusmodi unice dirimi posse arbitror inspectis vetustioribus Eusebii Libris manu exaratis, quippe ab illo uno ejus Patria exeritur, reliquis obmutescentibus, aut *Romanum* tantummodo illum appellantibus. Ex hisce MStis unum quidem sibi esse Forolivienses ad me perscripserunt, ubi Cornelius Gallus disertissime *Foroliviensis* inscribitur. Verum potis minime est unus testis inclinare ad sententiam Judices circumspectos, ac potissimum quod plures ejusdem Eusebii Codices vel ante Scaligerianam editionem *Forojuliensibus* Gallum accensentes contrariam opinionem confirment. Quod etiam amplius mirere: ubi statuas, *Forum-Julii* Poëtae huic natale solum contigisse, adhuc altera quaestio superest, num idem adscribendus sit *Foro-Julii*, Italicae Urbi in Carnorum Provincia ad Natisonem fluvium sitae (quod Itali contendimus); an vero alteri ejusdem nominis Civitati in Gallia Narbonensi positae nunc *Frejus*: quod Gallici Scriptores, ac praecipue Bailletus in Lib. de Poëtis num. 1147. sibi persuadent. Equidem vereor, ut hujusmodi lites in tanta temporum longinquitate, ac silentio Scriptorum, rite componi per quemquam, licet eruditissimum, amplius possint. Denique ut his finem faciam, quae de *Guidone Bonato* heic habentur, famoso olim Astronomiae ac Astrologiae Magistro, uti adhuc ejus Libri evulgati testantur, risum fortasse movebunt prudentibus rerum aestimatoribus. Sed ne ista quidem abjicienda contemnendave sunt, eâ praecipue de caussâ, quod genium Seculi illius nobis graphice describant, anilibus fabulis ad saturitatem deditum, & rumores vulgi eo facilius captantem, quo mirabiliora facta narrabantur. Certe ne nos quidem ab hujusmodi morbo plane convaluimus: attamen gratulandum est Seculo nostro, quod cautius credere, & meliora sapere plerumque didicerit.

AU-

AUCTORIS PRÆFATIO.

SÆpe numero mihi excogitanti, si ad decus dignum, singulareque ornamentum memoriæ aptissimum, & ad amplitudinem non tam Urbis nostræ Liviensis, quàm etiam ad Patriæ illustrationem, præsertim illis, qui ingenio delectantur, nonnulla jucunda, voluptatem & amœnitatem afferentia, scribere possem, hæc vitandi otii causâ Commentariola ordiri decrevi. Non inutile fortè opus legentibus videbitur. Porrò rem pervetustam, nequaquam omnino divulgatam, aggredi videor, quæ nec satis etiam ex monimentis literarum priscorum Auctorum, nec ex Annalibus ab aliquibus jampridem illustrata, vel aliis dignis memoriis per aliqua tempora recensita fore apertè dignoscitur. Tanta namque fuit ignavia nostrorum veterum ingeniorum cum ingratitudine Patriæ, aliorum gesta plura scribentium, & sua silentio labi permittentium. Utcumque erit, pro virili parte de rebus ipsis memoratu dignis dicere audacter aggrediar, recensendo quæ per annorum curricula circa MDCLXXX. ab initiis ipsius Urbis dietim crevisse dignoscuntur. Nec ita arrogans ero, ut comprehensam ingenio meo veritatem cunctorum collegisse glorier. Aliquo igitur lumine opus erit ad depellendum tenebras caliginis ab antiquitate obruptas. Et licèt mea fama in obscuro versetur, & ea, quæ literis mandanda sunt, non satìs in præsentiarum illustrata fuerint, ut minus digna, ab altioribus ingeniis, quæso mihi veniam præbeant, præsertim cum posteris iter ortusque scribendi ad meliora pandatur. Et si per Annales anteactos, Codicesque antiquos disquirendo, & recensendo quæ vita moresque in Liviensi Civitate fuerint, & per quos viros, & quibus artibus, domi militiæque, ipsa Civitas & Respublica floruerit, & ex quibus ad amplitudinem & ornamentum ejusdem ingeniis divinis, literarum omnium monimentis, & quibus acerrimis Ducibus, & bellicosissimis equitibus per universum Orbem effulserint, ni affectio suscepti laboris me fallit, audacter audeo profiteri, gentem nostram Liviensem sponte sua omni tempore insudasse, & enixos & indefessos semper fuisse in imitando alta vestigia, felicesque successus, & salutaria erudimenta gloriosissimæ & invictæ Urbis Romanorum, quos gentilitas, ob illorum felicia & fortia gesta, & divina ingenia, inter Deos collocavit. Nec profectò Patriâ nostrâ Res illa publica major, nec famosior, nec bonis exemplis ditior fuit, in quam tam sera avaritia, luxuria turpis & sordida ingressum fecerit, & ubi tam diu paupertati, & parsimoniæ honos fuerit, ut in primordio Livius de Urbe testatur. O Majestas igitur imperiosa almæ Urbis Romæ, dignissimam quippe, & præclarissimam te ostendam super Urbes alias totius Orbis. Tu namque pietate tua, ingentibusque muneribus & benefitiis Urbem Liviensem sub nomine Consulis tui fundatoris, & in Provincia Romandiolæ à tuo nomine nuncupatam decorasti. Tu illam astris propitiis cum amœnissimo situ, & saluberrimo aëre, cum latis finibus collocasti. Tu dispersos ac dissipatos homines, Quiritesque strenuos in societatem vitæ in ipsa conjunxisti; tu libertatem, mores, leges, instituta, literarum monimenta, disciplinam militarem, cognomen, arma, & signa bellicosissimè condonasti. Ad tuum tandem domicilium, tutissimumque portum, & refugium salutis, & ortus nostri, submissa & devota pietate, omni ævo, ardenti cum affectione & amore, pro immortalibus benefitiis sumtis, dum Mundus exstabit, gloria, laudes, & honores, ut antea tibi exsolventur. Et ut tanto ordiendo operi optata principia, & felices successus, auctore immortali Deo, ritè succedant, pro legentium faciliori intelligentia ad submissum & planum stilum Commentariola ipsa suis locis & temporibus latiùs ordinanda describam.



ANNALES FOROLIVIENSES, ANONYMO AUCTORE.

ANno 1275. Dominus Maghinardus de Sosenana fuit Potestas Faventiæ. Et die Veneris septima mensis Junii, Bononienses Intrinseci de Parte Geremiorum, qui erant in Statu Bononiæ cum eorum exfortio, de Lombardia, & Tuscia, Faventinis Extrinsecis, & Imolensibus Intrinsecis, venerunt ad exercitum faciendum, & castramentati fuerunt apud Pontem Sancti Proculi à latere secundo Fluminis Semnii. Die verò Sabbati sequenti, fecerunt guastum circa Pontem versùs Faventiam supra Stratam, æquando fossata, & incidendo vineas, & blada usque ad horam Tertiæ, & ultra Pontem. Die verò Dominico sequenti eodem modo venerunt ad guastum faciendum in eadem Contrata, eundo usque ad Villam nuncupatam Cella Montis Clarii, & steterunt usque Nonam, & rediere in campo. Die verò Lunæ sequenti equitaverunt ad Blancanigum, & ad Serram, & incenderunt multas domos, & inciserunt vineas, arbores, & bladum infinitum. Die autem Martis tunc sequenti, iverunt ad Oppidum Taybani, & expugnarunt illud; unde multi eorum vulnerati, & peremti fuerunt à balistis, quæ erant in ipso Castro, & inciserunt Pinum, qui erat extra Locum. Et post horam Nonæ recesserunt ad eorum exercitum. Ipsaque die Martis Dominus Gulielmus Capitaneus partis Lambertatiorum Faventiæ commorantium, & Dominus Maghinardus de Sosenana Potestas Faventiæ cum tota eorum militia de Civitate

A Faventiæ exiverunt per Portam Imolensem armati, & cum eorum Insigniis, & superinsigniis, & equis coopertis, & iverunt usque ad Sanctum Julianum, & supra Circlam Communis Faventiæ, supra stratam fecerunt unam pulchram aciem militum causâ ostendendi se illis de exercitu; ad hoc ut ipsorum timore ipsi separarent se à Castro Taybani, & ut illi de dicto Castro hortarentur, & magis starent securi; & sic quando illi de exercitu viderunt eos, recesserunt exinde, & iverunt ad B eorum tentoria.

Postea verò die Mercurii tunc sequente in mane prædicti de exercitu venerunt cum eorum Guastatoribus, qui erant sinè numero, destruendo, incidendo, & explanando juxta Collum Montanæ usque ad Monasterium Sancti Prosperi, & tunc explanaverunt de Canale Communis Faventiæ, quod est supra stratam Montanariam, in pluribus locis, & fregerunt de Clusa Communis Faventiæ, & optimè ostenderunt se tam militibus, quàm C populo: nam habebant tres magnas acies militum, & unum Trepellum, seu Squadronum de melioribus, & majoribus, qui essent in exercitu, & duas magnas acies Popularium absque Guastatoribus. Post Nonam verò dicti diei reversi fuerunt ad Campum, & tendas eorum. Ipsa verò die, & singulis prætéritis diebus quotidie dictus Dominus Gulielmus Capitaneus, & Dominus Maghinardus Potestas, cum multis ex eorum militibus, & Ambasciatoribus de Forlivio exiebant Civita- D tem Faventiæ causâ supravidendi illos de exercitu. Et sic ipsa die Mercurii Ambasciatores Partis Lambertatiorum, & Communis Faventiæ iverunt ad Civitatem Forlivii, causâ rogandi Commune Forlivii, ut venirent Faventiam cum gentibus, quas ibi habebant.

Die verò Jovis XIII. Junii circa horam mediæ Tertiæ, Dominus Comes Guido de Monte Fel-

Feltro Capitaneus Generalis totius Romandiolæ pro parte Lambertatiorum, & Dominus Guido Novellus, & Manfredus ejus filius; & Comites Bandinus, Tancredus, Rogerius, & Tygrinus filii Domini Guidonis de Mutiliana cum eorum magnifico & potenti apparatu, & Commune Forlivii tam milites, quàm populus universus Civitatis & Districtus ejus, cum optima comitiva in quantitate militum DC. virorum proborum; & exteriores de Ravenna, de Arimino, de Cæsena, & multi alii, qui venerunt ad Civitatem Forlivii ipsa de causa, venerunt omnes ad Civitatem Faventiæ, & hora Tertiæ quotquot erant in ipsa Civitate, exceptis Deputatis pro custodia illius, exiverunt Civitatem ipsam per Portam Ravignanam, milites cum prædictis peditibus comitibus, & Commune Forlivii, & hi, qui cum eis erant, & populus totus per Portam Imolensem, euntes ex transverso camporum subtus stratam versùs Sanctum Petrum in Laguna, ubi dicebatur, quòd Bononienses de parte Geremiorum cum amicis eorum erant. Et sic dum pervenerunt juxta locum, ubi dicebatur Tertola, & Casella juxta Flumen Sennii sub strata à Ponte Sancti Proculi, una de aciebus militum Geremiorum transivit Pontem Sancti Proculi; aliæ verò duæ acies militum remanserunt. Cùm verò viderunt acies de parte Lambertatiorum, & de Faventia, ire versùs eos, timuerunt valde. Sed cùm viderunt acies & comitivam Forliviensem, illico terga vertentes, in fugam se dederunt; & sic debellati, cæsi, & fugati sunt, & multi in Flumine Sennii suffocati sunt. Et tunc populus de Bononia, qui erat cum Confalone Carrotii, stantes juxta stratam inter Hospitale Rochadosii, & quamdam Tumbam, fuerunt circumdati à Popularibus de Faventia, & de parte Lambertatiorum, & à Forliviensibus tam equitibus, quàm peditibus; &, cum Confalone Carrotii erant VII. Confalones Societatum de populo Bononiæ, & ibidem in campo maximum prœlium commiserunt. Tamdem dictum Confalonem Carrotii debellarunt, & in majori parte eorum, qui aderant, capti vel interemti remanserunt. Unde Fratres, & aliæ Religiosæ personæ, qui sepelierunt corpora Defunctorum, dixerunt, quòd fuerunt tria millia, & ultra de illis de parte Geremiorum, qui in exercitu cecidere, absque suffocatis in Flumine Sennii. Et tunc alii, qui evaserant à dicto conflictu, ascenderunt Pontem Sancti Proculi, defendentes dictum Pontem cum lanceis, & balistis, tenentes eum, quousque Commune Forlivii, & Faventini, & illi de parte Lambertatiorum, & qui cum eis venerant, Faventiam redierunt. Postea verò in nocte sequenti rumor magnus insonuit in Civitate Faventiæ, quòd illi de exercitu recesserant, reliquerantque spolia, & tentoria omnia, ita quòd Faventini, Forlivienses, & omnes, qui erant in Civitate Faventiæ, mares, & feminæ iverunt ad exercitum, invenientes currus oneratos pane, vino, carnibus, & annona, travachas, tendas, pecunias, & omnia paramenta exercitus; & ipsa omnia lucrata sunt, & exportata Faventiæ cum lætitia fuerunt. In quo quidem conflictu ex iis, qui ceciderunt, & peremti sunt, fuerunt ex Nobilioribus de Bononia de parte Geremiorum, Dominus Nicolaus de Bazeleriis, Dominus Rigutius de Gallutiis, Dominus Thomasinus de Rioltis, Dominus Ugolinus Zamboni Legum Doctor, Dominus Nicolaus de Tencharariis Judex, Dominus Sturanus de Stupa, Dominus Lambertinus Pacis, Dominus Ceveninus de Zovenzonibus, & duo sui filii, Dominus Ugonettus de Garixendis, Dominus Gulielmus de Malavoltis, Dominus Francischinus de Dutia, Dominus Pirolinus Dominæ Hostiæ, Dominus Albertus de Sala, Dominus Albertus Domini Cazæ, & Bartholomæus de Baxacomatre, & plures alii infiniti.

Eodem anno die Sabbati penultima mensis Junii, Commune Forlivii cum Domino Guidone Comite Montisfeltri, cum militibus de Faventia, & de Parte Lambertatiorum Faventiæ commorantium, equitaverunt versùs Cerviam, quam acquisiverunt die Dominico ultimo mensis Junii ad eorum voluntatem & dominium. Arcem vero Imperatoris, quæ erat in ipsa Civitate Cerviæ, habuerunt die Martis postea sequenti, secundo die mensis Julii cum omnibus balistis, & munitionibus Communis Bononiæ, & aliis rebus, quæ erant in dicta acie cum blado. Custodes vero, qui erant in ipsa arce, recesserunt per aquam, salvi in eorum personis, & rebus, quas portare potuerunt.

In eodem anno die primo mensis Septembris. Dominus Comes Guido Capitaneus præmemoratus totius Guerræ in Romandiola, & Militia, & Populus Civitatis Forlivii cum eorum stipendiariis equitaverunt versùs Civitatem Cæsenæ, se transferentes ad quoddam Oppidum, nuncupatum Reversano, quod est supra Cæsenam per tria milliaria, & per vim prœliando & debellando intraverunt ipsum Castrum. Sed Dominus Malatesta, qui erat Cæsenæ, & alii de Cæsena, ad Castrum prædictum occurrerunt, ibidem magnum prœlium committendo. Demum iis durantibus ecce quod occurrerunt Gulielmus de Pacis Capitanius Partis Lambertatiorum, & sui milites; & milites de Faventia illico prœlium incœperunt cum ipso Domino Malatesta, & gente sua de Cæsena, ita quod dictus Dominus Malatesta cessit fugiendo cum gente sua versùs Cæsenam. Dominus vero Galeottus de Lambertinis de Bononia, qui tunc erat Potestas Cæsenæ, & Dominus Rodulphinus de Ganacese cum multis aliis de Cæsena aufugerunt, securitatem in arcem eligentes. Unde quamprimum Commune Forlivii cum omnibus, qui ibidem cum eo erant, circumdantes ipsam arcem, cœperunt facere ædificia, & Castellos de lignamine altos & magnos ad prœliandum arcem ipsam. Illi, qui se in illam reduxerant, tractantes conventiones & pacta, venerunt ad mandata Communis Forlivii; & ex illis, qui erant in ipsa arce, fuerunt capti XXV. ex melioribus & majoribus Cæsenæ, tam de Militibus, quàm de Popularibus. Inter quos fuerunt Dominus Galeottus de Lambertinis Potestas Cæsenæ, Dominus Rodulphinus de Ganacese, & unus ejus filius, & gentes ejus, Dominus Guido de la Tumba, & ejus nepos, & quidam alii in numero XXV. capti fuerunt & ducti ad Civitatem Forlivii die Martis VII. Septembris. Alii vero omnes, qui erant in Arce ultra mille, relaxati & liberati gratis sunt. Quamobrem concordia inter eos contracta est, & inter Commune Forlivii, & Cæsenates promiserunt facere mandata dicti Communis Forlivii. Et propter tantam liberalitatem elegerunt duos Potestates de Forlivio, videlicet Tedericum de Ordelaffis, & Dominum

rum Argugliosum de Argujosis Cives Forlivii. Et tunc Dominus Raule de Mazolinis, & Dominus Ranutius Pocaterræ exules cum omnibus eorum amicis Cæsenæ honorifice rediere. Eodem anno Ravennæ seditio facta est, in qua Guido minor de Polenta ea Urbe potitur. Oppidum Serravalli in Valle Sennii, quod erat Manfredi de Manfredis de Faventia, à Gulielmo Capitaneo Partis Lambertatiorum de Bononia, & Domino Maghinardo Potestate Civitatis Faventiæ, penitus destruitur.

Die 3. Octobris prædicti Dominus Gulielmus cum Militibus, & Populares de Faventia, euntes in Valle Sennii ceperunt Castrum Saxi, & quandam Tumbam juxta Castrum, destruentes illum.

Die prima Novembris. Accesserunt ad Civitatem Faventiæ Dominus Gulielmus Ferrariensis Episcopus Legatus Apostolicus, & Cancellarius Domini Rodulphi Romanorum Regis electi in Imperatorem; quibus factus fuit summus honor. Veniebant illi de Bononia, & Imola; & de eorum mandato convocatus Populus in dicta Civitate à præmisso Cancellario, qui Theotonicus erat, literaliter quatuor exposita sunt. Nam primo proposuit salutem, quam Dominus Rex Rodulfus electus Imperator Romanus mittebat amicis, & fidelibus suis. Secundo posuit exhortationem, & confortationem, ut omnes essent fideles Sacrosanctæ Ecclesiæ, & Romano Imperio. Tertio annuntiavit adventum ipsius Domini Regis, qui foret de brevi. Quarto requisivit à Faventinis fidelitatem pro Romano Imperio, & ipso Domino Rege electo ut supra. Post eum surrexit Dominus Guido de Suzaria Legum Doctor, & exposuit Latinis verbis id totum, quod dictus Dominus Cancellarius prædixerat.

Millesimo CCLXXVI. Papæ quatuor mortui, duo divino judicio, & duo veneno exhausto. Dominus Guido de Montefeltro, & Comes Rogerius, & Commune Forlivii, & Faventini Intrinseci, obsident Bagnacavallum; & jussu Communis Forlivii, & Comitis Guidonis præfati construitur Oppidum Cotignolæ ad injuriam illorum de Bagnacavallo, & defensionem Districtus Faventiæ. Ibique steterunt XII. diebus, habentes manganos, & projicientes lapides librarum DC. in ipsum Castrum. Tunc Commune Bononiæ id ægre ferens, duxit ejus exercitum Imolam, ut hostes timore à Bagnacavallo discederent. Sed hoc finem non habuit, quoniam Bagnacavallenses acriter oppresi, non valentes resistere, personis salvis & rebus, se dederunt, jurando mandata Communis Forlivii facturos.

Diebus autem paucis anteactis, Dominus Paganinus de Arguglìosis, & Gulielmus de Ordelaffis de Forlivio, affectantes statum Civitatis Forlivii subvertere, & ad eorum voluntatem illam reducere, cum eorum amicis, qui in maxima frequentia erant, fretique in potentia & auctoritate eorum, quæ ampla videbatur, sponte sua moliti sunt præsens facinus machinari, & audacter inchoantes, elevato rumore ad terrorem Populi ascenderunt Palatium Domini Potestatis de nocte apud Ecclesiam Cathedralem, satis animosè operantes, & in rem suam, & pro victoria potiunda. Et cum in spe eorum frustrarentur, dolentes, & acriter comminantes eorum adversarios, à dicta Civitate Forlivii se absentarunt, euntes

A ad Civitatem Florentiæ, tamquam rebelles Communis Forlivii. Et dicta de causa fuerunt exbanniti, & domus eorum ruinatæ per ipsam Communitatem. Et tractaverunt præfati Dominus Paganinus, & Gulielmus cum Guelfis de Florentia, & cum Parte Geremiorum de Bononia, dicentes, se taliter facturos cum amicis eorum de Forlivio, quod ipsi darent dictam Civitatem Guelfis, & Parti Geremiorum; & super hoc ultra quam quingenti homines de Forlivio juraverunt, ea esse executuros. Et in hoc tractatu steterunt bene menses VIII. & ultra, ita quod Pars Geremiorum, quæ tunc dominabatur in Civitate Bononiæ, misit Oratores suos ad Civitatem Florentiæ

B pro dicto tractatu exequendo; & ibidem inventi sunt stipendiarii in quantitate DCCC., & subpignorati fuerunt XXV. ex filiis tam Militum, quam Popularium dictæ Partis Geremiorum, & ducti Florentiam. Pignoraverunt etiam Gabellam, seu vectigalia, & Passagium Communis Bononiæ usque ad duos annos pro solvendis stipendiariis eorumdem. Et post dictum fuit, quod fuerunt bene mille stipendiarii de Florentia, quorum Capitaneus & Ductor erat Dominus Comes Guido Salvaticus filius olim Domini Comitis Rogerii de Dovadula, & Dominus Bascheria de Tosinghis de Florentia. Ex alio vero latere miserunt prædicti Geremienses in Lombardia pro adhibendis stipendiariis; & miserunt de Civitate

C Ravennæ CCCC. stipendiarios; & à Civitate Regii CC. stipendiarios, & à Civitate Mutinæ alios CC. stipendiarios habuerunt, quos omnes secum duxerunt. Et die quarta mensis Octobris Commune Bononiæ, Milites, & Populares cum dictis Stipendiariis de Lombardia & Romandiola, venerunt ad Civitatem Imolæ; & fuit ita ordinatum, quod dictus Comes Guido Salvaticus cum tota sua comitiva, & Militibus de Florentia, deberet in certa die stabilita transire Alpes, & ire in Districtum Forlivii; & Commune Bononiæ cum suo exercitu deberet accedere Faventiam, ad hoc ut ipsorum timore illi, qui erant

D Faventiæ, succurrere non possent Communi Forlivii. Et sic præfatus Dominus Guido Salvaticus cum gente sua transivit Alpes, & cepit multa Castra, & Fortilitia per Districtum Forlivii in Alpibus & Montanis. Tunc Dominus Raynerius de Calbulo, & Dominus Lucius de Valbona, & Domini de Protexeta, Cives, & Comitatini Civitatis Forlivii, se à dicta Civitate rebellarunt, & occupaverunt inter cetera Burgum Castri Civitellæ, & Planettum, ad quem prædicti Milites devenerunt, & ipsum optime munierunt de bonis viris, & opportunis pro defensione ipsius Burgi. Et iverunt ad Valbonam, & ibi castramentati sunt die Sabbati XIII. mensis Novem-

E bris, & habuerunt Valdoppiam, Valcapram, Montem-Veterem Rochorum. His verò stantibus, Commune Forlivii, & Dominus Comes Guido de Montefeltro Capitaneus Forlivii, & Generalis Ligæ, volentes providere prædictis, & obstare, ne tantum malum succederet pro magnifico & libero statu Forlivii, & Amicorum suorum, cum omni potentia de Faventia, & de Parte Lambertatiorum, cum Domino Guidone Novello, hostiliter ad Burgum Civitellæ se contulerunt. Et die Dominico XIV. Novembris prœliando dictum locum, recuperaverunt. Et captus fuit ibi Dominus Paganinus, & Gulielmus, & Dominus Franci-

eischinus filius dicti Domini Paganini, qui fuerunt auctores principaliter prædictorum cum quibusdam eorum complicibus. Et multi ibi fuerunt mortui, inter quos fuit Rigus filius Domini Lucii de Valbona. Tunc vero Dominus Comes Salvaticus, intellectis prædictis, cum stipendiariis de Florentia in fugam conversus est, & pertransivit Alpes, & versus Florentiam iter arripuit, relictis armis & equis pluribus. Quidam vero ex eis aufugerunt in Castrum Tredolcii, ubi erant obsides Comitis Guidonis de Romena, illosque accipientes aufugerunt cum eis. Unde rumor hominum dictæ Contratæ insonuit contra illos, qui in fugam conversi erant; & relinquentes obsides, vix evaserunt. Interim Bononienses, qui erant Imolæ, equitaverunt prope Pontem Sancti Proculi, ubi steterunt, & balistarunt, & parumper post versus Imolam redierunt. Auditis postmodum, quæ contigerant Florentinis, Bononiam redierunt. Prædictus Dominus Paganinus de Arguiosis cum filio, & Gulielmo positi fuerunt Cæsenæ in Turri Imperatoris. Demum nocte quadam interemti fuerunt.

Post quæ Dominus Comes Guido de Montefeltro invictus Capitaneus Communis Forlivii, & Generalis guerræ pro parte dicti Communis, cum machinis & ædificiis aptis ad expugnationem Terrarum, hostiliter ivit ad Opidum Ranclæ, & eo maximè quia illi de Rancla fuerant rebelles Communis Forlivii. Sed homines de ipso Castello illud illico dediderunt dicto Communi, salvis eorum rebus & personis.

Hoc anno pars Geremiorum, quæ Bononiæ dominabatur, duxit exercitum supra Plancaldulum, & pro bello faciendo, misit Comitem Maghinardum de Panigo, & Ubaldinum de Laugliano, & Dominum Raynaldum de Samaritanis cum equitibus CC., & cum omnibus peditibus habitantibus supra stratam ab Idice versus Imolam in montanis Comitatus Bononiæ, & castramentati sunt ibi die Lunæ 12. Maji. Die verò Dominico surrexerunt Dominus Maghinardus de Sosenana cum Andrea olim Domini Castellani de Andalò, & Dominus Brancaleon Domini Andalò, & Dominus Aliottus de Pipinis de Forlivio, qui tunc erat Capitaneus partis Lambertatiorum, & cum tota militia dictæ partis, & cum militibus centum Communis Forlivii, equitantes versus Mutilianam, acceperunt Dominum Comitem Tigrinum de Mutiliana cum fidelibus & peditibus suis, pergentes versus Maradi, & equitarunt usque ad Sanctum Stephanum in Palazolo. Deinde equitarunt prope Castrum Plancaldoli, ubi erat exercitus Geremiorum. Illi verò, qui obsidebant dictum Castrum, aufugerunt, relictis tentoriis, machinis, & omnibus eorum rebus.

Hoc nefandissimum, & sceleratissimum Facinus accidit. Dum Tibaldellus de Zambrasiis Civis Faventinus esset Dominus Faventiæ, sicut & ceteri Catanii, & Magnates, qui fovebant partem Acharisiorum, & Lambertatiorum de Bononia in eadem commorantium, de quo etiam omnes populares, & amici sui tamquam de eorum personis propriis confidebant: facta strage amicorum suorum juvantium, deliberato consilio & assensu cum illis, qui suam paternam & fraternam carnem manducaverant, tractatuque habito cum parte Geremiorum de Bononia, & eorum sequacibus

A de Romandiola, tamquam Herodes, & Pilatus, facti sunt amici. De mense Novembris dicti anni in Mane summo fractis ferramentis & januis Portæ Æmiliæ, sive Imolensis, quæ ceteris conservabat Civitatem Faventiæ, introduxit Fantolinum, & Tinum filios quondam Domini Ugolini de Fantolino, Cataneos de Sassadello, Comitem Bernardinum de Cunio, Fratrem Albericum, & Manfredum de Manfredis, Dominum Guidonem de Polenta de Ravenna, Nerdiglios de Imola, partem Geremiorum de Bononia cum omnibus eorum, & quorumlibet prædictorum sequacibus; qui omnes tamquam Leones avidi & intenti ad prædam, ipsam Civitatem irruentes, quotquot

B potuerunt, gladio occiderunt, alios vulnerantes, alios carceribus recludentes, rejectis, expulsis, atque fugatis omnibus de parte Acharisiorum, & Lambertatiorum, quibusdam ex eis armatis, aliquibus inermibus, & multis ex ipsis absque pannis & calceamentis propriis, itaut ante horam Tertiarum, relictis domibus & spoliis singulorum, ipsa Civitas Faventiæ plena bonis omnibus, pane, vino, carnibus vivis & mortuis, pannis, & pecuniis infinitis in dominio prædictorum derobatorum remansit. Qui Deum præ oculis non habentes, nec considerantes, quod dicta damna & mala possent in futuris temporibus contra eos similiter evenire, tamquam Canes famelici, domos intrantes, deprædaverunt. Ec-

C clesias insuper, & loca religiosa, & specialiter domos & Ecclesiam Sancti Johannis Evangelistæ Fratrum Eremitarum, domos etiam & Ecclesiam Sancti Francisci deprædantes omnibus rebus tam illorum, qui aufugerant, quàm de dictis Religiosis; & non contenti de prædictis, etiam quoscumque, qui in Ecclesiis evaserant, occiderunt, alios duris carceribus intruserunt. Illi verò, qui evadere potuerunt, se reducentes ad Livium, benignè recepti, & tamquam Matres filios proprios, bene tractati, & opitulati in cunctis fuere. In dicta verò expulsione & proditione sic facta, mortui fuerunt gladio infrascripti Dominus Scanabicus de Magnarottis, Jacobus de Magnarottis,

D Dominus Jacopinus Salvestri, Dominus Vivianus Zuffoli de Burgo-Novo, Dominus Petrizolus de Ferraria, Dominus Gratiadeus Faxiolus, Andriolus de Zachariis, Magister Bonacaptus de Albarexanis, Petrus, & Ventura Fratres Carpenterii de Mutina, Magister Franciscus Aurifex de Parma, Ugolinus filius Magistri Timidei de Medicis, Bittinus quondam Domini Scarpellini.

Post statim præmissa congregatis majoribus prædictorum dictam victoriam obtinentium, Scribis etiam & Farifeis, & Satrapis, & Samaritanis, tamquam impiissimi Herodis Nuntiis, & scelerum Ministris, cum gladiis & fu-

E stibus Ecclesiam & domos Fratrum Minorum de Sancto Francisco circumdantes, hostiliter irruerunt, & quotquot invenerunt infantes, qui aufugerant ad dictam Ecclesiam, nequiter occidentes. Postea verò Priorem, & Fratres Eremitanos apud Locum Sancti Johannis commorantes, videlicet Evangelistæ de Porta Montanaria, de ipso Loco, & Civitate Faventiæ inhumaniter expulerunt, & similiter Guardianum, & Fratres Loci Sancti Francisci. De qua re magna fuit abominatio contra eos, & inimicos eorum.

Item eo anno dum Guasparius de Guigliarinis de Lugo, Gardamonus Cazanemici, & Bo-

Bonaventura Palixiæ, honorabiles Cives Civitatis Faventiæ, de mandato Potestatis essent ad confinia apud Pergulam, capti fuerunt ibidem, & ducti Faventiæ, & positi in carceribus, & Turri Communis Faventiæ variis & iniquis tormentis; & quia nihil dignum mortis perpetratum est ab eis, condemnati fuerunt per dictum Potestatem in perpetuis carceribus moraturi. Die Dominico in nocte, quæ erat Vigilia Nativitatis Domini, fuit positus ignis in Palatio Populi Civitatis Forlivii, & totum Palatium combustum est. Eodem anno, & die Martis XIV. mensis Maji. Comes Manfredus Potestas Faventiæ cum tota militia, & populo Civitatis ejusdem, & Dominus Aliottus de Pipinis de Forlivio Capitaneus partis Lambertatiorum, equitaverunt versùs Imolam, & invenerunt homines multos facientes fossata, & hujusmodi, ita quod C. ex eis mortui sunt, & plures capti. Magnificus, illustrisque vir Comes Guido de Montefeltro, & Commune Forlivii duxerunt exercitum super Castellum Calbuli, in quo reclusi erant Domini de Pertiseda, & Dominus Raynerius de Calbulo, & Dominus Guido ejus frater Cives Forlivii, qui fuerant rebelles dictæ Civitatis, & quidam alii habentes in dicto Castello, ultra quantitatem DCCC. hominum proborum. Sed Commune Bononiæ jam dederat Domino Raynerio XII. millia librarum, ut muniret Castellum Calbuli per X. menses, & sic factum est. Tunc Commune Forlivii duxit VII. machinas apud Calbulum, & die, noctuque jaculabantur lapides magnos destruendo muros, & homines occidendo. Viri Calbulenses se dederunt salvi in personis & rebus, quas portare possent. Commune verò Forlivii fecit Calbulum comburi, atque funditus dirui. Posthæc Dominus Comes Glagisius de Castrocaro aggressus est regimen Civitatis Faventiæ pro Commune Forlivii. In Calendis Julii habuit sedem in Palatio magnificam. Papa Nicolaus Tertius misit nepotem suum Dominum Bertoldum in Romandiola, & cum maximo labore homines & Communitates reconciliavit, & inter eas Paces fecit, & homines invicem concordavit, & duxit in Civitates suas.

Millesimo CCLXXIX. Dominus Legatus, scilicet Dominus Latinus Cardinalis, fecit magnum convivium in Palatio Faventiæ, & ibi fuerunt multi Magnates utriusque partis. Magnus Terræmotus Calendis Maji in Matutinis, & Arces in Montanis corruêre, & multæ gentes perierunt ex ædificiis corruentibus. Veneti bellum cum Anconitanis agunt mari, & machinis navibus positis in eam Urbem projiciunt. Mortuus est Dominus Manfredus de Nordulis de Imola, à Suzio de Lanzano, & Galisio Domini Uspinelli de Imola. Facta est pax inter Extrinsecos, & Intrinsecos de Ravenna; & illi, qui erant extra, intraverunt, scilicet Dominus Gulielmus Franciscus, Dominus Domus Traversariorum, Dominus Guido Rizius de Polenta, Dominus Vincentius, Domini Honesti, Dominus Saladinus cum eorum sequacibus de parte Traversariorum, Dominus Vitalis de Saxo de parte Comitum. Et prædictis sic confectis, ecce cursu festino supervenerunt in Provincia Romandiolæ Nuntii Summi Pontificis Domini Nicolai Papæ Tertii, & per singulas Terras Romandiolæ properantes, in Civitate Bononiæ, & in aliis Romandiolæ Terris mandaverunt, ut per quas-

A libet Communitates Terrarum, & etiam partium expulsarum de qualibet Terra Syndici legitimè constituti mitterentur ad Romanam Curiam, causâ compromittendi in Summum Pontificem supradictum pro discordiis hinc inde inter partes exortis, quas quidem partes cujuslibet Civitatis haberent ad invicem. Et sic Syndici omnium Romandiolæ Terrarum iverunt ad Romanam Curiam in Civitate Viterbii coram Summo Pontifice, & ibidem fuerunt Syndici cujuslibet partis Romandiolæ Terrarum. Et tunc magna discordia fuit inter Syndicos Communis Bononiæ, & Syndicos Communis Forlivii. Demum omnibus tractatis per dictos Syndicos cum Domino Matthæo B Rubeo Cardinali nomine dicti Summi Pontificis, facta fuerunt per dictos Syndicos dictarum Terrarum generalia compromissa, magnæ, & parvæ, in dictum Summum Pontificem. Postmodum voluit, & petivit idem Summus Pontifex, & super hoc misit etiam suos Nuntios per Provinciam Romandiolæ, ut per quaslibet Terras, & partes dictarum Terrarum Syndici ordinarentur & crearentur ad faciendam fidelitatem Summo Pontifici supradicto, & Romanæ Ecclesiæ, & omnes & singulas Provincias Romandiolæ, & Civitatem Bononiæ, & Civitatem Forlivii esse de jurisdictione, dominio, & Principatu Romanæ Ecclesiæ, omnesque & singulas Terras cum Comitatibus C & Districtibus suis. Et sic prædicti Syndici constituti fecerunt. Et postea per dictas Terras Nuntii præfati Summi Pontificis se transferentes, ratificari fecerunt per universa Communia Terrarum, quæ per eorum Syndicos gesta erant, facientes, omnes & singulos homines à XIV. annis supra, & LXX. infra jurare fidelitatem prædictam Summo Pontifici, & Romanæ Ecclesiæ: & sic factum est. Nuntii verò Summi Pontificis, qui venerunt in Romandiolam pro prædictis, fuerunt Dominus Gulielmus Durantis Canonicus Nerbonensis Capellanus Domini Papæ, Frater Johannes de Viterbio, & Frater Laurentius de Thodi Ordinis Fratrum Prædicatorum.

D Eodem anno. Idem Dominus Papa Nicolaus elegit, & misit in Romandiola Comitem, videlicet Dominum Bertoldum Nepotem Domini Papæ, qui primo venit ad Civitatem Arimini de mense Octobris, & accipiens omnes fortilitias dictæ Terræ, relinquens etiam ibidem unum Potestatem, & Rectorem, & exinde ad Civitatem Cæsenæ perrexit, ubi fecit similiter. Sed sicut Domino placuit, ibidem infirmatus est, & multum temporis in infirmitate permansit. Tamdem misit Romam pro filio suo Domino Gentili, qui per alias Civitates Romandiolæ gradiens, omnes & singulas suo dominio subjugavit, & in E qualibet Civitate Rectores deposuit. Ivit itaque ad Civitatem Forlivii cum magna militum comitiva de Roma, & Patrimonio Sancti Petri, & de Francia, ubi non clare visus est, & male potuit deponere Rectores illos, & Dominum illis, ac Rectores novos imponere. Faventiam postea peragravit, ubi honorifice est receptus, & positus in tenutam & corporalem possessionem Civitatis & districtus Faventiæ; portatumque fuit supra caput ipsius Pallium deauratum, & data fuerunt sibi Datia, & in suis manibus per Syndicum Communis Faventiæ portæ Civitatis Faventiæ, & claves earumdem traditæ sunt. Subsequenter verò ivit ad dictam Civitatem Faventiæ Domi-

minus Frater Latinus Cardinalis Romanus, Legatus Apostolicæ Sedis; & in Calendis Novembris fuit Potestas Faventiæ ad unum annum Dominus Stephanus Johannis Jordani Proconsul Romanus; & fuit electus per Commune Faventiæ precibus & instantiâ Domini Cardinalis, & Domini Gentilis. Die verò Mercurii secundo mensis Novembris iverunt ad Civitatem Imolæ, & traditæ fuerunt sibi claves, & fortilitia Civitatis Imolæ, & Potestatem & Rectorem ibi reliquit. Et die Jovis tertio dicti mensis iverunt ad Civitatem Bononiæ, & ibi steterunt multos dies. Et illi de parte Gerimiorum, qui habebant dominium Civitatis Bononiæ, nolebant pacem facere cum illis de parte Lambertatiorum, nec volebant dare dictis Domino Cardinali, & Domino Gentili Potestariam & dominium Civitatis Bononiæ. Unde contigit, quod idem Dominus Gentilis fecit sibi dare ab illis de Bononia omnes captos, & obsides, quos tenebant de parte Lambertatiorum, & ipsos duxit Imolam die Jovis XXIV. mensis Novembris. Et die Sabbati tunc sequenti venit ad Civitatem Faventiæ, & fecit sibi dari omnes captos de parte Geremiorum, quos illi de parte Lambertatiorum Faventiæ commorantium habebant in carceribus, & ipsos eodem modo fecit duci ad Civitatem Imolæ. Demum contigit, quod occasione quorumdam de parte Geremiorum, qui erant capti Imolæ, & aufugerunt, dictus Dominus Gentilis accessit omnes prædictos captos & obsides de utraque parte, & ipsos fecit duci ad Civitatem Cæsenæ. Die autem Mercurii ultimo mensis Novembris ad Dominum Bertoldum Patrem suum, qui erat tunc in bona convalescentia, venit. Et die Jovis primo mensis Decembris idem Dominus Bertoldus Comes Romandiolæ fecit maximum parlamentum in palatio Communis Cæsenæ, ubi fuerunt Ambasciatores omnium Terrarum de Romandiola, & fecit ibidem legi sua ordinamenta, quæ volebat per totam Provinciam generaliter observari.

Postea vero idem Dominus Bertoldus venit Forlivium, & ibi omnia ordinamenta reconciliavit. Deinde venit Faventiam, & exinde Imolam, & ibi stetit pluribus diebus; & factus fuit tractatus pacis hominum Civitatis Imolæ, & Faventiæ; & dictus Dominus Bertoldus accepit obsides ab utraque parte Imolensium, quos duxit ad Civitatem Forlivii. Et die Veneris XXVII. mensis Januarii pars Nordulorum de Imola, quæ morabatur Faventiam, intravit Civitatem Imolæ cum magno gaudio. Demum dictus Dominus Bertoldus venit Ravennam, & ipsam habuit, pariterque datia, & portas, & fortilitias ejusdem Civitatis.

Millesimo CCLXXIX. Dominus Legatus, & Dominus Bertoldus prædictus, venerunt ad Civitatem Faventiæ, & honorifice fuerunt recepti. Et die Martis prædicti mensis Januarii illi de parte Manfredorum, qui erant extra Faventiam, redierunt in Civitate Faventiæ, & cum gaudio recepti fuerunt ab illis de parte Acharisiorum. Item die Mercurii primo Februarii dictus Dominus Legatus, & Dominus Bertoldus (qui etiam venit Faventiam die Martis ultimo Januarii) fecerunt Arengum in Podio Sancti Petri, & ibidem ambæ partes de Civitate Faventiæ fuerunt, & L. ex qualibet parte fecerunt pacem adinvicem, osculo pacis interveniente. Et Dominus Legatus præ-

A dictus tulit sententiam suam, & mandavit partibus, ut pacem prædictam observarent sub pœna X. millium marcharum argenti. Die verò Jovis secundo Februarii dictus Dominus Legatus fecit maximum convivium in palatio Faventiæ, ubi fuerunt majores utriusque partis de Faventia, & multi tam Layci, quam Clerici. Et Dominus Comes Guido de Montefeltro, & Dominus Comes Thaddæus Boncontis, & multi alii Magnates.

Eo anno die Dominico ultima mensis Aprilis circa horam Vesperarum fuit magnus Terræmotus. In nocte vero sequenti, adveniente die Lunæ Calendarum Maji quasi circa horam mediæ noctis fuerunt Terræmotus magni. Nam

B ex fortia ejus multa castra in Montanis corruerunt, & quamplurimæ gentes mortuæ sunt.

Eo anno die Jovis mensis Augusti. Facta fuit pax generalis inter partem Geremiorum, & partem Lambertatiorum in Civitate Imolæ in plena concione & prædicatione, ubi erant Dominus Comes Bertoldus Comes Romandiolæ, & Dominus Latinus Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus, Dominus Bonifacius Archiepiscopus Ravennæ, Dominus Archiepiscopus Barensis, Dominus Octavianus Bononiæ Episcopus, Dominus Synibaldus Imolensis Episcopus, Dominus Abbas Galiatensis parati omnes: quam pacem fecerunt L. de majoribus utriusque partis. Qui omnes juraverunt ad sa-

C cra Dei Evangelia pacem observare, & facere perpetuo observari sub pœna X. millium marcharum argenti.

Eo anno mortuus fuit Dominus Manfredus de Nordulis de Imola, quem occiderunt Suzus de Lonzano, & Galius quondam Domini Uspinelli de Imola. Propter cujus mortem fuit in Civitate Imolæ magnus rumor. Nam pars de Nordulis asserragliavit se apud portam Alonis, & alia pars ad portam de Spuviglia; & sic armati omnes steterunt, quousque Dominus Bertoldus Comes Romandiolæ venit Imolam propter prædicta. Eo anno de mense Septembris. Dominus Bertoldus Comes Romandiolæ ivit, ad Civitatem Ravennæ, & fe-

D cit concordiam inter intrinsecos, & extrinsecos de Ravenna, ita quod die Dominico X. Septembris illi, qui erant extra Ravennam, ipsam intraverunt, scilicet Dominus Gulielmus Franciscus, qui erat Dominus Domus Traversariæ........

Multa hic desiderantur, quæ dolendum est excidisse; Scriptor enim sat dilucida ea nobis tempora & gesta pingit.

Faventiæ ad quamdam Villam, quæ vocatur Sarna, ubi destruxerunt de clusa Communis Faventiæ, quæ erat in Flumine Amonis. Incenderunt etiam ultra prædictam Flumanam, ducentas domos, albergos, & palearia, spargendo per terram vina in maxima quantitate, & incidendo vineas & arbores; & ea

E die reversi sunt ad Civitatem Forlivii.

Eo anno die Mercurii II. mensis Aprilis. Dictus Comes Guido cum dicta comitiva sua hostiliter cum equis coopertis & paratis ad bellum equitavit versus Faventiam in Burgum Durbechi, ubi fecerunt tres acies militum, & duas popularium absque guastatoribus, & squadram unam equitum, qui cum eodem Domino Comite morabatur; & ibi fecit fieri magnum guastum vinearum, & arborum incisarum, & multas domos incendio concremari usque prope Burgum portæ pontis; fecitque destrui & dirui portam Durbechi, & splanari de

de ripa Cerclæ Communis in maxima quantitate; & nemo ausus fuit exire Civitatem Faventiæ: & ea die reversi sunt Forlivium.

Eodem anno, & die Sabbati XVII. mensis Maji præfatus Dominus Comes, & Dominus Gulielmus Franciscus Dominus Domus Traversariorum de Ravenna, Potestas Civitatis Forlivii, cum Militia & populo dictæ Civitatis Forlivii, & omnibus forensibus in ipsa Civitate permanentibus, fecerunt exercitum, seu Hostem juxta Civitatem Ravennæ, ubi fuerunt etiam milites & populares Civitatis Cæsenæ, Bertenorii, Foripompilii, Cerviæ; & in bladis, arboribus, & vineis, ac corredis Districtus Ravennæ, usque prope portam Civitatis ipsius, guastum maximum intulerunt ipsa die & nocte. Ac die Dominico tunc sequenti, & in sero ad Civitatem Forlivii honorabiliter redierunt, incendentes omnes domos, quas invenerunt per vias, ubi redierunt. In quo exercitu, ultra X. millia tornaturas bladi, destructæ sunt arbores quoque, & vineæ infinitæ.

Eodem anno & die Dominico XVIII. mensis Maji. Fuit maximum prœlium inter Mediolanenses, & eorum sequaces ex una parte, & illos de la Turre, & de Laudo, & Patriarcham de Aquileja, qui erat de illis de la Turre ex altera juxta Flumen Addæ. Et facto magno prœlio & conflictu, mortuus fuit Dominus Casonus de la Turre, & multi alii de dicta Domo, & remanserunt in campo mortui ultra mille, exceptis captis & subfocatis in dicto Flumine; qui fuerunt sine numero. Et sicut ex fama publica divulgatum fuit, inter mortuos, & subfocatos, & captos fuerunt ultra tria millia.

Item eodem anno. Ambasciatores Communis Forlivii, & partis Lambertatiorum iverunt ad Curiam Domini Papæ in Civitatem Urbis Veteris, ubi erat Dominus Carolus Rex, Ambasciatores partis Geremiorum de Bononia, & Dominus Archiepiscopus de Ravenna, & Comes Thaddæus Novellus de Montefeltro. Et ibidem dicti Ambasciatores, & Syndici Communis Forlivii, & partis Lambertatiorum male recepti fuerunt, & male visi, ita quod coram Summo Pontifice nullam misericordiam, neque justitiam obtinere valuerunt; immo repulsam ignominiosam habuerunt, & sic eos de Curia oportuit discedere, & ad suos remeare. Quare ad tractatum partis Geremiorum, & eorum sequacium electus fuit per Dominum Papam, & ejus Curiam, Comes Romandiolæ, scilicet Dominus Johannes de Appia de Francia, Consiliarius Domini Regis Caroli. Et habitâ militiâ sibi datâ à Summo Pontifice, & Rege Carolo, & aliis Terris, à quibus Summus Pontifex voluit petere auxilium, venit Dominus Comes Johannes de Appia ad Civitatem Bononiæ, & postea ad Civitatem Imolæ, & Faventiæ, ubi gentes armorum suas congregavit. Et die Veneris mensis Junii venit cum gente sua, & militia, & populo Bononiæ, Imolæ, & Faventiæ, usque ad locum, ubi dicitur Cosna, inter Faventiam, & Forlivium, ubi omnes castramentati sunt ea die, & eorum vexilla, tentoria, travachas, & tendas ibidem posuerunt.

Ante vero quam ad dictum exercitum accederet idem Dominus Johannes de Appia Comes, literas suas transmisit ad Communitatem Forlivii, mandando quod deberet expellere Comitem Guidonem de Montefeltro, & omnes forenses in Civitate Forlivii commorantes. Item misit literas ad ipsum Comitem Guidonem de Montefeltro Capitaneum Forlivii, ut de Civitate Forlivii, & tota Romandiola se separare deberet. Item misit literas ad partem Lambertatiorum, mandans eis, quod de Civitate Forlivii, & tota Romandiola se absentare deberent, imponendo eis certum terminum ad prædicta exequenda: quod quidem facere noluerunt, eo quod dicta præcepta iniquitatis & injustitiæ penitus erant plena.

Et die Dominico proxime sequenti XXII. Junii, moverunt exercitum de dicto loco, & posuerunt tentoria & tendas in loco, ubi dicitur Villa-Nova, in districtu Forlivii, ibique steterunt quinque diebus. Singulis vero dictorum quinque dierum faciebant parari milites exercitus eorum armis & equis, facientes & ponentes acies ipsorum militum usque prope locum infectorum. Feceruntque explanari fossata ex utraque parte Stratæ usque ad Ecclesiam Sancti Bartholi. In nocte vero diei Jovis, adveniente die Veneris XXVII. Junii levarunt campum, & exercitum totum, & posuerunt super currus eorum omnia impedimenta, & munitiones suas, tendendo versus Faventiam. Et sic omnes tam milites, quam pedites ante horam tertiæ dicti diei Veneris recesserunt.

Verum dictus Comes Guido Capitaneus Forlivii dictis diebus singulis, quibus dictus exercitus in dictis locis stetit, faciebat equites de sua comitiva exire Forlivium, & quotidie stabant ad custodiam faciendam juxta Sanctum Bartholum, ita quod homines & mulieres secure poterant laborare, & colligere fructus.

Item eodem anno die Martis octavo intrante Julio. Præfatus Dominus Johannes de Appia Comes cum stipendiariis ejus, & Domino Archiepiscopo Ravennæ, & cum illis, qui tenebant Ravennam, equitavit ad locum & castrum, quod vocatur Traversara. Ubi factum & incœptum fuit prœlium, & per vim ceperunt quamdam Circlam, quæ erat ante dictum castrum, & quam Dominus Gulielmus Dominus Domus Traversariorum fecerat poni. Et timuerunt valde propter tubicinem, quem audiverunt sonantem. Nam comitiva intra Circlam ibat circum Terram pro custodia facienda, & propterea reversi sunt retro.

Die verò Jovis tunc proxima sequenti IV. intrante Septembri. Præfatus Dominus Johannes cum Bononiensibus, Imolensibus, & Faventinis, & omnibus eorum amicis de Romandiola, & stipendiariis Gallicis, Romanis, & Campagnolis, fecerunt exercitum generalem supra Civitatem Forlivii; & campus positus fuit in loco, ubi dicitur Sanctus Petrus in Archu; ibique stetit VIII. diebus. Die verò Veneris XII. dicti mensis levavit campum de dicto loco, & perrexit ad locum, qui dicitur Foranigus, in quo stetit per tres assiduos dies.

Deinde die Dominico XIV. dicti mensis. Levavit campum de dicto loco, & transivit ad Villam Sancti Martini in strata supra Forlivium per duo milliaria, ubi stetit diebus duobus. Et die Martis sequenti omnes de dicto exercitu equitaverunt armata manu versus Civitatem Forlivii usque ad fossatum Circlæ, quæ est ad Burgum Ravaldini; ibique fuit quoddam parvum prœlium, in quo mortuus fuit unus magnus Baro de Francia, & unus alius vulneratus fuit, & portatus ad exer-

exercitum, in quo mortuus est. Et equi etiam plurimi ex illis de campo vulnerati extiterunt. Postea verò die Mercurii sequenti levaverunt campum, & venerunt ad Pontem Ronchi, comburentes omnes domos de Sancto Martino, etiam de ponte prædicto. Et die Veneris XIX. dicti mensis Septembris equitaverunt omnes tam milites, quam populares de ipso exercitu, se transferentes ad Civitatem Ravennæ.

Anno Domini MCCLXXXII. Dictus Dominus Johannes de Appia Comes fecit exercitum generalem super Civitatem Forlivii.

Et eo tempore. Dominus Comes Guido de Montefeltro Capitaneus præfatus, ipsumque Commune Forlivii, & omnes forenses de Bononia, Imola, Faventia, Ravenna, & Bagnacavallo tunc moram trahentes in Civitate Forlivii, miserunt ad Romanam Curiam eorum Ambasciatores solemnes ad pedes Summi Pontificis, misericordiam implorantes humiliter, & devote veniam petentes: quam quidem ullo modo obtinere non potuerunt. Dicebat autem idem Summus Pontifex, quod Communitas Forlivii deberet expellere de ipsa Civitate omnes forenses in ipsa Civitate degentes, & eorum familias mares, & feminas. Forenses vero dicebant, quod parati erant exire Civitatem Forlivii, supplicantes, ut ipsa Sanctitas dignaretur locum eis impartiri, ubi vellet eos moram trahere; ipsi enim expulsi erant de Terris eorum, nec redditus erat sibi locus: unde necesse erat ipsos habitare in aliquo loco. Addentes, ipsos de Terris eorum inique & contra justitiam pulsos. Et ideo dignaretur clementia ipsius Sanctitatis ipsis designare & stabilire locum, ubi morari possent; & sic exirent Civitatem Forlivii. Quod quidem dictus Papa Martinus eis facere denegavit, & sic repulsam de Curia Romana nequiter & ignominiose receperunt.

Dum verò dictum Commune Forlivii expectaret fieri exercitum generalem, ecce quod quadam die Jovis ultima mensis Aprilis in sero post cœnam, præfatus Dominus Johannes de Appia movens se cum gente sua, & toto exercitu, quod in Civitate Faventiæ fecerat congregari, ad Civitatem Forlivii accessit; & sicut fecerat ordinari, aliquos pedites probos viros ipsa nocte intrare fecit in Burgum Civitatis, qui erat extra Portam Sclavaniæ, furtivè subintrando steccatum Circlæ, quæ erat ad Serralium Columbæ usque ad Serralium Burgi de Rupta. Illi verò, qui tractaverant dictam proditionem, ipsa nocte simul se congregaverunt in quodam campo tritici Domini Guidonis Bonatti juxta Serralium memoratum; unde videntes quòd eorum tractatum adimplere non poterant, separantes hinc inde, aliqui aufugerunt, aliqui capti secati fuerunt per medium à capite, usque ad pedes per sententiam latam per illustrem Dominum Guidonem Capitaneum. Alii verò fuerunt damnati in exilium, & eorum bona Communi Forlivii confiscata, & domus eorum funditus sunt destructæ.

Millesimo CCLXXXII. In Calendis Maji. Martinus Quartus Pontifex Summus de Regno Franciæ, affectans quamplurimum, ut supra, nancisci Forolivii Urbem, in Comitem Romandiolæ & Ducem, Dominum Johannem de Appia militem strenuum in armis (quo in Francia nullus erat bellicosior) cum infinita multitudine pedestrium & equestrium, Gallo-

A rum, Provincialiumque, & aliorum de Italia misit. Quibus quidem sic ductis se locant, & castramentati sunt penes Civitatem, juxta Suburbia ad Portam Ruptæ in quodam agro Domini Guidonis Bonatti nuncupato de Quercu, non dubitantes illam de facili debere quamprimum nancisci, ante maximè quàm ab obsidione discedatur. Ex adverso verò Guido Comes de Monteferetro Capitaneus populi Forliviensis, unà cum Domino Guidone Bonatto, Cive, Philosopho, & Astrologo præstantissimo, convocato omni populo in plateis, cùm nulla interim obsidionis levandæ, & internecionis evitandæ, vel spes salutis affutura videretur, cùm Urbs per annos quin-

B que ante fuisset non parum afflicta: Quid facere constituat, exponit; & monet, ut postera die è domibus res suas non amoveant, sed ut cum armis adsint parati ad ipsum insequendum jubet; ordinando exinde Portam Ruptæ prope Campum locatam apertam, & incustoditam relinqui, ut faciliorem ingressum hostis haberet. Nam idem Comes Guido bene cognoscebat se imparem tantis viribus, & potentiæ. Sed animadvertens temeritatem Gallorum, & contra plurimum sperans in virtute populi, ferocitate militum, & aliorum eo tempore sibi opitulantium, necnon in consiliis, calliditate, & artibus per jam gestas victorias feliciter adeptas, omnia excogitata

C plenè pandit, & ut bono sint animo, atque forti hortatur. Quo factum est, ut postero die ante diem Dominus Comes Guido Civitatem egrediens, ad Portam versùs Ravennam tendentem ex opposito à Campo, relictis custodibus fortissimis, cum populo extra Urbem migrat, stationemque non à longè locat. Interim Dominus Johannes Comes præfatus cum copioso exercitu suo, ut pluries facere alias consueverat, se transferens ad memoratam Urbem & Portam, & conspiciens illam sic apertam, & destitutam, & non videns obstaculum, neque repugnantiam, securè introgrediens, illa potitur, credens à populo penitus ex terrore derelictam, per Civitatem,

D per vicos, & plateas transcurrendo, & omnia loca lustrando, & speculando. Et intrantes per domos, benignè recepti à senibus & mulieribus, & cibo potuque optimo largè refecti, arma ut fessi exuere cœperunt, ac ædes pro libito capescere, & ut de superlucratis cognoscere. Sed postquam Comiti Guidoni, qui bonos exploratores in Urbe habebat, renuntiatum est, quæ à Gallis ebriosè agebantur, idem minimè dormiens idoneo tempore adinvento, compositis aciebus suis, & omnia quæ pro sua prudentia & arte cum præfato Domino Guidone Bonatto futura consultè excogitaverat, exequitur, milites, & populum convocat, & hortatur, ut forti animo sint

E dimicaturi pro Patria, parentibus, liberis, uxoribus, & fortunis suis, indubiè plurimum confidendo de solita victoria, & virilitate populi, & militum suorum, illos præcipuè admonendo, ut ferro non parceretur contra inimicos. Et Portam dictam festino gradu apertam redit. Sed cùm exercitus dictarum gentium pariter ad invicem concurreret, & Urbem, vicos, trivia, & loca publica occupare niterentur, horrenda pugna inter eos non solùm visu, verum etiam auditu committitur. Sed Galli de natura mollissimi, vino, & potu semisepulti, fessi, potiùs ad prædam diripiendam intenti, quàm ad Urbem conservandam ani-

animati, territique, incipientes cognoscere errorem, & ignaviam eorum, & inimicorum calliditatem & astutiam, virilitatemque Capitanei & populi, nullumque ordinem, vel consilium bonum, vel spem salutis in se habere, & ex improviso aggressos: faciliter cedere, & terga dare cœperunt. Sed cùm Livienses intenti forent ad eos insequendos cum atroci & odioso animo, illos per Urbem, per plateas, & ædes incessanter more belluarum satis miserrimè truncabant. Nam conspiciebantur magna Gallorum corpora undique mortuorum, & vulneratorum, ad necem paratorum, cum planctu & ululatu & dolore cadere; & sic non solùm à viris, verum etiam à senibus & mulieribus cum saxis per fenestras ejectis periclitabantur. Quo factum est, ut post victoriam sic gloriosè à Liviensibus peractam, gens Gallica, jam pulchra, & magna, ad nihilum sit redacta, virtute & calliditate magnanimi Capitanei populi Liviensis, & consilio Domini Guidonis Bonatti, qui vulneratus fuit in prœlio ferendo medicamenta; & omnia prævidit, & ante dixit. Sed postquam Dominus Johannes commemoratus Comes ejus infelicitatem, & stragem miserrimam sui exercitus cognovit & vidit, flebiliter ad Civitatem Faventiæ cum parva manu se contulit, ita ut VIII. millia, quæ in Urbem intravere, ad internecionem cæsa & numerata dicantur. Nam in dicto numero ex Magnatibus, & Nobilibus viris de Italia, qui ceciderunt in ipso exercitu, fuit Comes Thaddæus de Montefeltro consanguineus præmissi Comitis, sed erat ei infestus vigore litis, quam ad invicem in causa hereditaria habebant, Dominus Thebaldellus de Zambrasiis, qui aperuit Faventiam, quando dormiebatur, Comaxius Domini Conradini de Ravenna, Fantolinus Domini Ugulini Fantolini, Rangonus de Thomais de Faventia, Comes Guido Malabocha de Bagnacavallo, Ugolinus, & Thomaxinus de Mezzo de Manfredis de Faventia, Gulielmus de Scannabichis de Bononia, Virundus de Axinellis de Bononia, & Dominus Guido de Acharixiis de Faventia cum infinitis aliis. Et licèt nonnulli Scriptores, quos credo in majori parte vidisse, diversa sentiant, & scribant de præsenti victoria, tamen considerans artes, calliditatem, & coopertas vias præfati D. Comitis Guidonis, cum scribentium auctoritate, & consonantia morum tanti viri, sic ea victoria mihi esse notanda consentaneè videtur. Et ita concurrunt in his noster Benvenutus Imolensis, Blondus Foroliviensis, & nonnulli alii.

Populus verò, qui in summa lætitia & plausu erat, videntes se liberatos à crudelitate inimicorum, gaudio ingenti exultabant, reddentes gratias Omnipotenti Deo. Et ut cetera de ipso exercitu perditum irent, & dissiparent, veloci cursu ad loca, ubi exercitus prius castramentatus erat, & omnia impedimenta, & eorum sarcinas ibidem relictas diripuerunt, & collegerunt, & ad Livium transtulerunt lætitia imbuti.

ADDITAMENTUM

Hic multa desunt. Ego autem Hieronymus filius quondam Domini Francisci de Aspinis Legum Doctor nonnulla subnectam, excepta ex Chronica habita à Domino Pompejo de Matthæis hac præsenti die 15. Septembris 1593. ad supradictæ victoriæ explanationem, ut ceteri veritatem habeant.

„ NEl detto fatto d'armi morirono 10. mila soldati nemici, parte de' quali furono sepolti nella Chiesa, e Cimiterio di San Bartolo, di San Lazaro, di Santa Maria in Schiavonia, di Santa Croce, e de' Frati Minori; e cercati dentro e fuori di Forlì, dove si era combattuto, i corpi morti de i Nobili per dargli sepoltura per esortazione del Beato Giacomo de' Predicatori, fu tra gli altri ritrovato il corpo di Giovanni d'Appia, Capitan generale dell'esercito Francese, e al numero di due millia Nobili furono sepolti nella Piazza di Forlì, e gli fu fatto un' Oratorio, e ordinato, che vi si officiasse per l'Anime di tutti quelli morti; e tutto fu ordinato dal detto Beato Giacomo, ed eseguito dal Popolo di Forlì. E questa vittoria è verissima, e constava dagli Epitaffi in marmore scritti, e posti nelle mura del detto Oratorio, che ora chiamiamo la Crocetta. Uno Epitaffio verso la Pescaria, e l'altro al Palazio; quali esso Cronicatore attesta aver visti e letti con gli occhi suoi, e quello nel muro verso la Pescaria così diceva, e fu l'anno 1281.

„ *Livia, Gallorum qua decem millia claudit.*

„ E l'altro, ch' era verso il Palazio, era di tal tenore:

„ *Arbitratu Quarti Martini Pontificis Romani Johannes Appias, Dux Franciæ, exercitu in Italia militans, Forlivium prœlio utrinque dato introiit, qui mox Populi Defensoribus repulsus est, cujus octo millia prœliantium internecione cum eo perierunt, quorum duo millia selecta corpora hic jacent, Duce Foroliviensium Guidone Feltrano.* Soggiunge poi, „ che di tal vittoria non fu fatta allegrezza; „ poichè senza i fanti dell' esercito di Forlì, „ si ritrovarono morti due mila Forlivesi tra „ Cittadini, Artegiani, e Contadini.

„ Soggiunge ancora, che l'anno seguente „ cioè 1282. detto Papa Martino non volle „ intendere i quattro Frati mandatigli in Avignone dal Popolo di Forlì, ma mandò maggior' esercito alla distruzione di Forlì, ed „ era Generale il Conte de Monforte, il quale dopo lunghe battaglie fatte col suddetto „ Conte Guido da Montefeltro Generale del „ Popolo di Forlì, ebbe a patti la Città, „ che se gli arrese senza saputa del detto „ Conte Guido, che poi li biasimò assai, e „ con ragione; ma per non esser quì loco, „ non pongo i patti, che furono sette, quali „ annoterò nel principio di questo Libro. Intanto Benigno Lettore il tutto prendi in „ buona parte, & ama la patria.

Item eodem anno præfatus Dominus Johan- A
nes de Appia Comes Romandiolæ pro Roma-
na Ecclesia, reassumsit vires, moram trahens
in Civitate Faventiæ. Et quamprimum lite-
ras, Nuntios, & Ambasciatores ad Summum
Pontificem, Regemque Franciæ, & ad Do-
minum Regem Carolum transmisit, eisdem
seriosè significando ea, quæ sibi acciderant.
Quibus significatis tota Curia fuit in maxima
anxietate & mœrore, audiendo stragem, &
cædem tam magni exercitus; & post multas
consultationes moti ipsi Domini ex furore &
ira decreverunt congregare maximum exerci-
tum proborum militum, & contra Forlivium
festinanter transmittere, in perniciem & rui-
nationem ac desolationem ejusdem Urbis, &
sui Comitatus. Et sic fecerunt. Quoniam de B
mense Augusti dicti anni ipse Dominus Co-
mes Capitaneus Ecclesiæ cum tota comitiva,
& exercitu suo sunt castramentati super quod-
dam Castrum Comitatus Forlivii nuncupatum
Meldula. In quo quidem exercitu moram as-
siduam per tres menses & ultra traxit cum
manganis, machinis, trabuchis, & aliis præ-
paramentis opportunis pro illius invasione.
Sed postquam vidit idem Capitaneus acerri-
mam defensionem factam à dictis Meldulensi-
bus, & subventiones in auxilium & favorem
illorum per Forlivienses, & eorum Capita-
neum, & quod provisiones & offensiones con-
tra dictum Castrum factæ ab ipso exercitu ni- C
nil proficiebant, sponte pro meliori discedere
ab ipsa oppugnatione decreverunt, redientes
ad Civitatem Faventiæ.

Item eodem anno. Comites de Castrocario,
recommendati, & submissi Communitati For-
livii, concordaverunt se cum dicto Domino
Comite Romandiolæ, & consignaverunt di-
ctum Castrum sibi. Et sic desierunt à fidelita-
te & obedientia Populi Foroliviensis. Et hoc
fuit, antequam dictus exercitus fieret supra
& contra Meldulam.

Item eodem anno. Illi de Sicilia fecerunt
magnam rebellionem contra Regem Carolum,
occidendo omnes Francigenas, qui erant in
Sicilia, & elegerunt in eorum Regem Domi- D
num Petrum Infantem Regem Aragonum,
qui cum gente maxima dictum Regnum Sici-
liæ intravit. Verum dictus Dominus Rex Ca-
rolus exercitum generalem contra & supra
Messinam, manganos, & alia ædificia ad oppu-
gnandum opportuna, ibidem construi fecit;
tamen nihil sibi profuit, cum levari exinde
oportuerit, & ad Calabriam redire, ubi per
totum hyemem illius anni moram fecit.

MCCLXXXIII. die quinto Maji. Dominus
Guido de Monteforti (*) venit ad mandata
Ecclesiæ, & similiter evenit de Civitatibus
Forlivii, & Cæsenæ, quæ, quia viderunt non
posse resistere potentiæ Ecclesiæ unà cum Do-
mino Guidone de Monte-Feltro Capitaneo di- E
cti Communis pro meliori in Summum Pon-
tificem se liberè compromiserunt. Eodem an-
no venerunt in Romandiola quidam Cardina-
les cum aliis deputatis à Papa præmisso, &
fecerunt æquare foveas Civitatum Forlivii, &
Cæsenæ, & muros ruere: & hoc propter cæ-
dem Francigenis factam, & in ipsorum vindi-
ctam. Eodem anno omnes Romandiolæ Ghi-
bellini iverunt ad confinia, & tunc Lamber-
tatii de Civitate Forlivii expulsi sunt.

MCCLXXXIV. facta fuit societas & compositio inter Commune Forlivii, & Commune Faventiæ; & tunc Dominus Malatesta venit Forlivium, ibique fecit pacem inter Arguglios, & Calbulenses de morte Aldrovandini de Arguglios. Et exinde se transtulit Faventiam, & pacem fecit inter Comites de Cunio, & Manfredos, occasione mortis Manfredi de Manfredis, & Albergitti ejus filii; eo quod filia dicti Manfredi erat uxor Alberici filii Comitis Bernardini de Cunio. Et istæ tales paces & concordiæ fuerunt factæ ad eorum defensionem faciendam contra dictum Dominum Comitem Romandiolæ. Et similiter facta fuit pax inter Comites de Castrocario, & Calbulenses de mense Junii dicti anni.

Eodem verò anno. Dum dictus Dominus Malatesta se de Forlivio separaret cum comitiva sua equitum, qui erant numero LXX. armati, & iret versùs Civitatem Arimini in quadam strata inter Cerviam, & Ariminum; ecce quod supervenerunt Milites Domini Comitis Romandiolæ cum filio ejusdem Comitis, insultantes prædictos, qui erant cum Domino Malatesta, & eos vertentes in fugam, & capientes Dominum Johannem Malatestam consanguineum Domini Malatestæ, & multos alios de illis, qui cum eo erant, quibus debellatis ad Civitatem Cæsenæ se reduxerunt; & multos equos perdiderunt in ipso conflictu. Et hæc fuerunt die XIV. mensis Junii anni MCCLXXXVII.

Heic nonnulla desiderantur.

Interim multi se interposuerunt pro pace fienda, & demum inter prædictos Comitem Romandiolæ, & Forlivienses, ac Faventinos, & Dominum Malatestam facta fuit concordia & compositio, quod Communitas Arimini solvat dicto Comiti IV. millia Librarum Ravennæ pro redemtione dicti Domini Johannis Malatestæ, & aliorum captorum. Et Commune Forlivii, ac Commune Faventiæ darent bonos fidejussores dicto Comiti de faciendo deposito de octo millibus florenis. Et quod idem Dominus Comes deberet facere suspendere omnes processus, & banna data & facta contra dictas Communitates Forlivii, & Faventiæ, & facere, ita quod Dominus Papa consentiret. Et sic adimpletum fuit, & factum depositum per Commune Forlivii de IV. millibus florenis auri apud Venetias, & per Commune Faventiæ apud Florentiam. Aretini superantur prœlio à Florentinis apud Bibienam, in quo Episcopus Aretinus armatus occiditur.

MCCLXXXVIII. Venit in Provincia Romandiolæ Dominus Armannus de Monaldeschis de Urbe-Veteri, Comes Romandiolæ pro Sancta Romana Ecclesia. Et die VII. Maji intravit Provinciam. Et die XIII. ivit Faventiam, & honorifice receptus. Item idem Dominus Comes fecit Parlamentum generale in Civitate Forlivii.

Item eodem anno & mense. Dominus Malatesta de Verucclo, qui fuerat Potestas Civitatis Arimini, fuit expulsus de ipsa Civitate, qui se reduxit ad Dominum Comitem Romandiolæ. Et tempore procedente Johannes Zottus ejusdem Domini Malatestæ filius occupavit Pozum Montis-Sancti Archangeli in Comitatu Arimini; & Dominus Comes prædictus fecit proclamari exercitum generalem per

totam

(*) *Fortasse* de Monte Feretro.

totam Provinciam Romandiolæ, qui exercitus venit usque ad Plebem Sanctæ Justinæ in Strata publica, & postea idem exercitus ivit ad Sanctum Archangelum, & ibidem stetit tribus diebus, & ex inde remearunt omnes ad Civitates suas.

Eodem anno de mense Octobris tunc sequenti. Accidit, quod Malatestinus filius dicti Domini Malatestæ, & Philippucius de Esio, & multi alii reduxerunt se in Castro Montis Scutoli in Comitatu Arimini. Unde confestim Commune Arimini misit exercitum ad dictum Castrum, & fecerunt exercitum ad dictum Castrum, & fecerunt exercitum generalem; ita quod illi, qui erant in dicto Castro non poterant se separare. Quare dictus Dominus Comes fecit proclamari exercitum generalem in auxilium prædictorum, qui erant in dicto Castro Montis Scutoli. Et finaliter illi de Arimino ceperunt dictum Castrum, & omnes quotquot erant in eo, quos in Civitatem Arimini captos duxerunt.

Postea supervenit Dominus Johannes de Columna Marchio Anconitanus, & se contulit Ariminum, causa componendi inter Commune Arimini, & Dominum Malatestam, & exiit de carceribus Dominus Philippucius de Esio, & omnes alii de Marchia, qui tunc temporis capti fuerant. Et tractavit pluribus diebus cum Comite Romandiolæ, & cum illis de Arimino de concordia facienda, quam tamen cum effectu producere non valuit.

Papa Nicolaus coronavit Dominum Carolum filium Regis Caroli in Regem Ciciliæ. Eodem anno Dominus Oppizus Marchio de Ferraria factus fuit Dominus in perpetuum Civitatis Mutinæ, & ad ipsam Civitatem ivit, ac eam tenuit in bono statu, & accepit uxorem filiam Domini Alberti de la Scala de Verona, & eam duxit Mutinam cum maximo gaudio & triumpho. Eodem anno de mense Augusti, venit in Provincia Romandiolæ Dominus Rizardus de Alatigo Vicarius Domini Stephani de Columna electi in Comitem Romandiolæ, & Dominus Hermannus de Monaldeschis recessit. Item eodem mense, venit in ipsam Provinciam Dominus Petrus Saracinus Episcopus Vicentinus Legatus Apostolicæ Sedis, & Dominus Frater Bartholomæus Episcopus Grossetanus, qui fuerat similiter Legatus, & recessit. Item omnia Castra, quæ à Communi Arimini tenebantur, data sunt in custodia dicti Legati pro Ecclesia Romana. Eodem anno de mense Septembris. Comes Conradus olim filius Comitis Dadei de Monte-Feltro accepit Civitatem Urbini, & omnes amicos Domini Malatestæ de ipsa Civitate ejecit, & illos qui erant de parte Ghibellinorum, in ipsam reduxit. Qua de re dictus Dominus Comes fecit eum requiri, ut illam sibi redderet: quod minime facere voluit, quin immo illam magis fortificare fecit. Quamobrem dictus Marchio cepit Dominum Dadeum fratrem dicti Conradi, & exinde congregari exercitum fecit super Urbinum; & die Veneris XXIII. dicti mensis Septembris dedit prœlium maximum à tribus vel quatuor locis circum circa ipsam Terram, & multi de illa, qui erant intus, insignia erigerunt, ita quod per vim Civitatem ipsam recuperarunt.

Supradictus Dominus Stephanus Comes Romandiolæ, venit ad dictam ejus Provinciam, & primitus intravit Civitatem Arimini, ubi honorificæ receptus fuit. Exinde ad Civita-

A tem Cæsenæ se transtulit; ubi militem fecit Dominum Raulem de Mazolinis de ipsa Civitate, cum magno honore in Ecclesia Cathedrali; & ibi interfuit Dominus Bonifatius Archiepiscopus Ravennæ, Dominus Petrus Episcopus Vicentinus Apostolicæ Sedis Legatus, & Dominus Episcopus Ariminensis, & multitudo gentium infinita. Qui quidem Dominus Legatus ibidem Missam suam solemniter celebravit, ad honorem gloriosissimæ Virginis Mariæ. Et demum sumto prandio præfatus Dominus Raulus equitavit ad Officium suum Potestariæ Mantuæ, & prædicti Domini eum associaverunt, cum omni militia stipendiariorum usque extra Civitatem Cæsenæ.

B Eodem Millesimo 1291. die Martis XXVII. Septembris. Prælibatus Dominus Comes ad Civitatem Forlivii se transtulit, ubi honorifice receptus fuit.

Et die XXIX. dicti mensis. Ibidem Forlivii suum fecit Parlamentum, ubi fuerunt Ambasciatores de Bononia, & de qualibet alia Civitate Provinciæ commemoratæ, & ibidem firmatum exstitit, quod idem Comes liberum, & latum arbitrium haberet in omnibus, & per omnia, & taleas, & alia pro militibus ad libitum suum exigeret. Die verò Jovis V. Januarii. Idem Dominus Comes ad Civitatem Faventiæ se contulit, ubi similem honorem suscepit. Die verò Lunæ, idem Dominus Co-
C mes ad Civitatem Imolæ ivit, ubi similiter honoratus fuit ab omnibus. Postea verò Ravennam profectus est, & exinde reversus Ariminum, ubi multis diebus moram traxit, tractando pacem, & concordiam inter Dominum Malatestam, & suos sequaces ex parte una, & Commune Arimini ex altera. Et eodem tempore. Idem Dominus Stephanus fecit fieri pacem & concordiam inter Dominum Malatestam, & suos sequaces & Commune Arimini, & in ipsa Civitate. Et exinde idem Dominus Comes misit dictum Dominum Malatestam, & filios suos ad confinia apud oppidum Ronchofreddi, quod erat dicti Domini Malatestæ.

D Eodem anno. Dum familia Marischalchi supradicti Domini Comitis iret per Civitatem Arimini, quodam sero de mense Aprilis, incœpta fuit quædam rixa inter illos de Familia dicti Mariscalchi, & familiares Domini Ursi Potestatis Arimini. Ob quam dictus Potestas fecit pulsare campanam Populi, quæ erat super Turri Palatii, in quo idem Potestas habitabat. Ad cujus sonitum traxit Populus, & Dominus Martinus Cataldus, qui erat Conductor, & quasi Dominus Populi Arimini, & incœptum fuit atrox prœlium, ita quod ex dictis Popularibus balistis, armis & vexillis eques & pedes venerunt versùs Palatium Communis, ubi dictus Comes habitabat, prœliando & projiciendo lapides; & Amici Do-
E mini Malatestæ reduxerunt se in trivio illorum de Seclano, & ibidem se defensarunt à popularibus; & etiam in Platea, & aliis locis, in quibus Turres & domus erant, jactabant lapides; & prœlium magnum fuit cum Militibus, & comitiva dicti Comitis. In quo prœlio multi eques fuerunt vulnerati & mortui, & etiam homines de dicta comitiva. Et nisi Montagna de Parcitatibus fecisset retrocedere Populares, indubie Palatium accepissent dicto Domino Comiti. Sed ad ipsius instantiam ea nocte recesserunt, prœlium relaxando. Interim facta fuit Posterla, quæ erat juxta

Juxta domum, quæ fuit Domini Atti Ravignani, per quam intravit Dominus Malatesta cum comitiva sua, & dicta de causa dicti Populares debellati sunt, & multi propter timorem à Civitate Arimini se absentarunt; & multi similiter capti fuerunt, & ducti sub fortia & potestate Domini Comitis. Et tunc captus fuit Dominus Martinus Cataldus, & positus in tormentis, qui confessus fuit, quod ipse cum dicto Urso Potestate, & aliis multis ordinaverant proditionem contra Dominum Comitem, & accipere sibi Civitatem, & expellere, vel occidere eum, & omnes ejus familiares, & stipendiarios: propter quod fuit condemnatus ipse Dominus Martinus, & suspensus per gulam. Et quamplurimi reperti culpabiles, & sectatores malorum operum ad confinia transmissi sunt. Aliqui videlicet ad Civitatem Cremonæ aliqui ad Ananiam in Campania, & aliqui ad Aquilam in Aprutio.

His itaque gestis præfatus Dominus Comes suam tulit sententiam in Palatio Communis Arimini die XXIV. Januarii, in qua condemnavit, & privavit Civitatem Arimini omni honore, & dignitate, ac Privilegiis, Comitatu, Potestaria, & omnibus aliis jurisdictionibus, secundùm formam Constitutionis olim factæ per Dominum Bernardum Portuensem Episcopum tunc temporis Cardinalem, & Legatum Apostolicum. Et posuit Rectorem & Potestatem in ipsa Civitate Dominum Andream de la Montagna virum nobilem & prudentem.

Eodem millesimo de mense Novembris Dominus Stephanus de Columna præfatus equitavit cum sua comitiva ad Civitatem Ravennæ; ibique stetit aliquibus diebus. Petebat idem, & volebat fortilitias & dominium ipsius Civitatis. Et erat tunc Potestas Ravennæ Hostasius filius Domini Guidonis de Polenta. Dum verò idem Hostasius, & Rambertus ejus frater nollent tradere dicto Comiti fortilitias Terræ, & timerent, ne ipse Comes eis inferret injuriam; dicta de causa fecerunt exercitum suum gentium equitum & peditum amicorum suorum venire Ravennæ. Et accidit, quod quadam nocte prædictus Hostasius, & Rambertus incœperunt rumorem in ipsa Civitate, & ceperunt dictum Dominum Stephanum Comitem Romandiolæ, & ejus filium, & generum, qui erat Mariscalchus, & omnes suos familiares, militesque, & stipendiarios ejus, derobando, ac diripiendo ipsis omnes equos, arma, & omnes alias eorum res, ponendo ipsos in carceribus & compedibus sub fidis custodiis.

Eodem die & mense incœptum fuit prœlium in Civitate Imolæ inter Alidosium, amicos, & sequaces suos ex una parte, & amicos Nordiliorum ex alia; & supervenerunt illi de Medicina, & magnum prœlium invicem commiserunt, ita quod plures ex utraque parte mortui sunt. Tamdem de Bononia milites advenerunt, qui dederunt auxilium Nordiliis, & eorum amicis, ita quòd Alidoxius cum suis sequacibus de ipsa Civitate expulsus fuit. Et confestim Commune Bononiæ misit laboratores suos, & fecit destrui Steccatum, & omnes fortilitias ipsius, æquando foveas.

Dicto verò die fama intonuit in Civitate Faventiæ, quod Dominus Comes erat captus in Civitate Ravennæ, & ipso sero Manfredi cum pluribus eorum amicis exiverunt de Civitate Faventiæ, & die sequenti cum eorum potentia redierunt Faventiam. Et Acharisii, & filii Domini Bernardini Comitis de Cunio, Zambrasii, & Rogati aufugerunt de ipsa Civitate; & Manfredi remanserunt in dominio ipsius Civitatis, damnando, retinendo, & expellendo de ea quoscumque voluerunt; feceruntque fieri foveas, & Steccatum ad Burgum Portæ Pontis, & ipsum optimè refortiari.

Demum tempore procedente omnes prædicti Extrinseci de Civitate Faventiæ, & Maghinardus de Sosenana cum eis fecerunt congregari maximam comitivam, & quodam die cum omni potentia sua venerunt ad Civitatem Faventiæ quasi in hora Tertiarum ejusdem diei. Et eâdem die jam dicti Manfredi decesserant cum eorum amicis de Faventia, & facti sunt Rectores dictæ Civitatis Faventiæ dictus Maghinardus de Soxenana, & Rambertus Domini Guidonis de Polenta. Dicto tempore similiter de Civitate Arimini separavit se ille, qui erat ibi Potestas pro Domino Comite. Et Dominus Malatesta accepit & habuit dominium ipsius Civitatis. Et factus est Potestas Arimini pro sex mensibus Dominus Rodolfinus de Galafidio de Cæsena.

Item in Civitate erant Judices Generales totius Provinciæ Romandiolæ, videlicet Dominus Gentilis de Sancto Elpidio, Dominus Ferrapecora de Parma, & Dominus Andreas de Segia. Qui Judices videntes, quod Civitas Cæsenæ erat in ea voluntate, qua erant illi, qui ceperant dictum Comitem, & quod non videbatur, se ibi posse morari securos propter multa mala opera ibi facta, discedendo iverunt Roversanum Castrum Archiepiscopi Ravennatis, ubi steterunt aliquibus diebus, & postea accesserunt ad Civitatem Forlivii, quæ Civitas tunc regebatur in libertate populari, & fuerunt defensati à populo Forlivii, qui asserebant, se semper stare velle ad mandata Romanæ Ecclesiæ, & sic dicebant omnes de aliis Civitatibus Provinciæ ejus. Dicto tempore Dominus Petrus Saracenus Episcopus Vicentinus, qui erat Legatus Generalis Apostolicæ Sedis in dicta Provincia, similiter recessit eundo Cæsenam, & deinde Forlivium, ubi omnes steterunt per plures dies. Dictus verò Legatus volens Civitatem Forlivii ad mandata Ecclesiæ retinere, in suis Parlamentis dabat Crucem omnibus volentibus ibi stare, & remissionem magnam omnibus faciebat, qui stare volebant ad ejus defensam.

Dicto tempore die XX. mensis Decembris noctis tempore præfati Dominus Maghinardus, & Lambertus Rectores Civitatis Faventiæ, Dominus Guido de Polenta cum illis de Ravenna, Dominus Malatesta cum illis de Arimino, & illis de Cervia, Foropompilio, Bertinorio, Tosolino de Abete, cum omni eorum potentia peditum & equitum iverunt versùs Civitatem Forlivii à parte inferiori, & intraverunt ipsam Civitatem per Portas Sancti Blaxii, & Sancti Petri, nullam violentiam, damnum, vel offensam alicui inferendo; assumentes dominium ipsius Civitatis, faciendo eligi in Potestatem Ugulinum, alias Cignatu, & Dominum Guidonem de Polenta. Et eo die separaverunt se ab ea.

Die verò sequenti prædictus Dominus Maghinardus cum omni comitiva sua, & exercitu peditum & equitum, equitavit supra quoddam Castrum Francisci de Manfredis vocatum Bachagnanum, ubi pro expugnatione illius fecit construi aliud Castrum, ponendo

custodias, ut illi de Bachagnano egredi non possent. Et posuit ibi unum Manganum assiduè projicientem in eo lapides, & fecit ædificare unum aliud Castrum in alia parte fluminis Alamonis, & habito dicto Castro, datum fuit in custodiam Comitis Romandiolæ.

MCCLXXXXI. Dominus Aldrovandinus de Romena Episcopus Aretinus, in Provincia Romandiolæ electus Comes Generalis, pro Romana Ecclesia Rector, accessit Castrum Carium die Dominico ejusdem mensis Augusti. Item die Lunæ idem Dominus Comes se transtulit ad Civitatem Forlivii, ubi grate receptus fuit cum maximo honore. Item die Martis accessit ad Civitatem Faventiæ, ubi receptus fuit lætanter & cum honore. Dictis verò diebus omnibus præteritis, præfatus Dominus Comes unà cum Ambasciatoribus, & sapientibus viris de Arimino, Cæsena, Forlivio, & Faventia, & cum Ambasciatoribus de Bononia, & de Florentia, in maximo tractatu concordiæ persistentes, decreverunt, quod Dominus Stephanus de Columna, qui quondam fuerat Comes Romandiolæ, & captus in Civitate Ravennæ, duceretur unà cum filio ad Civitatem Faventiæ. Et quod Dominus Hostasius de Polenta, qui eos ceperat, consignaret in manibus Domini Comitis Aldrovandini de Romena Comitis Provinciæ Romandiolæ: & sic executum fuit. Et demum sic lata fuit sententia liberationis & relaxationis eorum. Et facta fuerunt Instrumenta finis remissionis omnium injuriarum & damnorum, sicut de jure meliùs fieri potuit. Et eâdem die dictus Dominus Stephanus cum suis exivit Faventia, & ivit ad Castrum Aurioli, quod erat Archiepiscopi Ravennatis, & statim in sequenti die se transtulit ad Castrum Carium, ubi stetit pluribus diebus, & deinde à Provincia se disjunxit.

Et tunc prædicti Dominus Aldrobandinus Comes & Legatus steterunt in dicta Civitate Forlivii per multos dies. Item fecit dictus Dominus Comes Parlamentum Generale in Civitate Forlivii, in quo fecit legi Literas Papales ejus Jurisdictionis, & sua ordinamenta; & fuerunt in ipsa Rectores, & Ambasciatores, ac Syndici cujuslibet Communitatis dictæ Provinciæ, & firmatum fuit in ipso Parlamento, quòd dictus Dominus haberet in anno ab ipsis Communitatibus viginti millia Florenorum auri pro solvendis stipendiariis suis: & hæc facta fuere die Jovis prima Martii. Et eâdem die separavit se de Civitate Forlivii, & ivit Cæsenam.

Eodem anno, & V. mensis Aprilis intravit Provinciam Romandiolæ Dominus Gerardus de Parma Cardinalis Romanus, qui veniebat de Legatione Franciæ. Item eodem anno de mense Junii venerunt Literæ Domini Papæ bullatæ ad Dominum Comitem, qualiter dictus Papa faciebat eum Vicarium in Spiritualibus in Provincia prædicta, & sic utrumque gladium habuit Spiritualem & Temporalem. Anno prædicto cum præfatus Dominus Comes vellet eligere, & dare Potestatem, & Rectorem Communi Civitatis Cæsenæ pro arbitrio suo, & ipsum Commune nollet: idem Dominus Comes separavit se cum tota Curia sua de ipsa Civitate, & accessit Forlivium, & dictam Civitatem Cæsenæ suppofuit Interdicto. Prædictum verò Commune Cæsenæ tam à mandato sibi facto sub poena X. millium Marcharum argenti, quàm etiam ab Interdicto per

A suum Syndicum ad Sedem Apostolicam appellavit. Demum venerunt Ambasciatores cum Syndico ad mandata dicti Domini Comitis, & misit Rectorem, & Potestatem ad Civitatem Cæsenæ. Et exinde discedendo ivit ad Imolam pro contrahendo concordiam cum Alidoxio, qui erat extra Imolam, & Nordilios, qui erant in ipsa Civitate: quod facere non potuit, super quibus receperat literas & mandata à Domino Papa.

Eodem anno Civitas Acri debellata fuit à Soldano Babiloniæ, & per vim occupata. Eodem anno in Civitate Forlivii in Palatio populi facta fuit concordia & pax inter Alidoxium, & Litum ejus fratrem ex una parte,
B & Syndicum Communis, & hominum intrinsecorum Civitatis Imolæ ex alia; & Dominus Aldrobandinus remisit Alidoxium in Civitate Imolæ: de quo populus in maximo gaudio exultavit. Item die X. mensis Octobris, Dominus Comes Romandiolæ præfatus misit ad confinia in Civitate Forlivii de illis de Imola de utraque parte octo, qui eo die accesserunt Forlivium. Scilicet Dominus Litus de Alidosiis, Dominus Jacobinus Guardoli, Dominus Guido de Tarvignano, Dominus Bonaventura de Orabonis, Dominus Petrus de Patarinis, & Dominus Imolensis Scogliatini. Et ad Castrum Sancti Petri venerunt ad confinia Dominus Bartholinus de Undesantis, Donolus de
C Mauris. Item eo die iverunt Forlivium ex adverso Dominus Nicola de Castro Imolæ, Dominus Odericus de Nordulis, Ugolinus Domini Bonagiuntæ, Philippus de Bulgarellis, Petrus Erri, Andreas Dominæ Johannæ, Carpinellus Bonincati, & Jacobus Oraboni.

Item die XI. Octobris, dictus Dominus Comes discedendo de Civitate Imolæ, & veniendo versus Faventiam, illi, qui erant tunc in Civitate Faventiæ, timentes ne idem Comes reduceret secum Manfredos, omnes quotquot erant in ipsa Civitate traxerunt ad arma, ita quod quando dictus Dominus Comes fuit prope ipsam Civitatem, nolens ingredi ipsam, de foris perrexit subtus pontem arcus gradiens
D cum militia sua Forlivium, & secum duxit de illis de Imola infrascriptos: Dominum Alidoxium de Alidoxiis, Dominum Antonium de Patarinis, Antoniolum de Hilumeis, Petrum Johannis de Regno, Cecholum de Carvasallis, Ugarellum de Cancelleriis, Dominum Jacopinum Ubertelli, Ugolinum de Cancelleriis, & Thomaxinum Petri de Arghinulfis.

Item eadem die ex adverso duxit infrascriptos:
Nordilium filium Ardigetti de Nordiliis, Bonamventuram Rubantis, Pantinellum de Retrucis, Thomaxinm de Retrucis, Thomaxium Oraboni Philippi, Santolinum Zaffoli, Pelegrinum de Carvassalis, Franciscum de Zacha-
E riis, Jacobum de Licatis, Guidonem de Poriciis, & Pirendum de Undesantis. Quos omnes detinuit idem Dominus Comes personaliter in Palatio Potestatis, & Communis Forlivii multis piebus. Eodem anno Dominus Maghinardus Capitaneus Faventiæ accessit Castrum Peligrini in Valle Amonis, & tenuit pro dicto Commune, & postea omnino destruxit. Item Alexander de Romena Comes ivit ad Rontanam, & illam fecit fortificare.

Eodem anno die IV. mensis Julii Ambasciatores Communis Bononiæ venerunt Forlivium, & iverunt in Consilio Generali dicti Communis, rogando enixè Communitatem Forlivii, ut

ut non convocarent exercitum, neque aliquam violentiam innovarent contra Dominum Comitem Ildrobandinum Comitem Romandiolæ, specialiter in Castro Cario, nec in Terris, quas idem tenebat.

Item miserunt literas ad Commune Forlivii, & ad Calbulenses, etiam rogantes eos, quod non facerent aliquam novitatem, nec injuriam illis de Valbona, specialiter in Terra Orsarolæ, quæ est de proprio Patrimonio Communitatis Forlivii.

Eodem anno venerunt ad Civitatem Faventiæ solemnes Ambasciatores de Civitate Bononiæ ex parte sui Communis, petentes, quod Communitas Faventiæ, & aliarum Civitatum prædictæ Societatis se deberent compromittere in Commune Bononiæ super discordia, quæ erat inter eos, & Dominum Ildrobandinum Comitem Provinciæ Romandiolæ. Et fuerunt tunc in Civitate Faventiæ, Dominus Malatesta de Arimino, cum Ambasciatoribus ipsius Terræ, Dominus Guido de Polenta Potestas Cerviæ, cum Ambasciatoribus Cerviæ, Ambasciatores de Forlivio; & in Parlamento ipsorum petierunt dicti Ambasciatores Bononienses, quod dicta Communia deberent compromittere, ut supra dictum est. Postquam firmaverunt, quod quilibet Dominus, & Ambasciatores cujuscumque Communitatum ire deberent ad investigandum voluntatem Communium suorum: tamdem pro qualibet responsum fuit ipsis Ambasciatoribus de Bononia, quod neutrum dictorum Communium volebant facere ea, quæ per ipsum Commune petebantur.

Demum paucis diebus elapsis iterum alii Ambasciatores se transtulerunt ibi, qui similem Ambasciatam portaverunt, & ultra mandaverunt Domino Baxacomatri Potestati Faventiæ, & Dominis Comitibus de Cunio, & Domino Guidoni Raulis de Cæsena, & Domino Maghinardo de Suxenana, qui dicebant se esse Cives Civitatis Bononiæ, quod ipsi taliter facerent, & curarent, quod Commune Faventiæ deberet compromittere in Commune Bononiæ de dicto negotio; & prædicta Communia nihil omnino se facturos responderunt.

Qua de re Commune Faventiæ timens, ne Commune Bononiæ veniret ad invadendum Civitatem suam, & eam tradendam in manibus dicti Domini Comitis Romandiolæ: die Dominico ultimo Augusti Dominus Maghinardus Capitaneus, incœpto rumore fecit pulsare Campanam Populi ad laborerium faciendum, & omnes tam Cives, quam forenses oportuit ire ad muniendam ipsam Civitatem, & excavandum foveas ipsius die noctuque, donec fuit fortificata; & eo die idem Potestas se absentavit à dicto Officio.

Et eodem die venerunt ad Civitatem Faventiæ tota militia, & populus Forlivii, cum omnibus de ejus Districtu, causa laborandi ad dictas foveas, & affuit Dominus Malatestinus Potestas Cæsenæ, & militia, & populus dictæ Civitatis.

Venerunt etiam Dominus Hostaxius de Polenta Potestas Ravennæ, cum militia, & populo de Ravenna; similiter & Dominus Bernardinus de Polenta Potestas Cerviæ, cum militia, & populo Cerviæ. Item & Johannes Sanchatus de Malatestis, cum militibus de Arimino. Similiter & de Bertinorio, de Castro Cario, & de Bagnacavallo; & Illustris vir Dominus Comes Bandinus de Mutiliana Capitaneus Generalis Societatis Provinciæ Romandiolæ, cum fidelibus suis de Mutiliana, & aliunde. Et factæ fuerunt foveæ, & steccatum ipsius Civitatis: quod exercitum fuit maximum ultra memoriam degentium. Fuerunt ibi milites ultra mille, & triginta millia pedites; & propter separationem Domini Baxacomatri, Antiani Faventiæ distulerunt Regimen usque ad adventum novi Potestatis.

Eodem anno MCCLXXXXII. Commune Florentiæ misit ad Civitatem Bononiæ, Dominum Gentilem, filium Domini Bertoldi de Ursinis de Roma Potestatem Florentiæ, cum solemnibus Ambaxiatoribus ad tractandam concordiam, inter Commune Bononiæ, & illos de Romandiola, occasione relevationis fovearum Civitatis Faventiæ, & fortilitiarum in ea factarum, quod Commune Bononiæ tenebat, & reputabat sibi ad injuriam. Verum aliqui de Bononia dicebant, quod nolebant de gestis Romandiolæ se intromittere, & melius dicebant. Et die Sabbati XIII. Septembris venerunt dicti Potestas, & Ambasciatores de Florentia ad Civitatem Faventiæ, & transmissum fuit pro Domino Malatesta de Arimino, Domino Guidone de Polenta, Domino Rodulphino de Calisidio de Cæsena, & Domino Ramberto de Polenta Potestate Forlivii, & pro Sapientibus ipsius Terræ Forlivii, ut Faventiam venirent dicta occasione. Quibus Potestati & Ambasciatoribus responsum fuit per præfatos de Romandiola, quod nullatenus volebant splanare foveas, steccatum, & fortilitias factas in Civitate Faventiæ; & sic recesserunt.

Item eodem mense, Dominus Maghinardus Capitaneus, cum comitiva, & aliquibus de Faventia ivit ad Castrum Rontanum, & munivit ipsum Podium bonis custodibus, & incœpit ipsum infortiare, faciendo in eo unum Gironem admodum fortem, cum una Turri.

Item eodem anno prima Novembris Illustris Dominus Guido Comes de Montefeltro, cum trecentis militibus, & duobus millibus peditibus introivit in Civitatem Urbini, ipsam Terram muniri fecit, & fortificari bonis foveis, & steccatis, quæ prius fuerant explanata, & muri diruti per Dominum Gulielmum Durantem Comitem Romandiolæ.

Anno Domini MCCLXXXXIII. die prima Januarii Dominus Maghinardus de Sosenana, & Bernardinus Comes de Cunio, cum aliquibus ex militibus & popularibus de Faventia equitaverunt ad Castrum Montis-majoris Comitatus Imolæ, in quo erant custodes pro Comite Alexandro de Romena, ipsumque Castrum, Turrim, & Fortilitiam in eorum dominio habuerunt, rejectis custodibus custodientibus. Eodem anno obiit Dominus Comes Guido Novellus. Item obiit Dominus Ugolinus de Sino de Ubaldinis. Item obiit Dominus Guido Ricius de Polenta. Item obiit Dominus Obizus Marchio de Ferraria, relictis tribus Filiis ex eo, videlicet Azone, Ildrobandino, & Francisco: Qui Azzo fuit Marchio Mutinæ. Item obiit Dominus Comes Guido de Mutiliana. Eodem millesimo die XXVI. Aprilis Comes Bandinus de Mutiliana venit Faventiam, & die sequenti venit Forlivium, moraturus ibidem pro Capitaneo Generali totius Societatis Terrarum Provinciæ Romandiolæ.

Anno Domini MCCLXXXXIV. die XXVI. Maji, in Civitate Forlivii facta fuerunt Instru-

strumenta Pacis inter Dominum Ildrobandinum Comitem Romandiolæ ex una parte, & Forlivienses, Faventinos, & alios Dominos de Societate dictæ Provinciæ. Item eodem anno XXIX. Madii, ad requisitionem, & mandatum Domini Comitis equitavit Dominus Maghinardus Capitaneus Civitatis Faventiæ, cum militibus dictæ Civitatis, & militibus de Forlivio, & cum nonnulla quantitate peditum proborum virorum ad Terram Tauxignani, ubi maxima discordia erat inter ipsum Dominum Comitem, & suos sequaces de dicto Castro ex una parte, & ejus æmulos ex altera, & etiam prœlium inter eos fuerat. Qui audientes, subsidium advenisse, ipsi Domino Comiti statim cesserunt, & aliqui ex eis capti fuere, & aliqui terga dedere. Demum totum dictum Castrum sub dominio dicti Comitis libere remansit, & à Domino Maghinardo positi fuerunt custodes opportuni & fidi: quo facto rediit Faventiam. Et dictus Comes quamplurimos de dicto Castro ad confinia transmisit. Item die IX. mensis Junii Dominus Maghinardus cum militia sua equitavit ad Tauxignanum, & Dominum Comitem Romandiolæ associavit, & deinde Mutilianam ivit.

Eodem mense juxta formam literarum transmissarum per dictum Comitem ad Dominum Episcopum, & Dominum Præpositum Faventiæ, idem Dominus Præpositus ex commissione, & concessione præmissa, & etiam ex commissione sibi facta per dictum Dominum Episcopum Faventiæ, & Dominus Maghinardus, & Præpositus Ariminensis, qui est Judex subdelegatus ejusdem Comitis, fuerunt in Palatio Communis Faventiæ, in quo congregati erant Consilium Populi, & Consilium Generale, ac Antianorum credentiæ, & XX. Sapientum, & ibidem facti sunt Syndici Generales totius Communitatis, & districtus Faventiæ Nicolaus de Saxornoli, & Petrus Cantinelli, & ibidem flexis genibus ad pedes Dominorum prædictorum facta fuit per eos generalis absolutio omnium & singulorum interdictorum, & Excommunicationum hactenus factorum, per dictum Dominum Comitem, vel per ipsius Prædecessores, vel aliquem eorum in Provincia Romandiolæ quacumque ex causa. Item Argugliosi de Forlivio, cum eorum amicis, qui magno tempore steterant ad confinia pro Communi Forlivii, Forlivium redierunt cum magno gaudio, & honore.

Eo anno Dominus Frater Petrus de Morono de Aquila sub nomine Papæ Cœlestini V. creatus est Papa à Cardinalibus die XXVIII. Augusti. Eodem anno magni rumores in Civitate Forlivii fuerunt, & in Civitate Faventiæ, & maximæ congregationes hominum armatorum, ita quod ad Forlivium transmissi sunt ex popularibus, & militibus Faventiæ. Accidit tantum, quod incœpto rumore in Civitate Forlivii expulsi fuerunt de ipsa Civitate Calbulenses, & ex eis plurimi vulnerati: & hoc fuit die Martis XXIII. Augusti. Et captus fuit Dominus Guido de Polenta, qui venerat Forlivium ad faciendum Officium Capitaniariæ dictæ Civitatis, & Rambertus ejus filius cum eo, & populares alii de Ravenna, & Fulcherius de Calbulo, & Johannes ejus frater, & Nicolutius filius Raynerii de Calbulo. Demum die Mercurii proximè sequenti, Dominus Maghinardus Paganus de Soxenana equitavit ad Civitatem Forlivii, & taliter operatus est ibi, quod prædicti omnes capti relaxati fuerunt, & sibi donati. Et ipse tunc electus fuit Capitaneus Forlivii aliquot diebus, donec provideretur de alio Capitaneo. Et idem exinde intravit pro Potestate dictæ Civitatis per sex menses die prima Septembris.

Eodem anno MCCLXXXXIV. Dominus Papa Cœlestinus Quintus elegit, & fecit Comitem Provinciæ Romandiolæ Dominum Robertum de Cornay. Qui Comes ingressus fuit ipsam Provinciam die Martis hora Tertiarum XII. Octubris, & hospitatus fuit apud Mundainum in Comitatu Arimini; & die sequenti appulit ad Civitatem Arimini; & ibidem stetit usque ad diem Martis XIX. dicti mensis. Item die Martis accessit Cæsenam, & ibidem moratus usque ad diem Dominicæ, & exinde dicta die se transtulit ad Civitatem Forlivii, & ibi stetit usque ad diem Martis secundo Novembris dicti anni. Item dicta die Martis equitavit ad Civitatem Faventiæ, ubi honorabiliter receptus fuit cum hastiludio, & pompa magna, ibidem moram trahendo usque ad diem Lunæ octavam Novembris. Item die Lunæ ivit Imolam, & die VII. Octubris recepit à Faventinis duo millia Florenorum, & absolvit eos ab excommunicationibus, & privationibus, ac pœnis incursis in elapsis temporibus. Item dicto anno factum fuit in Civitate Imolæ maximum Parlamentum per præfatum Dominum Comitem, qui fecit inter cetera legere Bullam suæ commissionis, & multæ Ordinationes firmatæ fuerunt cum voluntatibus Syndicorum & Ambasciatorum.

Eodem anno in Festo Omnium Sanctorum Magnificus Dominus Azzo Marchio de Ferraria fecit Curiam Generalem, in qua suum fratrem Franciscum, & multos alios milites fecit, eos cingulo aureo decorando. Et iis diebus aquæ de Alpibus in tantum creverunt in flumine Padi, & aliorum à Cremona inferius per Comitatum Cremonæ, Brixiæ, Placentiæ, Parmæ, Regii, Mutinæ, Paduæ, & per contratas circa Padum, quod à gentibus dicebatur fore Diluvium particulare, ita quod domus, & villæ submersæ sunt undique.

Anno supradicto die X. mensis Aprilis intravit Provinciam Romandiolæ Dominus Petrus Archiepiscopus Montis Regalis, Comes Generalis Provinciæ Romandiolæ, & venit Tauxignanum Comitatus Imolæ. Item die XIV. Aprilis se transtulit Imolam. Item die XVIII. Aprilis Dominus Maghinardus Capitaneus Faventiæ equitavit Imolam ad mandata dicti Comitis; & cum se coram eo præsentavit, idem Dominus Comes præcepit, quod renuntiare deberet Officium dictæ Capitanariæ: quod illico deposuit, & in reditu ejus ivit ad Canonicam Sancti Petri, ubi pluribus diebus stetit.

Eodem anno, & die Dominico XXIV. mensis Aprilis præfatus Dominus Comes fecit Generale Parlamentum Imolam, in quo interfuerunt omnes Episcopi Provinciæ, Ambasciatores, & Syndici Communitatum, & Nobilium Provinciæ Romandiolæ. Et in ipso Parlamento concessum fuit liberum arbitrium dicto Domino Comiti accipiendi & tenendi stipendiarios eques & pedes ad ipsius libitum, tam in quantitate & numero ipsorum, quàm circa salarium eorum, & distributionem faciendam inter Provinciales. Qui Dominus Comes accepit trecentos equites, & centum pedites, & imposuit Communi Faventiæ taleam ipso-

A ipsorum, videlicet quolibet quarto mense mille quatercentas libras Ravennæ, & pro Fidelibus fantulorum CCC. libras Ravennæ.

Item idem Dominus Comes VIII. Julii exivit Imolam, & accessit Faventiam, ubi honorifice receptus fuit. Et occasione adventus ipsius Domini Comitis multi Comites, magnifici viri, & Nobiles accessere ad ipsam Civitatem Faventiæ, videlicet Dominus Comes Bandinus de Mutiliana, Dominus Comes Manfredus, Dominus . . . . . olim filius Guidonis Novelli, Fulcerius, & Franciscus de Calbulo, & alii.

Interim inimico humani generis insuflante zizaniam inter Dominum Maghinardum de Sosenana, & complices suos, & amicos de
B Faventia ex una parte, & Dominos Comites de Cunio ex altera cum eorum amicis, & cum eis tenebat præfatus Comes Manfredus, contigit, quod dicti Comites de Cunio, videlicet Raynerius, Bandezatus, & Bernardinus cum eorum subditis, & amicis die XI. mensis Maji, coram supradicto Comite Romandiolæ palam petierunt, quod foveæ Civitatis Faventiæ æquarentur, & steccata, & fortilitia vastarentur: propter quod orta fuit maxima turbatio inter eos, & Dominum Maghinardum, & amicos suos; & ideo Dominus Comes Romandiolæ mandavit, & prefixit confinia utrique parti, ut die XIII. Madii prædicti
C quilibet iret ad confinia, ubi vellet, longe à Civitate Faventiæ per X. milliaria, donec placeret Domino Comiti illos revocare; & sic ambo paruerunt, & iverunt. Maghinardus autem ivit ad Castrum suum Benclarum, quod habet in Valle Amonis, & Comes Bandinus ivit Mutilianam, & Comites de Cunio iverunt Lugum, & Fuxignanum, & Comes Manfredus Mutilianam.

Anno Domini MCCLXXXXV. de mense Maji factum fuit Consilium Generale Populi in Palatio Populi Civitatis Faventiæ. In quo quidem Consilio electus fuit Capitaneus ejusdem Civitatis Dominus Petrus Archiepiscopus Montis Regalis, Comes Provinciæ Romandiolæ, per unum annum cum salario li-
D brarum centum Bononinorum in mense singulo; & fecit suum Vicarium Dominum Neapolionem virum probum. Item dicto mense facti fuerunt in Consilio Generali Faventiæ duo Syndici Communis, videlicet Dominus Ugolinus de Medicis, & Dominus Thedericus de Salutaribus Judex, qui juraverunt fidelitatem pro Sancta Romana Ecclesia; & fuit concessum liberum arbitrium dicto Domino Comiti super pace, & pacifico regimine Civitatis Faventiæ. Item eodem anno die Mercurii XXV. mensis Maji Dominus Comes de Montefeltro venit ad Civitatem Forlivii cum uno Legato Domini Papæ, qui sibi restituit omnia
E bona, & jura sua, & ipsum reposuit in possessionem, & veram tenutam omnium bonorum, & jurium suorum. Cujus adventus occasione homines de parte Manfredorum de Faventia, & etiam aliunde, quamplurimum doluerunt, ægreque tulerunt, & non parum timuerunt, propter quod Dominus Comes fecerit ita.

Item anno prædicto die Veneris XXVII. Maji dictus Dominus Comes Romandiolæ accepit obsides, & fidejussores Nobilibus de Faventia, videlicet unum filium Domini Guidonis Raulis, & unum filium Comitis Alberici de Cunio, quos misit Cæsenam. Item unum filium Raynerii, & unum Bandezati, & unum Bernardini de Comitibus Cunii, & unum Francisci de Manfredis, & unum Ugulini Buzolæ: quos omnes ad Castrum Carium misit, ac unum filium fratris Alberici de Manfredis.

Item anno prædicto de mense Maji de mandato Domini Comitis Romandiolæ Dominus Frater Albericus, & Franciscus de Manfredis, Dominus Raynerius, & Bernardinus Comites de Cunio, Dominus Maghinardus de Sosenana venerunt prope Civitatem Faventiæ, videlicet prædictus Dominus Maghinardus apud Ecclesiam Sancti Apollinaris, & prædicti alii omnes in Burgo portæ pontis, scilicet Manfredi apud Hospitale Sancti Johannis, & Comites apud Ecclesiam Sancti Antonii. Et sequenti die prima Junii præfatus Dominus Comes Romandiolæ cum prædictis Dominis, & Domino Guidone Raulis de Zambraxiis, & Domino Dadeo de Acharisiis iverunt ad Castrum Aurioli, ubi visum fuit ipsos posse melius & securius stare ad pacem & concordiam tractandam inter eos.

Item dicta die dictus Dominus Comes Romandiolæ præcepit Dominis Federico & Dadeo de Acharisiis, & Raulo de Zambrasiis, ut irent ad confinia longe per quatuor milliaria à Civitate Faventiæ: quod quidem illico factum fuit.

Item die prædicta Præfati Domini Acharisii, Manfredi, Maghinardus, Comites de Cunio, Zambraxii, & Rogati fecerunt pacem ad invicem in Castro Aurioli, & postea in platea Communis Faventiæ post Nonam accessere super scalas, ipso Domino Comite præsente, stipendiariis, ipso populo, & Domino Loterio Episcopo Faventiæ.

Cremonæ altissima Turris struitur.

Item die Jovis sequenti coram prænominato Domino Comite contracta fuit pax inter Albericum de Cunio Comitem nomine proprio, & Dominæ Beatriciæ ejus uxoris, & filiæ quondam Manfredi de Manfredis, cum Dominis Fratre Alberico, Francisco, & Ugulino de morte dicti Manfredi, & Albergitti ejus filii, & redierunt prædicti omnes ad eorum confinia. Item die secunda Junii, omnes alii confinati de populo, qui steterant ad confinia multo tempore, Faventiam redierunt. Item V. Junii. Præfatus Dominus Comes discedendo de Forlivio, accessit Cæsenam. Item die XXVII. Junii. Idem Dominus Comes ivit Ravennam, & facta pace inter Intrinsecos & Extrinsecos de Ravenna, misit ad confinia de parte utraque, & fecit dirui domos Domini Guidonis de Polenta, & Lamberti sui filii, ac etiam Domum, quæ quondam fuit Domini Marci Michaëlis. Item die II. Julii. Equitavit idem Dominus Comes Cæsenam, & exinde Ariminum, & die sexta fecit fieri pacem inter Ariminenses Intrinsecos & Extrinsecos, & cum eis omnibus intravit Ariminum. Item de dicto mense, omnes illi de Civitate Faventiæ, qui transmissi ad confinia fuerant, redierunt Faventiam unanimiter & concorditer, ac cum voluntate ac licentia ejusdem Domini Comitis, & Capitanei, ac Potestatis.

Eodem anno una vox elevata fuit in Civitate Faventiæ hominum dicentium: *Ecce Forlivienses*, & *ecce Forlivienses*: quod non erat verum. Sed occasione dictæ vocis Domini Comites de Cunio, & Manfredi cum eorum amicis ad arma traxerunt eques & pedes, veniendo

do in Podio Sancti Petri, & etiam in platea Communis. Quibus auditis Dominus Maghinardus de Sosenana, & Dominus Guido Raulis, & Acharixii cum eorum Amicis, similiter etiam armati eques & pedes, fuerunt in ipsa platea juxta Sanctam Crucem, & iverunt usque ad Pedronem, qui est in medio plateæ prædictæ, ibique verba multa fecerunt ex utraque parte. Tamdem de mandato dicti Domini Capitanei utraque pars retrocessit, & cum serraliis sic se fortificaverunt, ita ut nulla partium posset irruere supra aliam de facili. Et sic demum die illucente, dum forent armati præfati Comites de Cunio, & Manfredi cum eorum amicis essent congregati ultra ponticellum portæ Ravignanæ de Sancto Clemente, & juxta Sanctum Hippolytum, steccata Civitatis destruxerunt quasi per partem dimidiam ab illo latere, ut eorum gentes, & acies gentium armigerarum liberius & citius possent intrare ipsam Civitatem, & specialiter illi de Bononia, qui pridie usque Imolam venerant in quantitate equorum DCCC., & peditum VII. millium ad Castrum Sancti Petri. Et ecce quod illi de parte Acharisiorum nolentes tantam nequitiam pati, elevatis magnis vocibus irruerunt contra eos versus portam Ravignanam, & prœliantes contra partem Manfredorum & Comitum acriter, accipiendo serralium, quod fecerant ad ponticellum, cædendo, vulnerando, & fugando eos extra dictam Civitatem. In qua quidem expulsione mortuus fuit Manfredus de Marzanensibus, & multi tam ex percussionibus, quam ex fuga & defectu pontis suffocati sunt ultra L. de amicis Comitum, & Manfredorum; relinquentes arma per campos & fossata, aufugiendo aliqui versus Cunium, & aliqui versus Ravennam. Et sic ipsa Civitas remansit sub dominio Ecclesiæ Romanæ contra ordinamenta dictorum Comitum, & Manfredorum, qui volebant eam remittere in manibus Bononiensium. Et similiter ejecti sunt illi de parte Comitum de Ravenna. Et incœptum fuit prœlium in Castro Tauxignani, quod per multos dies acriter duravit. Et ipsa die expulsa fuit pars Ghibellina de Bertinorio. Ipsa vero Civitas Faventiæ remansit in dominio Domini Maghinardi, & partis Acharixiorum, & amicorum suorum, rejectis & expulsis Manfredis, & Comitibus de Cunio, qui ordinaverant proditionem & mortem prædictorum Maghinardi, & Acharisiorum, & Domini Guidonis Raulis, & omnium amicorum eorum cum parte Geremiorum de Bononia.

Item in dicto mense Augusti accensus est ignis maximus in Terra Bagnacavalli; ita quod ipsa Terra tota, & ædes & suppellectilia omnia sunt consumta igni, in quo igne plures personæ & animalia periere.

Supradictus Comes Potestas Cæsenæ fecit suum Vicarium Dominum Anselmum de Sancto Laurentio, qui fecit introitum die prima Septembris.

Eodem anno de mense Octobris Dominus Gulielmus Durantis Episcopus Miniatensis, electus Comes Provinciæ Romandiolæ, & Marchio in Marchia Anconitana per Dominum Bonifacium Papam, intravit Provinciam Romandiolæ, & venit ad Civitatem Arimini. Et ea die Dominus Petrus Archiepiscopus Montis-Regalis, qui fuerat Comes, seperavit se de dicta Provincia.

Item die XXIII. dicti mensis venit idem

A Dominus Comes ad Civitatem Cæsenæ, ubi cum maximo honore receptus fuit.

Item die XXVII. dicti mensis idem Dominus Comes fecit parlamentum generale in Civitate Cæsenæ, ubi fuerunt Ambasciatores, & Syndici, & Procuratores omnium Nobilium, & Comitatuum Provinciæ Romandiolæ; & in ipso firmatum fuit, quod ipse Dominus Comes posset conducere CCC. milites expensis illorum de dicta Provincia Romandiolæ.

Item præfatus Dominus Comes XV. Novembris equitavit Bertinorium.

Item die XX. Novembris idem Comes equitavit ad Civitatem Forlivii, ubi ingens honor eidem factus exstitit.

B Item die XXIII. Novembris se transtulit Castrum Carium, & ibi stetit aliquibus diebus.

Item die XI. Decembris. Idem Dominus Comes separavit se de Castro Cario, & ivit Imolam, eundo per devia, & non per stratam publicam, nec voluit ingredi Civitatem Faventiæ.

Item die XIX. Decembris. Dominus Malatesta cum parte sua de Arimino, & potentatu ac exercitu magno eques & pedes, unumcumque congregatis in ipsa Civitate, violenter expulit aliam partem de ipsa Civitate, occidendo, & vulnerando multos. Inter quos mortuus est Ugulinus, qui dicebatur Cignatta,
C quondam Domini Parcitatis, & Mostatius, & plures alii.

Item die XX. Decembris. Dictus Dominus Comes discessit ab Imola, & ivit Ravennam.

Item die XXIII. dicti mensis. Equitavit Ariminum, & ibi stetit multis diebus, & exinde se transtulit ad Marchiam.

Anno Domini MCCLXXXXVI. die XIII. Martii. Dominus Maghinardus prædictus cum aliquibus militibus & peditibus de populo Faventiæ se transtulit ad Castrum Calamelli, & violenter acceperunt ipsum Castrum, salvis personis & rebus pro illis, qui erant in Turri.

Item die prima mensis Aprilis. Magnificus Dominus Petrus de Abate Marchio Ferrariæ
D Patruus, & Dominus Manlosius Comes Montisfeltri, & comitiva de Civitate Aretii se convenerunt in unum in Civitate Faventiæ unà cum militibus & populo Civitatis Cæsenæ, & Forlivii, & Dominus Maghinardus Paganus cum suis fidelibus, & Dominus Anselmus Potestas, & Dominus Neapolione Capitaneus Civitatis Faventiæ cum militibus & populo ejusdem Civitatis, & cum eorum exfortio undique congregato. Dicta die exeuntes Civitatem, equitaverunt usque ad flumen Rasaulæ, seu Santerni, quod est prope Civitatem Imolæ, quod etiam propter inundationes aquarum & pluvias multas erat altum, latum, & profundum, ita quòd transiri non poterat
E sine periculo personarum & equorum.

Ex adverso autem in Civitate Imolæ congregati erant quatuor millia peditum armati de Bononia, & multi alii de Comitatu Imolæ, & exteriores de Faventia, & milites de Quarterio Portæ Sancti Petri de Bononia, & comitiva de Imola, qui omnes congregati erant in ipsa Civitate; & quamcitò intellexerunt, eorum adversarios fore supra dictum flumen, statim traxerunt ad Renatia ipsius fluminis, ad impediendum transitum eorum. Decrescendo itaque flumine ipso, milites ipsum flumen intraverunt, & faciebant quasi unam Clusam in aqua; ita quòd plures per ipsam aquam

ficut melius potuerunt transitum faciebant. Quamcitò verò Bononienses illos transisse viderunt, terga in fugam dederunt, & illis intrantibus Civitatem Imolæ, multos ceperunt, & vulneraverunt, ac perimerunt. In Platea verò Imolensi multis ex ipsis Bononiensibus congregatis, dum non possent substinere impetum illorum, reduxerunt se in Palatio Communis Imolæ, ubi inclusi fuerunt. Et tamdem dum viderent, se ibi non posse tenere, nec ipsorum impetum substinere propter ignem positum in ipso Palatio, reddiderunt se dicto Domino Maghinardo, & sic omnes capti fuerunt; & dicitur, quod illic capti fuerunt duo millia & ultra cum illis, qui tunc erant in dicta Civitate Imolæ. Et sic ipsam Civitatem ad suum dominium liberè habuere, & eam munierunt, faciendo foveas, & steccata, & reposuerunt in ipsa Civitate partem Ghibellinorum de Imola. Et Alidoxius, & Litus ejus frater cum eorum amicis. Similiter etiam & Dutiam acceperunt, & munierunt, & electus fuit Potestas Imolæ Dominus Caza de Castello.

Eoque tempore Communitates Cæsenæ, Forlivii, Faventiæ, Imolæ, Bagnacavalli, Exteriores de Ravenna, de Arimino, & Bertinorio cum eorum amicis fecerunt societatem cum Domino Azzone Marchione Ferrariæ, & Commune Mutinæ, Regii, & Ferrariæ, & parte Lambertatiorum de Bononia; & sic inter eos exstitit ordinatum. Supradicta die prima Aprilis idem Dominus Marchio cum maximo ornamento munivit Castrum Vignolæ, Bazani, Savignani, & Spilimberti: quæ sunt Castra in confinibus inter Bononiam & Mutinam positis.

Eo tempore occasione prædictarum novitatum, quæ in Comitatu Imolæ acciderunt, Cattanei de Saffadello dereliquerunt ipsum Castrum propter timorem Domini Maghinardi; & Comites de Cunio similiter reliquerunt Castrum Cunii æquatum & destructum per fideles dicti Comitis Maynardi, & similiter Saxadelli pro Faventia.

Eodem tempore Comites de Castro Cario volentes redire & morari in domibus eorum, quæ erant in Rocha & Girone de Castro Cario, quæ Comites Romandiolæ eis acceperant, & in ipsis erant custodes deputati per præfatum Comitem, cum auxilio Communis & Amicorum suorum de Forlivio, & Faventiæ, castramentati sunt supra dictum Gironem & Rocham, & cum manganis & aliis opportunis dictam Rocham & Gironem cum obsidibus intus existentibus recuperaverunt die III. Maji.

Item eodem anno XI. Maji. Commune Faventiæ fecit exercitum generalem supra Castrum Baccagnani, quod erat Francisci de Manfredis. Fecerunt apponere tres manganos, castella, & vias coopertas ad ipsius expugnationem, in quo steterunt diebus XVII. Tamdem illi, qui erant intus, dederunt se pactis, salvis eorum rebus & bonis, & Castrum ipsum reddidere, & illud penitus fuit ruinatum & destructum.

Item die III. Junii. Super Territoriis Faventiæ, & Imolæ venerunt tempestates cum mirabili grandine existente in grossitudine, ut est ovum.

Item sub eodem anno die VI. Junii. Sicut ordinatum fuerat, Dominus Azzo Marchio Estensis cum militibus & populis Civitatum Mutinæ, Regii, & exercitibus suis militum & peditum, in Comitatum Bononiæ equitaverunt ad Terram Crespellani, & antea miserunt suos cursores, versùs Bononiam se transferentes usque ad Burgum Panicalis. Ex alia parte Dominus Franciscus frater prædicti Domini Marchionis cum Communi, & hominibus Ferrariæ, & cum ejus potentia in Comitatum Bononiæ equitaverunt ad Terram Peolæ, & Alteduni, per illas Villas incendendo & comburendo domos, & capiendo homines & animalia, & damna plurima inferendo. Item ex alia parte Dominus Comes Galixius de Montefeltro, & dictus Maghinardus Paganus Capitaneus Generalis guerræ cum eorum potentia de Faventia, Forlivio, & Imola, & Cæsena, in Comitatum Bononiæ equitaverunt supra Castrum Sancti Petri ad Terras Lignani, Vidriani, Fraxenati, & Galegati, domos comburendo per illa Loca, prædando & capiendo homines & animalia, & etiam ad Terram Medicinæ, & per illas contratas, ita quòd existimatum publicè tunc fuit, quod ultra duo millia domorum in illa die per Comitatum Bononiæ combustæ fuerunt.

Item eodem anno. Domino Maghinardo significatum exstitit, quod ipsius inimici abstulerant Castrum Stifunti sub proditione: quo intellecto, militiam & Amicos illico convocavit, & ad dictum Castrum festinanter equitavit, ubi invenit Paganum fratrem suum cum magno exercitu, coadunato ex multis partibus, & acriter prœliantes invicem, cæsus fuit Ugulinus, alias l'Abbate, frater Domini Maghinardi, & plures alii; & illi, qui introgressi fuerant, exire sine periculo non poterant personarum suarum. Stetit ibidem exercitus usque ad diem sequentem, & ordinato eo die prœlio, post prandium per vim & prœlium maximum captum fuit ipsum Castrum, & omnes, qui erant in dicto Castro, capti & mortui fuerunt. Inter quos peremti XI. & capti XXXIV., & mortuus fuit Zonolus quondam Ugonis de Saffadello.

Item eo anno die Dominico XV. mensis Julii. Equitaverunt Milites & Populares de Ravenna, de Arimino, de Cervia, & de Bertinorio cum multis aliis Militibus & Amicis de Marchia venientibus Forlivium. Nam Commune Forlivii erat tunc in exercitu supra Castrum-Novum, & illi fecerunt æquari de fossis, & de steccatis dirui, & de ripis similiter, ita quod equites & pedites possent absque difficultate ire ad occupandum ipsam Civitatem. Et euntibus ipsis in dicta Civitate, multos mactaverunt. Inter quos mortui fuerunt Dominus Theudericus de Ordelaffis, & Dominus Johannes de Argugliosis. Ad dictum vero rumorem traxerunt Scarpetta filius olim Domini Thebaldi de Ordelaffis, & multi alii, & Dominus Maghinardus, & Dominus Comes Gallisius, qui cum dicto exercitu separabant se à dicta obsidione Castri-Novi, & veniebant Forlivium, ita se adoperavere, quod Civitatem ipsam recuperarunt, expellentes dictos Ravennates, & illos, qui cum eis venerant; & multi capti sunt, & occisi fuerunt, videlicet Dominus Raynerius de Calbulo, & Johannes ejusdem frater, & alii plurimi.

Dominus Marchexinus Domini Johannis de Argugliosis de Forlivio intravit pro Potestate Faventiæ prima die Septembris.

Eodem anno die XXIII. Septembris. Præfatus Dominus Maghinardus Capitaneus Gene-

neralis cum Militia, & Populo Civitatis Forlivii, Faventiæque, ivit Imolam, & congregatis amicis suis equitavit ad Massam Lombardorum, & super ipsam posuit exercitum generale; in quo exercitu fuerunt Milites quadringenti Domini Azzonis Marchionis Ferrariæ; & stetit ibidem exercitus octo diebus continuis.

Item eodem anno. Supervenit in Civitate Faventiæ Dominus Maxinus de Piperno frater Cardinalis Domini Petri de Piperno Legati Apostolicæ Sedis, qui Dominus Maxinus Comes Provinciæ Romandiolæ mandavit, ut dictum exercitum separari deberet, & misit ad ipsum exercitum Mariscalchum suum dicta de causa die secunda Octubris; & intraverat die XXVII. Septembris.

Et dicta die Milites, & Populus Bononiæ equitaverunt Imolam, & per vim acceperunt, & intraverunt Burgum Portæ Alonis, eundo versùs Portam ipsius Civitatis cum plaustris, super quibus ferebant pontes constructos de assidibus de abete denodatis cum ferramentis, causa projiciendi supra foveam Civitatis; & super ipsis introitum facere ordinaverant, occupando ipsam Civitatem. Quod facere nequierunt, immo aliqui ex ipsis mortui sunt & capti. Ipsi vero Bononienses nequiter spoliarunt Locum Sororum Sancti Stephani, qui erat in dicto Burgo, bonis suis omnibus & alienis. Tunc enim nova de eis transmissa fuerunt ad Campum, ipsa die Martis, & factis aciebus Militum & peditum, viriliter Imolam perrexerunt, animo & intentione prœliandi cum Bononiensibus præmissis, si eos invenissent. Sed ipsi jam insalutato hospite recesserunt, relinquentes currus, pontes, scuta, & multas res, quæ illuc detulerant: quæ res non ad parvam ignominiam sibi cessit.

Eodem anno, & die XX. Octobris. Dominus Maxinus Comes Romandiolæ separavit se de Civitate Faventiæ, dicendo se velle ire Venetias, & accessit Ravennam. Quæ quidem Civitas tunc inimicabatur Civitatibus Faventiæ, Forlivii, Cæsenæ, & Imolæ.

Et Dominus Petrus de Piperno Cardinalis, & Legatus, qui erat Bononiæ, separavit se de ipsa Civitate tunc, & ivit Florentiam.

Item eodem anno die Martis VI. Novembris. Dominus Maghinardus Capitaneus præfatus cum CCCC. Militibus & peditibus II. millibus bonis, & bene armatis equitavit versùs Civitatem Ferrariæ, eundo Mutinam in auxilium Domini Marchionis Azzonis, quoniam Commune Bononiæ cum omni sua potentia equitaverat, & posuerat suum exercitum supra Castrum Bazanum, quod idem Marchio fecerat muniri ac fortificari, & ipso Castro reclusi erant CCCC. equites, & mille pedites. Tandem quia illi de dicto Castro non habebant victualia, immo oportuit eos comedere carnes equorum tribus diebus, salvis personis & rebus eorum, Castrum Communi Bononiæ consignarunt.

Anno Domini MCCXXXXVII. & die XXVIII. mensis Decembris. Illustris Dominus Gallasius Comes Montisfeltri, & Dominus Maghinardus Capitanei Generales in Provincia Romandiolæ pro Communitatibus Cæsenæ, Forlivii, Faventiæ, Imolæ, Castricarii, & Bagnacavalli, & eorum complices, & Ambasciatores solemnes ipsarum Civitatum, & Terrarum ultra Padum, ad Parlamentum iverunt, & ad conferendum, & colloquium similiter habendum cum Domino Azzone Marchione Estensi, super tractandis & ordinandis eorum negotiis, & Amicorum suorum, & redierunt die ultima Decembris.

Eodem anno. Electus fuit spectabilis vir Dominus Ugutionus de Faxola in Capitaneum Generalem Guerræ pro Civitatibus Cæsenæ, Forlivii, Faventiæ, & Imolæ, & adhærentibus earum, & venit Forlivium die XXI. Februarii, & deinde Faventiæ, & Imolæ.

Eodem Millesimo. Intravit Regimen Civitatis Faventiæ pro Potestate Dominus Ordelaffus de Ordelaffis.

Item eodem anno die II. Maji. Præfatus Dominus Uguzonus de Fazola Capitanius, Dominus Ordelaffus Potestas, Dominus Maghinardus Capitaneus Faventiæ, & Imolæ cum Militibus & peditibus, & omni ejus potentia equitaverunt ad Terram Lugi, Comitatus Imolæ. Et statim ipsa die incœperunt munire Castellare vetus Lugi, ipsamque Terram Lugi magnis foveis, & cum valido steccato muniverunt ad honorem Summi Pontificis, Romanæque Ecclesiæ, & Archiepiscopi Ravennatis.

Item eodem die XII. Maji. Supradicti Domini cum eorum exercitu equitaverunt ad Civitatem Imolæ, ibique congregaverunt magnam quantitatem equitum & peditum, & equitaverunt versùs Castrum Sancti Petri in Comitatu Bononiæ usque ad Sanctum Stephanum in Quaterno, & super strata usque ad Varignanam, prædando, homines capiendo, & aliquos occidendo, & prædam magnam de animalibus faciendo, & Imolam conducendo. Et demum die sequenti venit exercitus Civitatis Aretii in quantitate equitum ducentorum, proborum virorum. Et etiam Dominus Gallasius Comes Montis Feretri Capitaneus Civitatis Cæsenæ cum Militibus ipsius Civitatis, & optima quantitate peditum; similiter & de Forlivio, & de Castro Cario, se congregantes in Civitate Imolæ. Illi vero de Bononia tam Milites quam Populus venerunt ad Castrum Sancti Petri, ibique castramentati sunt. Item die sequenti equitavit prædictus Maghinardus cum quantitate militum & peditum ad Locum, ubi dicitur Aquania; & Castellare Antiquum, ubi erat Plebs Aquaniæ, fecit muniri & fortificari ex bonis foveis, & steccato valido, posuitque ibi eques & pedites ad custodiam faciendam ad hoc, ut Commune Bononiæ non haberet viam ad mittendum subsidium illis, qui morabantur in Castro Massæ Lombardornm.

Item die Veneris sequentis tunc supradicti Domini Capitanei cum toto eorum exercitu in Civitate Imolæ congregato equitum & peditum, & balisteriorum exeuntes ipsam Civitatem, perrexerunt versùs Castrum Sancti Petri, ubi erant Populus & Militia Civitatis Bononiæ, feceruntque tres acies militum & peditum, & unam aciem validissimam, quam antecedere faciebant ad incipiendum prœlium cum adversariis; & miserunt nuntios suos ad Bononienses, significantes eis, quod parati erant prœliari cum eis in bello. Qui quidem penitus renuerunt, & posuerunt acies eorum usque ad Locum, ubi dicitur Toscanella. Et tubicinæ ac tamburi iverunt sonando usque ad flumen Sellaris, ubi Bononienses castramentati erant; & eorum acies militum & peditum ibidem posuerunt supra ripam fluminis Sellaris ab occasu Solis; quibus omnibus sic per-

peractis, supradicti Romandioli revolventes acies eorum magnifice cum astutia Imolæ rediere. Quod ad dedecus & verecundiam Bononiensibus successum exstitit.

Ipsis namque diebus dum Papa Bonifacius esset Romæ, ponderari fecit æris, argenti, & auri magnam quantitatem; & firmatum fuit, quod fuerunt salmæ LXXX. à mulis & equis, mittendo ea in Campaniam ad Ananiam, unde fuerat oriundus. Quibus Stephanus filius Domini Johannis de Columna se opponens, in transitu derobavit eos, & accepit omnes prædictas salmas. Quibus auditis à præfato Papa iratus mandavit Cardinalibus de Columna, videlicet Domino Jacobo, & Domino Petro, ut effectualiter taliter procurarent, quod omnia ablata restituerentur. Quod factum exstitit. Insuper occasione dicti excessus Papa præfatus processum fecit contra illos de Columna, privando omnes de dicta Domo tam Laycos, quam Clericos, omnibus Beneficiis, & Privilegiis Ecclesiasticis, & illos Cardinales à Cardinalatu, & ut in perpetuum non possent ad illud, nec ad aliquod aliud Ecclesiasticum Beneficium, vel honorem admitti. Faciens insuper contra eos, & eorum Castra & Loca, exercitus, & processus mirabiles, & potentes, & Constitutiones, & multa Jura nova contra eos. Qui quidem Domini de Columna procedentibus temporibus, præsertim tempore Clementis Papæ V., fuerunt omnes restituti ad honores, & dignitates, & bona eorum.

Item Dominus Maghinardus misit ad fideles suos, ut deberent se congregare, & ire ad dandum guastum super bladis illorum de Tauxignano. Et dum essent ad faciendum dictum guastum, & bona depopulandum, illi de Tauxignano, qui in dicto Castro erant, exierunt foras eques & pedes, insultantes illos viriliter, ponendo eos in fugam, capiendo & occidendo ex eis multos, ultra homines sexaginta.

Cujus occasione idem Dominus Maghinardus vehementer conturbatus cum fidelibus, & amicis suis de Faventia & Imola, equitavit, & exercitum posuit circa Castrum Gagii, quod erat Uguzonis de Sassadello. Ibique fecit fieri duas coopertas, & manganum, & stetit in ipso exercitu à die penultima Junii usque ad diem VIII. Julii. In quo die illi de dicto Castro ad mandata sua devenere, & salvis eorum personis & armis, quæ portare potuerunt, recesserunt: Et fecit ipsum Castrum dirui & æquari, penitusque destrui & comburi.

Anno Domini MCCLXXXXVIII. Malvixinus Comes de Bagnacavallo equitavit cum potentia sua equitum & peditum in Comitatu Imolæ, & fecit magna incendia domorum & albergorum propter inimicitiam, quam habebat cum Comitibus Cunii.

Item de mense Maji Comes Conradus de Montefeltro occisus fuit à fidelibus suis in Castro suo Petræ-rubeæ, & cum eo occisi sunt fratres ipsius Conradi Dominus Philippus, & unus filius, & una soror.

Die XVIII. Junii militiæ de Faventia equitaverunt Imolam, pro eo quare Bononienses venerunt juxta Imolam, causa inferendi eis guastum.

Anno Domini MCCLXXXXIX. de mense Aprilis convenerunt se in Civitate Faventiæ in præsentia Regiminis Faventiæ, & etiam Imolæ, Ambasciatores Domini Matthæi de Vicecomitibus Capitanei Mediolani, & Domini Alberti de la Scala Domini Civitatis Veronæ, & Dominorum Azzonis, & Francisci Marchionum de Ferraria, & Communis Bononiæ, causa tractandi concordiam inter Bononienses Intrinsecos, & Extrinsecos, & super aliis, quæ habebant in mandatis.

Frater Angelus de Faventia Prior Fratrum Prædicatorum cum Octolino de Mandello practicant concordiam & pacem inter Commune Bononiæ, & illos de Provincia Romandiolæ, qui tenebant partem Lambertatiorum extrinsecorum de Bononia. Contigit, quod occasione dictæ practicæ factæ in Monteregio cum Ambasciatoribus Cæsenæ, Forlivii, Faventiæ, Imolæ, una cum Domino Galexio, & Domino Maghinardo, conclusa & facta fuit pax ex utraque parte, & mercatores exinde transiverunt hinc inde per totam Provinciam tute & secure absque aliquo impedimento.

Anno prædicto die IV. mensis Julii Rex Carolus, & Domnus Jacobus Rex Aragonum cum eorum exercitibus, & manu potente gentium de Janua, & Catalonia, & Francia, & etiam aliunde, armata manu in galeis & lignis in mari Regni Apuliæ bellum navale maximum adinvicem commiserunt, una cum gente & Armata Regis Federici de Sicilia, ita quod gentes ipsius Regis debellatæ, cæsæ, & fugatæ fuerunt in maxima quantitate.

Exinde vero non per lapsum multorum dierum in hisdem partibus fuit ingens conflictus & prœlium de gente Regis Caroli, quæ fuerunt debellatæ, & captæ, & mortui in numero infinito per dictum Regem Federicum, & gentem ejus.

Item eodem anno præfatus Dominus Jacobus Rex Aragonum separavit se à societate dicti Regis Caroli, pro eo quia Dominus Papa Bonifacius noluit sibi dare stipendia, quæ sibi promiserat.

Item eodem anno dum Domini de Columna de Urbe Romana propter eorum inobedientiam essent per Summum Pontificem condemnati, & excommunicati, & tamquam Hæretici & Sismatici repulsi usque in quartam generationem, tam descendentium, quam collateralium utriusque sexus, & privati omnibus eorum bonis, juribus, ac Privilegiis, tam Laycatus, quam Clericatus; & aliqui ex eis venissent in Provincia Romandiolæ ad quoddam eorum Castrum nomine Montem-Veclum supra Forlivium in Montanis; & per literas ipsius Domini Papæ directas ipsis Forolivienfibus, & Faventinis, ac per universum Orbem ipsi Columnates essent excommunicati; & ut rebelles Ecclesiæ, ac Hæretici evitandi, & repellendi: Volentes Domini Maghinardus Capitaneus Communitatum Forlivii, & Faventiæ, & Gallassus Capitaneus Civitatis Cæsenæ, secundum voluntatem & mandata Domini Papæ persequi præmissos Columnates, cum eorum potentia dictarum Civitatum fecerunt exercitum ad supradictum Castrum Montis-Vecli, & demum ipsum Castrum cum omnibus eorum viribus ad ipsorum mandata habuerunt, ponentes in ipso Castro bonos, & fidos custodes, qui Castrum ipsum diligenter custodirent, donec à Domino Papa aliud haberent in mandatis, quid de ipso fieri deberet.

Item de mense Decembris anni MCCC. Fuit maximus conflictus, & magna strages de gente Regis Caroli in Provincia Siciliæ.

Anno supradicto Veneti cum Januensibus Mari Adriatico apud Insulam Curzulam navali prœ-

prœlio pugnant. In qua Veneti habebant naves LXXXXVI., & Januenses LXXVIII. Veneti vero superati fuerunt, ubi maxima strages mortuorum tam ferro quam aqua, & multi captivi ducti fuerunt Januam, & pie tractati. Altero anno Veneti pacem obtulerunt conditionibus æquis; & pax facta est inter Januenses, & illos, & Pisanos, & captivi Pisanorum relaxati fuerunt.

Eo anno Guido dictus Butixella primogenitus Johannis primogeniti Pinamontis, caput populi Mantuani, accepto præsidio equitum ab Alberto de la Scala Capitaneo Veronæ, & expulsis Urbe Mantua patruis Bardelono & Tayno fratribus, dominium Urbis Mantuæ potitus est.

B Eodem anno Albertus Dux Austriæ Rodulfi Cæsaris primogenitus, peremto Andulfo in prœlio, illi successit in Regno. Qui anno sequenti Legatos misit ad Bonifacium Papam, dicens se velle accedere ad Sedem Apostolicam, suscepturus juxta morem debitum Coronam Imperii. Quibus Papa respondit, illum non esse electum legitime, & indignum Imperio, qui adversus Dominum suum scelere bellum commoverat, ac proditione occiderat.

Anno Domini MCCC. Indulgentia peccatorum à pœna & culpa facta fuit per Bonifacium Papam omnibus fidelibus Christianis visitantibus diebus XV. singulis Basilicas Apostolorum Petri & Pauli in Urbe.

C Eo anno Carolus Sine Terra frater Regis Franciæ mandato Papæ venit in Italiam, & fuit Florentiæ.

Eo anno Blanchi expulsi fuerunt à Florentia per Dominum Muxattum, & per Cursum Donadum, vigore præfati Domini Caroli Sine Terra fratris Domini Regis Franciæ.

Eo anno Carolus Sine Terra venit Bononiam, & ibi novos milites fecit. Et primo Dominum Jacobum de Bazaleriis, & Dominum Jacobum de Thebaldis, & Dominum Philippum de Axinellis, & Dominum Pellegrinum de Gallutiis in Ecclesia Sancti Dominici.

D Eodem anno MCCC. debellati, cæsi, & fugati sunt Soldanus, & Saraceni in damnum & præjuditium ipsorum à Rege Tartarorum, & Armeniæ, & peremti sunt in eo bello centum millia ex Saracenis, & maxima multitudo aliorum. Et Reges præfati recuperaverunt Hierusalem, & Sepulcrum Domini, & multas Terras, quas tenebant Saraceni in præjuditium & dedecus Christianorum. Et in die Epiphaniæ Domini fecerunt solemniter celebrari in Hierusalem ad gloriam Christi; & Rex Tartarorum fecit se baptizari cum gente sua. Et dicebatur, quod dicti Reges in dicto prœlio habuerunt secum ultra mille milliaria equitum, & infinitam populorum & innumerabilem comitivam.

E Item dicto anno Dominus Maghinardus Capitaneus Civitatum Forlivii, Faventiæ, & Imolæ, habuerunt ad eorum mandata Castrum Linarii supra Imolam, quod erat Alidoxii de Massa, circa quod steterunt in obsidione ultra duos menses. Habebant autem manganos IV. projicientes die noctuque lapides; & dum vellent dare prœlium, submiserunt ipsum Castrum, salvis personis, & bonis, & ipsum Castrum fecerunt æquari, & penitus destrui die XXI. Februarii.

Eodem anno factus est Comes Provinciæ Romandiolæ, & Civitatis Bononiæ in temporalibus & spiritualibus Dominus Matthæus de Aquasparta Cardinalis Episcopus, qui venit ad Civitatem Bononiæ, ubi stetit pluribus diebus.

Exinde venit Imolam die Mercurii VII. Decembris, & die IX. Decembris venit Faventiam, ubi consecravit unum Episcopum in Ecclesia Beati Petri Apostoli, & inde se transtulit die XII. Decembris idem Comes Forlivium.

Anno Domini MCCCI. die Veneris XIV. Februarii supradictus Dominus Cardinalis Comes Romandiolæ, dum esset in Civitate Ravennæ, fecit Parlamentum generale in loco, ubi dicitur Capazosia: qui locus est in confinibus Districtus Faventiæ, & Districtus Ravennæ. Et in ipso Parlamento fuerunt Domini Federicus Comes filius Comitis Guidonis de Monte Feltro Capitaneus Cæsenæ cum Ambaxiatoribus ipsius Civitatis, Dominus Maghinardus Paganus Capitaneus Civitatum Forlivii, Faventiæ, & Imolæ cum Ambaxiatoribus ipsarum. Et ibidem proposuit de faciendo pacem & concordiam generalem, & specialiter in dicta Provincia Romandiolæ.

Eo verò anno Marchio de Ferraria congregavit maximum exercitum militum, peditum, & balistariorum undecumque: propter quod Commune, & Populus Bononiæ timens, ne ipse Marchio vellet aliquid innovare in præjuditium Communis Bononiæ, similiter fecit maximum exercitum militum, & peditum, & fecit venire ad Civitatem Bononiæ omnes de Comitatu Bononiæ, & requisiti fuerunt ex parte populi Bononiensis, Forlivienses, & Faventini, ac Imolenses cum eorum complicibus, ut se unirent cum Communi Bononiæ, vigore conventionis adjuvandi factæ ad invicem. Qui dicta de causa iverunt Bononiam, & facti sunt Syndici à præfatis Communitatibus cum Ambasciatoribus solemniter faciendis. Et die Jovis ad petitionem Populi, & Communis Bononiæ iverunt Imolam CC. milites de Faventia die Sabbati VI. Aprilis, & centum postea Communis Faventiæ iverunt Imolam, & ibi steterunt in Civitate Imolæ. Et die Veneris equitaverunt Imolam milites de Faventia, deputatis aliquibus ad custodiam Civitatis Faventiæ. Et exinde equitaverunt omnes prædicti milites, qui erant Imolæ, versùs Civitatem Bononiæ, ubi honorificè recepti fuerunt, & ibi steterunt usque ad diem Lunæ. Et demum equitaverunt omnes prædicti; & milites de Faventia exierunt de Civitate Bononiæ, & redierunt Faventiam propter rumores, quos audiverunt esse in Civitate Faventiæ. Et in Civitate Bononiæ contracta fuit Societas & Liga cum solemnitatibus opportunis inter Commune Bononiæ, Imolæ, Faventiæ, Forlivii, & amicos, & complices eorum, & Pistorienses Intrinsecos, & Blancos de Florentia. Et factæ fuerunt promissiones hinc inde per Syndicos speciales uniuscujusque Terræ.

Item eodem anno creati sunt Potestates Civitatis Faventiæ Dominus Franciscus quondam Domini Thebaldi de Ordelaffis, & Dominus Lambertuccius quondam Johannis de Argugliosis, omnes de Forlivio.

Item eodem tempore convenerunt ad invicem in Civitate Faventiæ Ambasciatores solemnes de Civitate Bononiæ, Imolæ, Forlivii, Blancorum exteriorum de Florentia, & Civitate Pistorii, & eorum sequacium, & ibidem

dem

dem pluribus diebus steterunt, & fecerunt eorum ordinamenta pro Liga, & Societate sua tutanda, & defendenda. Et elegerunt unum Capitaneum Generalem totius Ligæ, & Societatis prædictæ. Qui fuit Dominus Salinguerra quondam Petri Taurelli nati Domini Salinguerræ de Ferraria, & idem Capitaneus venit Faventiam die 27. Aprilis, & die II. Maji juravit.

Anno Domini MCCCII. Terræmotus maximi fuere in Creta. Mare Adon concussum est, ut aquas Maris impulerit in Civitatem Candiæ tanto impetu, ut omnia ædificia straverit, & homines ferè omnes occiderit; mox retro cessit ex Portu illo, & ubi aqua profunda erat, arenæ fundi oculis hominum paruerunt aperte. Concussit etiam Terræmotus ille totum Adriatici Maris sinum.

Eodem anno Papa Bonifacius in Urbe Romana existens in pleno Concistorio confirmat Electionem factam per Principes Alamanniæ de Domino Alberto Duce Austriæ in Imperatorem Romanum, & hoc die ultima Aprilis cum consensu omnium Cardinalium; & statutus est ei terminus ad accipiendam Coronam usque ad Festum Sancti Michaëlis.

Eo anno Bonifacius Papa in Patria sua Anania, studio Philippi Regis Franciæ captus fuit. Post paucos dies relaxatus, venit Romam, & mansit apud Sanctum Petrum. Post modicum tempus tabescens animo propter illatam sibi injuriam moritur. Sepultus est apud Ecclesiam Beati Petri in sumtuoso Sepulcro, quod dudum sibi paraverat.

Eo anno Dominus Maghinardus de Soxenana Capitaneus Imolæ, & Faventiæ occubuit in Civitate Imolæ.

Anno Domini MCCCIII. Benedictus Papa Octavus Trivisanus Ordinis Prædicatorum successit Bonifacio Papæ, & sedit mensibus novem in Papatu. Vacatio Sedis Apostolicæ mox longa exstitit.

Anno MCCCV. Clemens Quintus Papa ordinatur per fraudem, ut dicitur; nam electus fuit à Cardinalibus inclusis credentibus, excepto uno, qui fraudis conscius erat, ipsum mortuum esse. Erat enim Archiepiscopus Burdigalensis. Hic Clemens præsentata electione, Papatum assumsit.

Hic Jacobum, & Petrum de Columna de Cardinalatu privatos per Bonifacium pristinæ restituit dignitati.

Hic ad instantiam Philippi Regis Franciæ deposuit Ordinem Sanctæ Mariæ de Templo; & capti fuerunt Magistri eorum, & alii quidam igne cremati; & opes illius Ordinis contulit Ordini Hospitalis Sancti Johannis Hierusalem, sed non gratis, ut dicitur.

Hic confirmavit electionem Henrici Imperatoris venaliter, ut fertur, deditque sibi Cardinales, qui eum coronarent Romæ coacte; mox destitit ab omni favore præstando eidem, & in opposito Provinciam submisit Regi Roberto.

Eo anno Pars Blanca ingressa est Florentiam, & ibi magni rumores, & combusserunt multas de utraque parte domos.

Anno Domini MCCCVI. Civitas Mutinæ defecit dominio Marchionis Azzonis, præsidente in dicta Civitate pro Marchione Azzone, Fulcerio de Calbulo Foroliviensi.

Eo anno Civitas Regii simili modo renuit dominium Marchionis Azzonis cum omnibus Castellis, excepto Razolo, quod traditum fuit Capitaneo Populi Mantuani.

A Anno Domini MCCCVI. adversus Mapheum de Vicecomitibus Capitaneum populi Mediolanensis, Cremonenses, Placentini, Papienses, & alii plurimi Urbium vicinarum iverunt Mediolanum, securitate facta, præfecto sibi Duce Alberto de Scottis de Placentia, & conjunctis sibi illis de Turre, qui eo tempore exulabant, copiosum duxerunt exercitum in agrum Mediolanensem; & Turriani tunc Mediolanum occupant, Mapheo excluso, qui dudum postea exulavit, donec ab Henrico Imperatore in Patriam traductus est.

Eo anno incendia Bononiæ, rumores, deprædationes factæ sunt. Tunc capti, & retenti sunt Dominus Bornius de Samaritanis, B & Romeus de Pepulis diu in carceribus.

Eodem anno Commune Florentiæ, & Lucæ cum eorum amicis, & Domino Carolo Sine-Terra fecerunt exercitum supra Civitatem Pistorii, quæ tunc tenebatur per partem Gibellinorum, & per Blancos de Florentia; & in ipso exercitu steterunt fere per XI. menses. Finaliter non potuerunt plus substinere ex penuria victualium; & ita facta concordia, salvis rebus & bonis, reddita fuit ipsa Civitas Communi Florentiæ; & Florentini se cum Lucanis concordarunt, quod medietas ipsius Civitatis foret supposita jurisdictioni Florentiæ, & alia medietas Communi Lucæ, & devastarunt muros, & duos Burgos de ea fecerunt, C quorum unus foret Communis Florentiæ, & alius Communis Lucæ: & quælibet ipsarum Civitatum dedit suam Potestatem ibidem.

Eo tempore magni rumores in Civitate Bononiæ fuerunt inter illos de parte Geremiorum. Nam ex illis aliqui appellabantur de parte Marchexii, & alii è contrario, qui tunc temporis in Civitate dominabantur; & dicta de causa plures de ipsis Marchixanis ad confinia transmissi sunt, & plures banniti, & domus destructæ. Et tempore procedente contigit, quod Marchexani assumserunt vires, ita quod acceperunt dominium ipsius Civitatis, & expellerunt illum Capitaneum, qui ibi tunc erat, D vocatum Dominum Lambertum Domini Salinguerræ de Ferraria. Loco cujus præpositus fuit Dominus Bernardinus de Polenta de Ravenna, & Capitaneus fuit deputatus Dominus Pinus de Rossis de Florentia, & multi de contraria parte transmissi ad confinia fuerunt. Et maximi rumores in illis temporibus in dicta Civitate intonuerunt.

Item supradicto Millesimo supervenit ad Civitatem Bononiæ Dominus Neapolionus Cardinalis Romanus, Apostolicæ Sedis Legatus, ubi stetit aliquibus diebus, qui volens concordare ipsos ad invicem non poterat, eo quod illa pars Marchexana multas injurias receperat ab alia parte, & sic incœperunt dominari, E & se vindicare: quæ omnia displicebant Domino Cardinali.

Nam accidit, quod quadam die Lunæ XXIII. Maji, multi de ipsa parte Marchexana armata manu insultaverunt ad Palatium Episcopatus Bononiæ, ubi hospitabatur idem Dominus Cardinalis, exclamantes fortiter: *Moriatur, moriatur proditor*, & frangentes januas. Tunc supervenit Dominus Bernardinus Potestas Bononiæ, & tamdem exstinxit rumorem, & ipsum oportuit à Civitate Bononiæ discedere cum tota ejus familia; & tamquam fugatus, timens de persona, per devia, & non per stratam publicam, se ad Civitatem Imolæ reduxit;

xit; & de rebus suis super mulis existentibus plurimæ derobatæ sunt per stratam; & dicta de causa multi à Civitate aufugerunt, qui fuerunt positi in banno, & domus eorum destructæ.

Item eodem anno Commune Forlivii, & milites Faventini equitaverunt ad Castrum Bertenorii, quod tunc dominabatur per Calbulenses de Forlivio; & propter malum dominium, quod faciebant in ea Terra, ipsi non voluerunt amplius eorum violentias substinere. Et hac de causa Forlivienses, & qui cum eis erant, ipsum Castrum per vim, & prœlium acceperunt. Verum tamen illi Calbulenses, cum eorum sequacibus in Gironem se reduxerant, & quia intus non habebant victualia, Communi Forlivii, salvis rebus & personis, se reddiderunt; & remansit totum Castrum cum fortiliciis sub dominio Communis Forlivii, & illi expulsi sunt exinde.

Eodem anno die XXI. Juniis, Dominus Neapolionus Legatus præfatus moram trahens in Civitate Imolæ, in pleno Concistorio, ubi erant Clerici & Laici, tam Cives, quam forenses, in maxima multitudine, suam excommunicationis tulit sententiam contra Commune Bononiæ, excommunicando Potestatem, & Capitaneum, Antianos, & Consules, Defensorem, & multos nominatim; & generaliter totam Civitatem, & ejus Comitatum, Ecclesiastico subposuit interdicto, nisi &c.

Eodem anno die II. mensis Augusti Dominus Pantaleonus Legatus venit ad Civitatem Ravennæ, & ibi benigne, & honorabiliter fuit receptus.

Item die II. Septembris accessit Faventiæ, & ex Roma missus ad Civitatem Forlivii, & stando in dicta Civitate, venerunt milites de Campania CCCL., & pedites centum, & ibi steterunt diebus X., & postea ivit Imolam.

Anno Domini MCCCVII. Ecclesia Laterani Romæ funditus cremata est incendio ex ædibus, quæ confestim restaurata est operibus virorum, & mulierum devotione multiplici.

Eodem anno Comites de Panigo, & sui sequaces repulsi fuerunt tamquam rebelles de Civitate Bononiæ.

Eo anno Mostarda de Comitibus de Panigo magnus Capitaneus gentium armorum, magnanimus, & gloriosus, & acerrimus in militaribus armis, truncato capite injuste in Platea Communis Bononiæ, ex proditione Artusii de Munzono de Comitatu Bononiæ, obiit.

Eodem anno Bononienses habuerunt Castrum Nonantulæ de Comitatu Mutinæ à Cattaniis, & hominibus dicti Castri per tria millia librarum Bononinorum, chartis plenis & apparentibus exinde confectis.

Eodem anno Bononienses miserunt ducentos equites ad muniendum Castrum Lughi de Comitatu Imolæ, & ad instantiam Domini Guidonis Ram, & Bernardini Cosparii de dicto loco, & Comitis Bernardini de Cunio, & Comitis Guidonis de Valbona.

Anno Domini MCCCVIII. Azzo Marchio Estensis Tyrannus, perdito dominio Mutinæ ac Regii, in cruciatibus corporis, & languoribus animi in Oppido Estensi moritur in exitu mensis Januarii. Corpus ejus à Fratribus Prædicatoribus compositum in dolio pleno milio clam delatum est Ferrariæ, & in Loco ipsorum sine honore funeris conditum.

Eo anno Calendis Maji. Albertus Rex Germaniæ Imperator dictus à filiis fratris ejus occiditur gladio.

Friscus, quem Azzo Marchio, ut natum exaltaret, ex muliere conjugata genitum, favore aliquorum Ferrariensium dominium Ferrariæ occupavit, quod tenuit usque in diem quintum Septembris.

Magister Ordinis Sanctæ Mariæ de Templo, ac multi Fratrum ejus, delati à Philippo Rege Franciæ, eò quòd turpiter viverent, capti sunt in Ferraria, jussu Clementis Papæ Quinti, & eorum bona sequestrata sunt ubique. Et Ordo Templariorum absolvitur à dicto Papa in Concilio celebrato apud Viennam, ubi interfuit Rex Franciæ cum filiis, & multis Baronibus.

Populus Ferrariæ, auctore ipsorum Episcopo Guidone, jugum servitutis Marchionis Estensis abjecit. Et Friscus, qui dominium Ferrariæ occupaverat, latitavit apud præsidium Venetorum, quod ad se vocarat contra eos, qui adversùs eum exercitum duxerant, & Arcem Castri Thedaldi Venetis tunc tradidit. Post hoc cum Populus Ferrariæ Arcem à Venetis peteret, nec daretur, orta est seditio subito. Tunc Veneti exeuntes, Regionem vicinam Arci incendunt, navibus suis per Padum discurrunt. Et fere naves omnes Ferrarienses incendio consumserunt. Inde bellum exortum est: utrique certant spiculis, ac machinis. Tamdem Cives Ferrariæ coacti pacem exposcunt, & obtinuerunt, habentibus Venetis Arcem, & Regimen Civitatis. Anno sequente mense Aprili Pax scinditur, & Ferrarienses collectis viribus Amicorum suorum de Bononia, & illorum de Polenta, viriliter Venetos impugnarunt.

Anno Domini MCCCIX. mensis Augusti. Quidam ex Venetis in dicto Castro Thedaldo inclusi Arcem deserunt, & nocte defugiunt. Mane facto, qui in Arce remanserant, illam dederunt Nuntiis Ecclesiæ, qui erant Ferrariæ, & cædes maxima facta fuit contra Venetos tunc repertos, tamquam contra damnatos per Ecclesiam. Eam Arcem gens Ecclesiæ munivit, & occupat Pontem, & Turrim imminentem Ponti, & Burgum Arci contiguum. Inde operâ & studio Dominorum de Polenta exercitum ducitur ad obsidendum Castrum Marcabò, quod Veneti tenebant in Districtu Ravennæ apud Sanctum Albertum: quod Castellum redditur intra mensem; salvis personis inclusorum exspoliatur, diruitur, & crematur.

Anno Domini MCCCX. Eclipsis Solis fuit mense Aprili hora diei decima.

Ferrariæ orta est seditio inter Populum, & Partem, quæ favebat Marchionibus, & Palatia Marchionum fuerunt igne cremata, & per Officiales Ecclesiæ residentes in Arce, multi ex popularibus Ferrariæ capti fuerunt, ex quibus circa XXVIII. in Platea suspensi sunt ad Furcas, aliquibus retentis, & pretio relaxatis.

Eo anno Provincia Romandiolæ recommendata fuit per Papam Regi Roberto, pro quo vênit Vicarius in Provincia Nicolaus Cazarolus, & post eum Gilibertus Catelanus, qui foveas Civitatis Forlivii æquavit. Et cepit Scarpettam, Pinum, & Bartholomæum de Ordelaffis, Fulcerium, & Nicolutium de Calbulo, & Dominum Marchexium, & Nerium de Argugliosis; sed Guelfos dimisit, & Ghibellinos retinuit.

Anno Domini MCCCX. Henricus de Lucem-

cemburgo Imperator electus in Italiam vênit mense Decembris. Papiam, & Mediolanum intravit pacificè, & exules in Mediolanum reduxit. Qui anno sequenti coronatus est Corona ferrea, & ejus fortiâ Guidettus de Turre expellitur Mediolano.

Imperator obsedit Brixiam exercitu maximo fere per menses quinque, Thebaldo de Brusatis, & suis sequacibus defendentibus Civitatem; qui in manus Imperatoris incidens crudeliter fuit occisus, & divisus in partes quatuor sine capite, & partes singulæ altis trabibus suspenduntur. Tamdem Civitas nimiâ rerum penuriâ tenuata, mense Decembri fecit deditionem.

Vincentia à Paduanis defecit, & datur Cani de Scala.

Concilium convocatur à Papa Clemente apud Viennam in Gallia.

Henricus Imperator, Ghibertum de Corrigio sibi fidum credens, præfecit Vicarium Civitatis Regii, & Parmam fidei illius commisit; & composito statu Urbium Lombardiæ, & Marchiæ Trivisinæ, profectus est Imperator Januam, ut ibi hyemaret cum copiis, ubi conjux ejus mulier timens Deum, ac pars non modica ejus exercitus lue defecit. Interim Ghibertus de Corrigio occultè adversatur Imperatori, confœderatis Florentinis, & Bononiensibus, ceterisque. Et primò occultè qui adversabantur Imperatori, ut exules Cremonæ hostes Imperatoris adivit, ut Cremonam intrarent, qua occupata per ipsos Parmam, & Regium rebellarunt.

Paduani quoque ab Imperatore deficiunt.

Rizardus de Camino Vicarius Imperatoris Tarvisiæ, qui illi obediebat fideliter, fratris sui fraude, & Guelforum de Padua, occiditur ab eo; cujus operâ homicidium fecerat, ne forte rei veritas sciretur ab eo.

Philipponus etiam Comes, qui Papiam pro Imperatore regebat, ab Imperatore defecit.

Anno Domini MCCCXII. Imperator instante vere de Janua profectus est Pisas; deinde Romam pervênit. Ursini enim plurimas Urbis munitiones & Loca occupaverant, introducto Johanne fratre Regis Roberti.

In Festo Ascensionis in Laterano, coronatus est Henricus per Cardinales, quibus commissum fuerat à Summo Pontifice. Dum quotidie bellaretur in Urbe, Papa jussit, ut abirent Roma, & paruerunt. Imperator veniens in Tusciam maxima damna Perusinis resistentibus intulit, & pervênit Aretium. Et inde agrum Florentinum pergit, & plura Castella devicit, quæ sibi venienti obstabant, & castra posuit juxta Florentiam. Erant Imperatori copiæ, ut dicitur, tria millia & quingenti equitum Germanorum, & sex millia peditum; Florentinis verò tria millia & quingenti equitum, & LX. millia peditum. Non tamen ausi sunt signis collatis se committere prœlio. Mansitque eo Loco Imperator usque in finem Autumni.

Eo anno Concilium solvitur, in quo inter cetera exauctoratur Ordo militum Sanctæ Mariæ de Templo.

Eo anno fere per totam Italiam caritas magna annonæ, vini, & omnium escalium; & lues, & mortalitas plus virorum, quam mulierum, & magìs locupletum, quàm egenorum.

Eo anno Franciscus Marchio Estensis gladio occiditur in Ferraria mandato Dalmaxii Ca-

A telani regentis pro Ecclesia in Ferraria.

Anno Domini MCCCXIII. Henricus Augustus manens exercitu suo apud Sanctum Cassianum, longè millibus octo à Florentia versùs Senas, sententiam tulit contra Regem Robertum, & in ejus perniciem affinitatem promisit, & fœdus firmavit cum Federico de Sicilia; & dum tempus instaret conveniendi cum dicto Federico contra dictum Regem Robertum, Henricus jam æger corpore contra consilium Medicorum ivit in agrum Senensem apud Bonconventum, ubi morbo invalescente migravit ad Dominum X. Calend. Septembris.

Pisani verò Florentinorum hostes, spe destituti Imperatoris, Ugutionem de Faziola

B sibi Ducem præficiunt.

Beatus Jacobus de Venetiis ad Christum Dominum nostrum redit, dando ei animam suam, & corpus Beato Dominico. In sepulcro marmoreo in Ecclesia Fratrum Prædicatorum conditur, & continuè miraculis decoratur, sub cujus nomine Ecclesia ipsa nuncupatur Forlivii.

Interea post mortem Imperatoris Ludovicus frater Ducis Baveriæ in Imperatorem eligitur per quinque ex Electoribus, & Federicus Dux Austriæ eligitur per duos, qui sibi invicem obstiterunt; & cædes, & bella plurima super contentionem Imperii per annos fere IV. in Germania intulerunt.

C Anno Domini MCCCXIV. Robertus Rex ex genere Karulorum cum gente maxima equitum & peditum in Siciliam transivit ad Portum Drepani, & ibi castra posuit, ubi diu stetit. Sed faciente Federico, exercitus Regius lue ac fame maxima laboravit, & multa millia hominum ibi extincta sunt, & redeuntes multi pelago periere.

Anno Domini MCCCXV. Clemens Pontifex Romanus in Gallia fato cessit. Cura ejus fuit in amœnitate, & numquam in Italiam ad Sedem Romanam venire voluit. Vacatio fuit ultra annum. Tamdem obsecrati Cardinales creaverunt Johannem Pontificem XXII. non tamen concordes, in Anno Christi millesimo

D trigentesimo decimo sexto mense Augusti.

Anno Domini MCCCXVI. Per hæc tempora vacationis obiit Rex Franciæ Philippus, non morbo fatali, sed accidentali. Venando ex cursu apri feri & maximi, conterritus est equus Regis, & ipsum excussit ex sella, altero pedum remanente in staffa, & per stipites eum traxit in tantum, quod membra collisa sunt, & post paucos dies terminum vitæ dedit. Cui successit in Regno filius ejus Ludovicus, qui modico tempore supervixit, uxore gravidâ, quæ filium posthumum peperit, qui paucis diebus supervixit; & illi successit alter Philippi filius, cujus nomen Philippus.

E Eo anno prœlium maximum apud Montem Catinum territorio Lucensi inter Principem fratrem Regis Roberti, Petrum ejus fratrem, & filium dicti Principis, Florentinos, & eorum sequaces ex una parte, & Ugutionem de Fagiola, Pisanos, & Lucenses, equites Germanos, & eorum sequaces ex altera. In quo fuit maxima strages, & ibi ceciderunt mortui Petrus frater Principis, & filius Ugutionis, & multi alii Nobiles. Victores in campo fuerunt Ugutio de Fagiola, & Ghibellini, & captum fuit Castrum per eos subito.

Anno Domini MCCCXVII. Dum Pisis Ugutio post dictum conflictum anno sequenti floreret,

reret, & filius ejus præfatus esset in Luca, ejus potentiæ tœdium Cives utriusque Urbis, communicato consilio, à se excusserunt, & clamantes liberos esse velle, ipsum, & filium de dictis Civitatibus expulerunt. Qui Ugutio cum filio apud Mutinam pervenit, & post honorifice receptus in Mutina.

Post hæc Paduani volentes Vincentiam recuperare de manibus Canis de Scala, cum maximo exercitu equitum & peditum equitaverunt, & in Burgos Vincentiæ intraverunt: quo sentito per Canem per insignia ordinata . . . .

Eo anno die penultima Februarii apud Burgum Vavari supra pontem fluminis Adduæ Comitatus Mediolani prœlium magnum fuit inter Raymundum Capitaneum, & gentem Ecclesiæ ex una parte, & Galeatium, & fratres ejus de Vicecomitibus ex altera. In quo gens Ecclesiæ succubuit, & Raymundus captus in fortia Vicecomitum; & Simoninus de Turre miles in flumen præcipitans cum equo periit. Alii plurimi utrinque peremti.

Eo anno die tertia Junii in Paschate Pentecostes Pandulphus de Malatestis, Malatesta, & Galeottus ejus filius, Rambertus, & Johannes de Malatestis cum VII. aliis eorum amicis, scilicet Muzolo Dotoli de Arimino, Odone Bernardini de Urbino, Gello de Galisidio, Raymundo Centio de Cæsena, uno de Bononia, uno de Castro Sancti Petri, & uno de Fano, sumserunt militare cingulum cum ingenti lætitia in Civitate Arimini: ad quorum honorem & gloriam omnes Nobiles quasi totius Provinciæ dona miserunt.

Eo anno mense Junii Dux Carentanæ, & frater Ducis Austriæ cum magna equitum comitiva de partibus Germaniæ in quantitate X. millium venerunt Paduam contra Canem de Scala, & Passerinum de Mantua, quorum adventus credebatur fuisse pro Ecclesia Romana. Sed dicti Tyranni Lombardiæ, oblatâ eis infinitâ pecuniâ, furorem mitigaverunt ipsorum, ita quod mense transacto repatriaverunt, illato Paduanis his, qui eos receperant, pluris damni, quam utilitatis.

Eo anno mense Augusti se paraverat Comes Montisfeltri cum uno ex filiis olim Comitis Federici cum exfortio Gibellinorum de Marchia, maxime de Firmo, & Fabriano, recuperavit Civitatem Urbini, & violenter expugnaverunt quemdam Montem-Cavallinum, quem Malatesti reposuerant.

Eo anno, & mense cum dicti Malatestæ occuparentur in Comitatu Arimini per offensionem illorum de Urbino, Cechus de Ordelaffis cum equitibus & populo Forlivii, & exercitu Cæsenæ Extrinseco equitavit Cæsenam, credens illam de manibus Malatestorum eruere; & aliqui, qui intraverant usque ad Plateam, violenter exclusi fuerunt per Cives. Et Clandellus de Alticlinis exititius dictæ Civitatis, qui intraverat, fuit in platea interfectus.

Eo anno die Martis penultima mensis Octobris Marchiones Estenses, scilicet Raynaldus, Obizo, & Nicolaus occupaverunt Castrum Argentæ de jure Archiepiscopatus Ravennæ, præsidente Archiepiscopo Domino Almerico de Castro Lucii, & Rectore Provinciæ Romandiolæ pro Romana Ecclesia.

Anno Domini MCCCXXV. Bononienses conflicti fuerunt apud Zapulinum à gentibus Mediolanensium, & comitiva Lombardorum.

Anno Domini MCCCXXVI. Dux Johannes filius Regis Roberti venit Florentiam, & Florentini tradiderunt sibi dominium Civitatis Florentiæ pro X. annis, ut ipse Dux destrueret Castrucium Dominum Lucæ, sed non potuit.

Anno Domini MCCCXXVII. Bononienses in seditione fuerunt, quoniam populi voluerunt ingredi Civitatem, sed non potuerunt.

Eo anno Forlivii rumor ingens, & bellum in Platea Communis oritur, occasione illorum de Argugliosis, qui ingressi sunt Civitatem, & cum occisione aliquorum ex utraque parte fuerunt iterum expulsi.

Anno Domini MCCCXXVIII. Imperator Baveriæ exivit Romam, & Viterbium peragravit. Tunc Romani vigore Regis Roberti posuerunt Romam in pristino statu.

Anno Domini MCCCXXIX. Muxottus de Sabbadinis Bononiæ captus est tamquam proditor, & ipse manifestavit alios proditores Communis Bononiæ, scilicet Archipresbyterum de Gallutiis, Nannem de Doctis, Colam Furlanum, Alberghettinum de Faventia, & Dominum Philippum de Asinellis; & fuerunt decapitati, quoniam dixerunt, se voluisse tradere Civitatem Bononiæ Bavaro Imperatori, qui tunc erat Cremonæ. Deinde dictus Imperator Parmam venit, ibi per aliquos dies stetit, deinde reversus est in regiones suas.

Anno Domini MCCCXXX. Dominus Beltramus Cardinalis Ostiensis, Bononiæ Legatus, jussit nova mœnia Civitatis Bononiæ ædificari. Post hoc parum construxit fortissimam arcem apud Galeriæ portam.

Eo anno eversæ fuerunt gentes Ecclesiæ cum Bononiensibus, & Domino Beltrando filio Regis Roberti, à Lombardis apud Mutinam.

Anno Domini MCCCXXXI. Cechus de Ordelaffis Capitaneus Forlivii, & Foropompilii, transportatus ab equo suo cecidit in terram; ita quod pluribus diebus in lecto languens, mortuus est, & sepultus fuit in Ecclesia Sancti Francisci Forlivii. Tunc Dominus Franciscus ejus frater Urbe potitus est.

Anno Domini MCCCXXXII. Beatus Frater Simon de Thodi Ordinis Eremitarum miraculis claruit.

Eo anno Forlivii rumor elevatus est de nocte in Platea Communis, in quo interfectus fuit Paulus de Ordelaffis frater Domini Francisci de Ordelaffis. Secum quoque interfectus fuit Andreas de Puntirolis, & talis interfectio facta fuit ab ignotis larvatis. Quamobrem captus fuit Dominus Petrus de Caudiferris, & Dominus Baptista ejus consubrinus cum quibusdam aliis, qui decapitati sunt.

Anno Domini MCCCXXXIII. Dominus Franciscus de Ordelaffis Capitaneus Communis Forlivii cum potentia Forliviensium equitum & peditum ivit Cæsenam, & ipsam habuit, quam extorsit de manibus Dominorum de Malatestis, cujus Dominio potitus est.

Anno Domini MCCCXXXIV. Dominus Cardinalis Ostiensis Legatus Bononiæ fuit expulsus de Bononia favore Domini Brandalisii de Gozadinis, qui primo in ipsum Cardinalem manum injecit.

Eo anno Marchiones Extenses rapuerunt Argentam de manibus Domini Legati, qui jam evaserat.

Eo anno mortuus est Papa Johannes XXII. Tunc in ejus successorem Benedictus Papa eligitur, qui fuerat Cardinalis de Ordine Cistelli.

Anno Domini MCCCXXXV. Bononiæ quidam rumor fuit, quia Jacobus filius Domini Thaddæi de Pepulis, volens Plebem Sancti Johannis in Perficeto, hanc petivit ab Episcopo Bononiense. Unde Episcopus nolens dictam Plebem sibi tradere, præfatus Jacobus injecit manu veloce alapam in facie dicti Episcopi. Tunc Dominus Episcopus evaginato gladio percussit super faciem dicti Jacobi. Tunc exclamatio ibi fuit magna, & occurrerunt Pepuli, & Gozzadini, & Samaritani cum favore amicorum; & tunc deprædata fuerunt omnia bona, quæ erant in Episcopatu.

Anno Domini MCCCXXXVI. Dominus Brandalisius de Gozadinis expulsus fuit de Civitate Bononiæ cum omnibus de domo sua, & quibusdam aliis, qui fuerunt omnes numero XXII.

Et eo anno Dominus Thaddæus de Pepulis factus est Dominus Bononiæ.

Anno Domini MCCCXXXVII. Forlivii Consilium generale factum fuit in Palatio Communis, in quo convenerunt omnes homines de Montanis de Castro-Cario, de Dovadula, de Foropompilio, de Bertinorio, de Meldula, de Galeata, & multi plures; & in quodam Parlamento extraneo facto per aliquos Cives capti fuerunt Johanninus de Arcolanis, & Bonfilius de Saxonibus, Thomas, & Johannes de Sperantiis, Pirellus de Palmeganis, & Dominus Valerianus de Baldonibus, qui statim fuit interfectus, & projectus in Platea extra fenestras. Alii verò in nocte sequenti fuerunt partim suspensi, & partim decapitati, & ibi magnus clamor & latratus hominum fuit.

Anno Domini MCCCXXXVIII. Mengotius de Ghisileriis Bononiæ captus fuit, & manifestavit se cum quibusdam aliis velle occidere Dominum Thaddæum de Pepulis, & clamare *Populus & Artes vivant*. Demum debebant introducere Dominum Brandelisium de Gozadinis, qui tunc debebat esse ad Portas: quis ob res præfatus Mengotius decapitatus fuit in Platea Communis Bononiæ.

Eo anno Dominus Thaddæus de Pepulis fecit exercitum magnum contra Hostaxium de Polenta Dominum Ravennæ, & combussit multa bona apud Ravennam, duce Jacobo Domini Thaddæi filio, qui tunc erat major natu.

Anno Domini MCCCXXXIX. Bononia excommunicata fuit, & divina Offitia ablata sunt propter inobedientiam, quoniam nolebant obedire Summo Pontifici.

Anno Domini MCCCXL. Bononia reconciliata fuit cum Summo Pontifice, & Offitia reddita sunt gratis.

Eo anno Commune Bononiæ juravit mandata Ecclesiæ. Tunc Sanctissimus Pater constituit Thaddæum de Pepulis in Vicarium Ecclesiæ.

Anno Domini MCCCXLI. Dominus Franciscus de Ordelaffis fuit excommunicatus propter inobedientiam, quoniam noluit solvere debitum Censum Cameræ Apostolicæ: quamobrem divina Offitia Forlivii ablata sunt.

Anno Domini MCCCXLII. Florentini tradiderunt Dominium Civitatis Florentiæ Duci Athenæ, qui tunc erat Florentiæ.

Anno Domini MCCCXLIII. Peruxini constituerunt exercitum contra Ariminenses, quorum dux & Dominus erat Pandulphus de Malatestis.

Anno Domini MCCCXLV. Dalphinus Vien-

A næ venit in Italiam, & peragravit contra Saracenos & Theucros per maria, primitus accedens Bononiam, Ferrariam, & Venetias.

Bononiæ optimi & excellentis famæ viri mortui sunt. Inter quos occubuit Jacobus de Butrigariis summus Legum Doctor, & Magister Albertusius magnus Philosophus & Medicus.

Anno Domini MCCCXLVII. obiit Dominus Thaddæus de Pepulis Bononiæ Dominus, febre. Cujus modico tempore fuerat dominium Urbis jam dictæ, & sibi successerunt duo ejus filii, videlicet Dominus Jacobus, & Dominus Johannes.

Ludovicus Rex Ungariæ venit in Italiam,
B & Apuliæ Regnum petiit, intendens vendicare mortem Regis Andreæ fratris sui, quem Regina Johanna suspendi fecerat. Postea migravit per Romandiolam cum magna equitum copia. Tunc Dominus Franciscus de Ordelaffis hilari vultu præfato Regi occurrit in itinere cum CCC. equitibus, & D. peditibus bene armatis, & comitatus fuit Regem usque in Apuliam, & ibi interemtio magna hominum in vindictam ejusdem fratris facta est.

Anno Domini MCCCXLVIII. mortalitas magna per totum ferè Mundum fuit. Cinus de Pistorio vir Legalis clarus undique habetur.

Ludovicus Rex Ungariæ cum suo exercitu ivit Salmonam, & ipsam suscepit. Deinde ivit
C Beneventum, & pariter eam adegit; & quamplurima Oppida ibi funditus submersit. Et cum ambulasset Neapolim, tunc Regina Johanna, timore navigio aufugit, & pervenit ad Civitatem Aquis in Provenzia. Deinde accessit Aversam Civitatem, in qua mortuus fuerat frater ejus, & multos Regales ibidem cepit, & scito loco, ubi mortuus fuerat Rex Andreas ejus quondam frater, decapitari fecit, manuque propria Durachii Ducem interfecit. Hoc facto Neapolim venit; tunc illi Regales sibi occurrerunt, & ingressus est cum magno gaudio in illam, ubi diu stetit.

In partibus Persiæ maxima quantitas ignis ab æthere descendit, qui combussit arbores,
D & homines. At fumum tantæ putredinis faciebat, quod qui odorabant, in proximis duodecim horis deficiebant. Tunc Januensium quædam naves circa partes illas pervenerunt, & statim quidam navigantium infecti sunt, & ubicumque dictæ naves peragrabant, ibidem maxima mortalitas insurgebat. Dum verò Constantinopolim, Peram, Siciliamque sulcarent, inficiebant omnes, & moriebantur. Postquam verò etiam Januæ aderant, statim mors rapida fuit, & multa hominum millia occubuerunt. Civitas verò Drepani tali morbo inhabitata remansit.

Anno Domini MCCCXLVIIII. Ludovicus Rex Ungariæ peste secessit ab Urbe Neapolis,
E & ivit in regionem suam. Tunc Regina Johanna ivit Neapolim, & illam cepit in suam.

Jacobus, & Johannes de Pepulis vendiderunt Bononiam Johanni Archiepiscopo Mediolani filio Maphei de Vicecomitibus Domino Mediolani.

Exercitus Domini Luchini de Vicecomitibus ab exercitu Domini Philippi de Gongiaga submersus est.

Anno Domini MCCCLIII. Dominus Frignanus de Scala rapuit Veronam de manibus fratris sui Canis de Scala. Sed in brevi Canis reassumsit dominium ope Domini Francisci de Carraria Domini Paduæ; & in quodam bello in

in Civitate facto Frignanus cecidit in Athesi, ubi suffocatus est.

Bononienses exclamarunt, liberos esse velle à jugo servitutis Johannis Archiepiscopi Mediolani. Unde bellum incœperunt, sed non obtinuerunt: propter quod plures capti sunt. Inter quos Dominus Dalphinus, & Calmarus de Gozadinis, Tuniolus de Bentivolis, Iacobus de Suricis, Brunus de Blancis, & Bonifacius de Galluciis decapitati sunt.

Johannes Archiepiscopus, & Dominus Mediolani occubuit. Cujus remanserunt tres nepotes, Mapheus, Galeaz, & Bernabò, qui & Civitates, quibus pater dominabatur, in tres partes diviserunt.

B Veneti, & Florentini duxerunt Comitem Landum de Alemannia exercitus Ductorem contra potentiam Vicecomitum, quorum exercitum fugavit in agro Mediolani.

Anno Domini MCCCLV. Johannes de Ulegio, qui pro Mapheo de Vicecomitibus Bononiæ regebat, dominium illius Urbis potitus est, expulso Mapheo.

Anno Domini MCCCLVI. Dominus Ægidius Hispanus Cardinalis duxit exercitum Ecclesiæ contra Faventiam, cujus Domini erant Johannes, & Gulielmus de Manfredis, & ipsam habuit; & guerra duravit à principio Maji usque in finem Septembris. Postea fuit contra Forlivium.

C Anno Domini MCCCLVII. Ægidius Hispanus Cardinalis cum Domino Malatesta Ungaro duxit copiosum exercitum contra Franciscum de Ordelaffis Dominum Forlivii, & ipsam Civitatem obtinuit à principio mensis Junii usque ad ultimum mensis Decembris.

Anno Domini MCCCLVIII. de mense Aprilis. Ægidius prædictus obsedit Foropompilium, & ipsum funditus diruit. Postmodum habuit Cæsenam, cujus Dominus erat Franciscus de Ordelaffis. Deinde Britonorium cavernis sub Arce factis cepit, & omnia Oppida, quibus jam dominabatur Dominus Franciscus; qui intendens ire Venetias, Clugiæ fato cessit.

(*Hæc pugnant cum vera Historia*)

D Mense Julii, & Festo Sancti Jacobi & Christophori, Comes Landus Alemannus conflictus est in Valle Amonis, ubi dicitur Scalelle, à Domino Johanne Alberghitini, & à montanis illius vallis.

Anno Domini MCCCLIX. Canis filius olim Domini Mastini de Scala Veronæ Dominus occidit fratrem suum. Deinde aufugit versus Paduam. Tunc factus est Dominus Civitatis Veronæ Paulus ejus frater minor natu; sed statim Paulus misit pro Cane, cui dominium Veronæ contribuit. Hinc paucis diebus Canis cepit dictum Paulum, & in carcere fecit decapitari.

E Anno Domini MCCCLX. Dominus Johannes de Ulegio tradidit dominium Bononiæ Ecclesiæ Romanæ. Tunc Blascus Fernandus Hispanus duxit exercitum Ecclesiæ in Bononiam. Et Dominus Ægidius Cardinalis suscepit dominium Bononiæ; sed Domino Johanni dicto, ab Ecclesia Civitas Firmi traditur ad ipsius vitam die primo Aprilis.

Dominus Simon Ungarus venit in Italiam cum magnis equitum & peditum copiis ad libitum Romanæ Ecclesiæ, & hostiliter Parmam obsedit, quam habuisset, nisi corrumperetur pecuniis.

Anno Domini MCCCLXI. Exercitus Ecclesiæ cum Bononiensibus destruxit magnum hostem Domini Bernabovis de Vicecomitibus apud Pontem Sancti Raphaëlis, duce exercitus Ecclesiæ Domino Comite Fernando, faventibus Domino Malatesta, & Domino Galeotto de Malatestis.

Anno Domini MCCCLXII. Mortalitas magna. Hugolinus de Gongiaga Dominus Mantuæ interfectus est à fratre suo, dolo & fraude Patris veteris, qui dicebatur Guido de Gongiaga.

Anno Domini MCCCLXIII. Azzo, & Beltraminus de Alidoxiis fratres, & Imolæ Domini, invicem bellarunt. Tunc Dominus Comes dictus cum gentibus Ecclesiæ, quas habebat Bononiæ, ivit Imolam, & eam accepit, exclusis Alidoxiis.

Anno Domini MCCCLXIV. Alidoxii habuerunt Imolam pacifice.

Anno Domini MCCCLXV. Dominus Raynaldus de Bulgarellis de Imola volens rapere Civitatem Imolæ de manibus illorum de Alidosiis, ipsos Alidosios infogavit in Palatio Communis; sed adveniente Todeschino fratre illorum de Alidosiis ab extra cum quibusdam peditibus, irruit in Dominum Raynaldum taliter, quod ipse fuit interfectus, & Pars ejus expulsa circa horam mediæ noctis.

Anno Domini MCCCLXVII. Papa Urbanus Quintus venit in Italiam, & ivit Romam die XVII. mensis Octobris.

Anno Domini MCCCLXVIII. Carolus Imperator cum Rege Bohemiæ venit in Italiam, & expulsus fuit extra Civitatem Senarum à Senensibus Intrinsecis, & multi sunt interfecti de parte Imperatoris. Post hæc dictus Imperator vendidit Lucam Civitatem Lucensibus Intrinsecis, & inde ivit Pisam; & prædictus Imperator expulsus est à Pisanis Intrinsecis, quorum auctor fuit Dominus Petrus de Gambacurtis. Tunc reversus est Imperator in regionem suam cum rubore maximo.

Anno Domini MCCCLXX. Papa Urbanus Quintus occubuit in Civitate Vinioni, & pluribus claruit miraculis, die tertio mensis Januarii.

Anno Domini MCCCLXXI. Gregorius XI. Papa ordinatur.

His temporibus floruit Raynerius de Arisendis de Forlivio, clarus & famosissimus Legum Doctor; cui successit Bartholus Saxoferratensis ejusdem facultatis Professor, ac ejus Auditor.

Franciscus Petrarcha Florentinus clarus undique merito habetur.

Anno Domini MCCCLXXII. Tempore Ecclesiæ Arces in his Civitatibus factæ sunt Bononiæ, Imolæ, Faventiæ, & Forlivii.

Jacobus Alegrettus Forliviensis Poëta clarus agnoscitur, qui plures Endecasyllabos Galli Civis Forliviensis Poëtæ invenit, & Arimini novum constituit Parnasum.

Forlivii ex quadam proditione contra Ecclesiam, ut dicitur, ordinata, sunt capti Paulus de Aspinis, Gellus de Astis, Rentius de Baldutiis, & Matthæus de Ragonibus, qui diu in carcere detenti fuerunt.

Anno Domini MCCCLXXV. Bononia facta est rebellis Ecclesiæ, faventibus Domino Thaddæo de Arisindis, Domino Ugulino de Malavoltis, Galluciis, Biancis, Ghiseleriis, Gozadinis, Bentivolis, & aliis pluribus, & ceperunt Cardinalem Sancti Angeli, quem derobaverunt.

Eodem anno. Ecclesia in partibus Italicis, dum

dum multis & variis Terris, Civitatibus, & Castris pacifice & quiete dominaretur, vi, amissione, & rebellione earum à Roma usque Bononiam revolutæ sunt, dante initio Monteflascono satis ab Urbe propinquo.

Eodem anno circa finem Decembris in Vigilia Sancti Thomæ Apostoli rebellavit Forlivium contra eamdem Ecclesiam. Et pars Ghibellina expulit Guelfam sibi valde imparem ac minorem; & fuit die Veneris de nocte, & duravit Regimen ad Populum fere XV. diebus. In Vigilia autem Epiphaniæ immediatè sequenti, quæ fuit die quinta Januarii, Pinus de Ordelaffis nepos olim Domini Francisci de Ordelaffis, ac filius olim Johannis, vênit Forlivium, & intravit Civitatem prima fere hora noctis. Alii autem de Ordelaffis non multum longè aberant à Forlivio. Die verò sequenti hora VI. quæ fuit dies Dominicæ, & Festum Epiphaniæ, venerunt Dominus Sinibaldus quondam filius Domini Francisci, & Cecchus, & Thebaldus nepotes ejus inter se consanguinei; & idem Dominus Sinibaldus repositus fuit honorificè in dominio ipsius Civitatis per universum populum, operâ tamen potissimè Petri de Pungiettis, Juliani de Nomais, Nerii de Florinis, Calbi de Moratinis, Ducioli de Latiovis, exclusis Legato Gregorii XI. Papæ, & Domino Cichino de Menghis, Azzone de Argugliosis, Jacobo de Caputeis, & Oddone de Oddis cum multis aliis faventibus Ecclesiæ.

Eodem anno fere omnes Tyranni, seu Domini, qui in partibus Italiæ pro Ecclesia à Terris propriis exulabant intra Lombardiam, & Apuliam, redierunt ad illas, ut prius erant ipsi, vel sui Prædecessores, expulso dominio Ecclesiæ cum furore.

Eo anno dum in tantis turbinibus Officiales, & status Ecclesiæ versaretur, Episcopus Civitatis Ostiensis, tunc Comes Romandiolæ, moram trahebat Faventiæ; qui videns ipsam Civitatem diversimodè agitari, dubitans de ejus seditione, vocavit Dominum Johannem Agutum cum Societate Anglicorum, qui commorantes ibi per aliquos dies, cum consensu ejusdem Comitis, ut creditum est, maximum scelus ausi, derobarunt omnes de ipsa Civitate Faventiæ, spoliando & deprædando Ecclesias, & Civitatem, ac eorum bona, pro libito eorum malæ voluntatis.

Papa Gregorius XI. in Italiam Britones duxit contra Bononiam, & fuerunt XII. millia.

Eodem anno populus Cæsenæ armis fuit contra Britones, oppositos sibi pro Ecclesia, qui statim miserunt Faventiam pro Anglicis. Inde simul invaserunt Cæsenates prostratos in maximo numero, Urbe deprædata, nulli parcendo, nec sexui, nec ætati, in qua perierunt circa III. millia personarum.

Nicolaus Marchio Estensis Faventiam habuit, quam emit XL. millibus Ducatorum à Domino Johanne Aguto.

Astorgius de Manfredis exul Faventiam furtive rapit, fugatâ parte Marchionis Faventiæ, & auxilium præbente ipsi Astorgio Domino ......, Sinibaldo Ordelaffo Forlivii Domino, & Johanne Aguto, qui sibi favit tunc, præcipue arbitrio Domini Bernabovis Ducis Mediolani.

Demum autem Marchio Nicolaus, amissâ in totum eâ guerram longam cum Astorgio contraxit.

Eodem anno sic destructâ Cæsenâ, supervenerunt quidam alii Italici, quorum dux erat Comes Albericus de Barbiano, & Venturinus de Cremona, & data fuit Murata Cæsenæ à dicto Cardinali, & Castrum remansit ad petitionem Cardinalis, qui statim inde recessit, & Cæsena remansit tripartita, scilicet per Castrum, Muratam, & totam aliam Terram, quarum partium trium quælibet tenebatur à proprio Rectore. Britones autem magnam partem diruerunt, & illi Italici multos Cives fugientes ceperunt, quos tamen redimi fecerunt.

Eodem anno de mense Augusti Societas Britonum transmissa, ut supra, per Papam Gregorium XI. numero verò fere XII. millium equitum tantum, duce eorum Domino Johanne Malastreto, recessit à Cæsena, quam prius derobaverant, euntes Faventiam pro defensione Castri, quod ibi obsidebatur ab Astorgio, & à Societate Anglicorum; nec valens subsidium dare, reversa est versus partes Romæ, ubi dispersa fuit ab Italicis, & pauci remanserunt.

Anno Domini MCCCLXXVIII. Dominus Galaottus Malatesta, Arimini, & multarum Terrarum Dominus, habuit Cæsenam sibi traditam per Papam Gregorium XI. quam cum magno labore, & solertia acquisivit cum Castro, & Murata, cum omnibus Terris Comitatus, pacifice exinde eamdem gubernans.

Eodem anno Papa Gregorius XI. moritur Romæ. Post quem electus est in Pontificem Urbanus VI. natione Neapolitanus, sub quo magnum Scisma per Cardinales Gallicos surrexit, & causa fuit maximæ dissensionis, & discordiæ in Italia. Nam tumultuantibus Romanis adversus Cardinales, & exclamantibus, se velle Romanum, aut Italicum Papam, illi Cardinales compulsi creaverunt concorditer omnes Urbanum VI., qui prius erat Archiepiscopus Barri, qui quidem, ut patuit exinde, visus fuit verus Papa esse, & Canonice electus fuisse. Cardinales autem Ultramontani, videntes se non posse; ut consueverat, usurpare, & quia etiam iste Papa eos non bene tractabat, & pejus satisfaciebat eis, aufugerunt de Roma in Anania, & creaverunt Cardinalem Gebennensem in Papam, non re, sed verbis, sed re potius, ut creditur, Antipapam, qui ex ejus malis operibus causa fuerat, ut Cæsena à Britonibus, & Anglicis derobaretur. Tamdem peragravit cum suis Cardinalibus Vinionum, & ibidem Cathedram tenuit.

Florentini rumores, & bella magna inter eos habere cœperunt, adeo quod plures sæpius armati in plateis venere, & partes ad invicem pluries prœliare voluerunt. Et mutatum fuit Regimen Priorum, & Officialium; & duravit hæc discordia fere per duos annos. Et tamdem multi notabiles, & nobiles Cives in ea fuerunt decapitati, quia dicebatur, quod volebant prodere Civitatem.

Carolus Imperator mortuus est, qui cum venisset pluries in Italiam, absque honore reversus est, cujus duo filii remanentes, neutiquam primogenitus Coronam habere potuit.

Anno Domini MCCCLXXVIIII. pugnantibus Venetis cum Januensibus invicem, expugnatur Clugia cum auxilio & copiis Ungarorum Regis, & Domini Paduani. Ipsa Clugia à Venetis devincitur, & recuperatur maximo cum periculo, & etiam deprædatur, duce Cecho de Ordelaffis pro Venetis.

Eo-

Eodem anno Societas de la Stella post multos hinc inde circuitus, invadens agrum Bononiensem, in ea existente duce Astorgio de Manfredis, & exinde se transferens in territorio Januensi, ab ipsis debellatur circa Bisagnum, & multi ex ipsis peremti, & quamplurimi capti, aufugiente tamen cum paucis Astorgio duce eorum.

Firmani pellunt extra Urbem Raynaldum de Monte-Viridi Urbis Firmanæ dominum, qui eos exterminabat.

Carolus de Duratio, qui de Pace dicebatur, nepos Regis Ungariæ venit in Italiam cum maximis Ungarorum copiis, & ivit in Tusciam, & Aretium habuit, faventibus Ubertinis, & Tarlatis de Petramala, & Bostolo ibi cive.

Propter quæ die XXV. Augusti Florentini timentes, aurum & dona Carolo ingentia tradiderunt, ac placarunt.

Eodem anno Dominus Sinibaldus de Ordelaffis Dominus Forlivii desponsavit Dominam Paulam Blancam, natam olim Domini Pandulphi de Malatestis, quam eo anno duxit in uxorem, tradente sibi Domino Galaotto.

Eodem anno præfatus Sinibaldus cum multa solicitudine & labore fecit pacem & concordiam cum Papa Urbano VI., & Ecclesia Romana, & acquisivit Vicariatum pro XII. annis cum certis pactis, pro quibus celebrata fuit in Civitate Forlivii magna lætitia & gaudium.

Eodem anno Franciscus de Manfredis frater Astorgii superius nominati relaxatur à Marchione Estense Nicolao de Ferraria, qui eum tenuerat in carceribus per sex annos, facta pace inter eum, & Astorgium, remanente Faventia ipsi Astorgio, qui eam prius abstulerat dicto Marchioni, cui dedit certam pecuniam.

Anno Domini MCCCLXXX. Raynaldus de Monte Viridi cum uxore, & tribus filiis in Castello Montisfalconi captus fuit, & ductus cum aliis Firmum Piceni Urbem, ibique capite truncatus, divisusque in quatuor partes, filiique cum XXIX. sociis laqueo suspensi ad murorum mœnia.

Eo anno Dominus Sinibaldus de Ordelaffis Dominus Forlivii Foropompilium nobile oppidum reædificat, quod prius destruxerat Ægidius Cardinalis Sabinensis.

Eodem anno Astorgius Manfredus adductis testibus contra fratrem Franciscum, quod eum volebat prodere & interficere (falsè tamen, ut dicitur) fecit ipsum capi, & carcerari in oppido Solaroli, jussitque in carceribus detrudi. Qui dum in Arce detineretur, ipse Franciscus cepit Castellanum ipsius Arcis cum sociis ejus, abstulitque Castrum de fortia dicti fratris, consentientibus & adjuvantibus hominibus dicti loci in majori parte.

Eodem anno de mense Junii Veneti post recuperationem Clugiæ perdiderunt nonnullas Terras in Histria, quas exinde eis abstulerunt ipsi Januenses una cum auxilio Regis Ungariæ.

Eodem anno Rex Carolus se transferens in Tusciam cum exercitu ejus potenti equitum, primo habuit sub ejus dominio Civitatem Castelli, quæ sponte sua eidem se tradidit, in qua diu stetit cum copiis suis. Tamdem accedens versus Florentiam, dando nomen, velle eam expugnare, & ipsi Florentini viriliter cum gentibus suis se defendentes, tam- A dem inito fœdere inter eos, receptis pecuniis ab ipso Rege, ut ferebatur, non in parva quantitate recessit.

Anno Domini MCCCLXXXI. Johannes Malastrectus Neapoli occubuit, ibique defunctus est.

Antonius filius olim Canis de Scala amore concubinæ occidit Bartholomæum fratrem suum natu majorem, dictæque Urbis dominium pro se arripuit. Aretii Gubernator Caroli de Pace positus est in carcere, ubi veneno vitam finivit.

Die XXIV. Julii Romæ Carolus de Pace coronatur per Papam Urbanum VI. corona Regni Apuliæ ac Siciliæ. Hinc paucis diebus B ivit Neapolim, eamque Urbem ingressus fuit. Regina vero nomine Johanna aufugit in quamdam Arcem, statim per Carolum obsessam.

His stantibus Dominus Otto Germanicus, maritus Dominæ Reginæ, cum suo exercitu intravit Neapolim, ubi prœliavit contra Carolum, multis ex utrisque partibus interemtis, & Ottone, & ejus fratre captis.

De mense Novembris Aretii fuerunt rumores & bella in Civitate inter Ubertinos, & illos de Petramala, Officiale expulso Regis Caroli de statu. Comes Albericus de Lugo cum armigeris ingressus est Urbem per viam Arcis, faventibus Bostolis ibidem Civibus, qui tunc Urbem spoliat & incendit.

C Veneti contra Ducem Austriæ guerram agunt, ornatum Ungarorum subsidio.

Anno Domini MCCCLXXXII. Die XIII. Augusti Dux Angiò Ludovicus cum Comite Sabaudiæ socio, venit in Italiam cum fere LX. millibus hominum armatorum contra Carolum Apuliæ Regem.

Regina Johanna jam vetula, mulierum nobilissima, in Neapoli Urbe occiditur per Regem Carolum, arbitrio, ut dicebatur, Ludovici Regis Ungariæ cum qua plurima bella jam fecerat. Quæ quidem Regina tribus diebus in platea dictæ Civitatis in ejus contemtum insepulta jacuit, peremtis pluribus nobilibus consociis morti Regis Andreasii viri D olim dictæ Reginæ; & merito propter eorum proditionem nefariam.

Ludovicus Rex Ungariæ, qui olim venerat in Italiam, diem suum functus est. Et tunc errabat Stella Cometes radiis crinitis mirabiliter ornata, ostentans mutationes Regnorum, & mortem Principum de Octubri.

Eodem anno invaluit pestis in Castro Cario, quamplurimos interfecit, quæ se inde extendidit ad Villam Massæ, & deinde Forlivium circa principium Maji, & exinde Faventiam, & Imolam, usque ad Castrum Sancti Petri, & per montaneas partes quamplures delevit, & maxime in Forlivio, ac insæviit in Ungaria, & Candia.

E Eodem anno XIII. Augusti Dux Andegaviæ, unà cum Comite Sabaudiæ in agro Forlivii pervenerunt cum circa L. millibus armatorum, & transierunt juxta portam Sclavoniæ, & castramentati sunt in Villa Ronchi, & Dominus Guido de Polenta Dominus Ravennæ tunc adhærens Antipapæ, dedit eis victualia, & associabat eumdem Ducem, quando transibat juxta Civitatem: quæ gentes combusserunt multas Villas Comitatus Forlivii, scilicet Villas Ronchi, & Bagnoli, & Carpenæ suasione dicti Domini Guidonis, & fecerunt multa machinamenta pro debellanda ipsa Civitate, persuadente etiam Domino Episcopo Axiensi,

olim

olim Comite Romandiolæ supranominato, propter certas injurias sibi illatas ab Ordelaffis. Et stantibus illis aliquibus diebus in Villa Franca, ad quam redierant pro suo commodo, dum non possent habere victualia à Domino Galaotto, recesserunt à Comitatu Forlivii, & ad Comitatum Cæsenæ, & Britinorii accesserunt.

Et eodem anno & mense Comes Albericus de Barbiano dux societatis Italicorum, cum multis nobilibus & probis Armigeris existentibus secum, timentes incursum Regis Andegaviæ, de Marchia se transtulerunt Romandiolam, se reducendo in Civitate Forlivii, & erant forte CCC. equites, qui ibi moram traxerunt, donec dux præfatus Romandiolam transivit, quod fuit suffragium magnum Forliviensibus, quia fere omni die moriebantur in Forlivio circa centum personæ de morbo.

Eodem anno de mense Julii Dominus Galaottus de Malatestis fecit fieri muros Civitatis Cæsenæ, & in brevi fecit, destructis certis Monasteriis & Villis extra dictam Civitatem, ob timorem dicti Ducis, & suarum gentium, ne prope Terram possent allogiare.

Eodem anno die XIV. mensis Augusti. Accensus fuit ignis magnus in Civitate Forlivii in contrata Lugareti, circumdata ipsa Civitate à gentibus Ducis Andegaviæ, & fuit accensio ipsa circa secundam horam noctis, quæ adeo crevit irreparabiliter, quod bene combussit domos XXIV. cum magna quantitate frumenti, & aliorum victualium, cui precesserat apparitio unius signi magni, videlicet Asub, quod paulo ante apparuerat similiter in Civitate Ferrariæ.

Eodem anno die XVI. mensis Augusti obiit nobilis vir Thebaldus de Ordelaffis, natus olim Domini Ludovici, qui sepultus fuit prope Altare Capellæ magnæ post, ætatis suæ annorum 29. de morbo.

Eodem anno & mense obiit Dominus Ludovicus Dominus Mantuæ, & duo Duces Venetorum eodem perierunt.

Anno Domini MCCCLXXXIII. die VIII. Februarii famosus & celeberrimus Doctor utriusque juris Dominus Johannes de Lignano anno ætatis suæ LXV. de vili progenie ortus, sed virtutibus meritisque suis famæ toto Orbe notus obiit, & fuit sepultus in Sancto Dominico.

Eodem anno de mense Martii Dominus Comes Sabaudiæ, qui socius fuit Ducis Andegaviæ contra Regem Carolum, diem suum funxit extremum in Civitate Neapoli, & ossa sua transportata ad partes suas.

Dux Angiò Ludovicus habuit Coronam Regni Apuliæ, quamquam Rex Carolus esset in Civitate Neapolis potens, & in aliis Uobibus.

Cervia Romandiolæ Civitas sub dominio Guidonis de Polenta Ravennæ Domini, capta est per gentes armorum Galaotti Malatestæ Capitanei, duce exercitus ejus Comite Lucio, olim filio Comitis Landi Alamanni, captisque per eum Polenta, & Coglianello oppidis Ravennatibus.

De mense Septembris ob interitum præmissi Regis Caroli Apuliæ, & Ungariæ, Barones inter se hostiliter dimicabant. Quamobrem bello maximo & lethali Reginæ exercitus vetulæ, & Grandis Comitis conflictus est, captis, & peremtis crudeliter Reginâ, & Grandi Comite, ac fratre Grandis Comitis, stantibus in

A quatuor partes divisis, & eorum capitibus Neapolim delatis. In quo bello X. millia sellatorum gladio succubuere.

Eodem anno de mense Junii. In Civitate Ferrariæ ingens & validus ignis invaluit, in tantum, quod combustæ fuerunt circa CL. domus cum maximo damno; & fuit directe in illis diebus & locis, ubi antea fuerat accensus anno 1381.

Eodem anno valida carestia in Regno Apuliæ fuit, ubi maxima multitudo utriusque sexus periere ex fame, quia pascebant herbas more bestiarum.

Eodem anno Bononiensium gentes de mense Junii adversus Astorgium in agro Faventino fecerunt insultum, & multos ceperunt rusticos, & animalia, & duxerunt illos Barbianum.

Eodem anno in Civitate Augubii dum per Florentinos insidiaretur ager ejus Territorii in detrimentum Comitis Antonii de Monteferetro, idem Comes intrepide ivit Augubium, & quosdam Cives seditionem machinantes cepit, ex quibus aliquos relegavit, & plurimos culpabiles peremit.

Anno Domini MCCCLXXXV. die 13. mensis Decembris hora 8. noctis die Mercurii, captus fuit Dominus Sinibaldus de Ordelaffis proditorie à Cecho, & Pino de Ordelaffis, & infrascriptis Civibus, videlicet Johannes Menghini, Thomas de Salaghis, Franciscinus de Latiosis, Cola de Latiosis, Magister Vesius de Latiosis, Johannes Marchoaldi, Franciscus de Russis, Saladinus de Puntirolis, Nardinus de Fornace, Panighinus Aromatarius, Magister Melettus de Russis, Dominus Abbas Sancti Mercurialis, Frater Benollus, Johannes Pighini de Coltrariis, Bernardinus de Mazengola, Franciscus Guialinus, Nicolaus de Pregalea vocatus Sescalchus, Philippus Faber de Castro Cario, Paulus Moratinus, & Guardi ejus frater, Paladinus Molendinarius, Andulphinus de Ghisleris, Salimbenus de Benincasa, Cichus de Astis, & frater ejus, Raynaldinus Pilipario, & Dondo ejus frater, Gasparinus Blondi, Miniatus Gondi, Bertholdus Brunetti, Franciscus Rufanellus, Christophorus Tendi, & frater ejus, filius Fratris Jacobi Pilipari, Johannes Marthæi, & Ludovicus ejus frater, Ser Marnelettus, Ludovicus Moratinus, Ludovicus frater Magistri Meletti, Paulus ab Oriolis.

Anno Domini MCCCLXXXVII. die XXIX. Februarii. Comes Corradus, nepos Comitis Lucii Theotonici, armorum dux, apud Forlivium captus est à Ceccho, & Pino de Ordelaffis, & à Populo Forliviense, fuso & fugato ejus exercitu. Comes vero Lucius Ravennam aufugit cum III. millibus equitibus, qui insecutus, solus, vel cum paucis evasit, favente Forlivienses Guidone de Sciano Senensi cum Philippino de Verme socio.

Die XI. Martii. Exercitus Antonii de Scala Veronæ Domini aggressus est Castra Francisci veteris de Carraria Paduæ Domini, & conflictus fuit & fugatus apud Castagnarium, captis Staxio de Polenta, & Johanne Ordelaffo ducibus.

Die VI. Martii. Præfectus de Vigo à gentibus Ecclesiæ obsidiatur in Civitate Viterbii, ubi à Populo dictæ Urbis interemtus est, dominio ipsius Rectoribus Ecclesiæ remanente.

De mense Junii. Galeaz de Vicecomitibus Virtutum Comes inclytus Mediolani Dux una

cum

eum exercitu Francisci de Carraria fere X. millium equitum bellatorum apud Veronam castramentatus est, & illam potitus est die XVIII. Octobris factione Civis Gulielmi Bivilaquæ, Antonio de Scala cum filiis profugo Venetias eunte.

Otto de Bresvich olim maritus Reginæ Johannæ ingressus est Neapolim cum gentibus suis, & ea potitus est, Civibus contentis.

Comes Virtutum Dux Mediolani Vincentiam cum Castris omnibus, quæ maxime fuerant Antonii de Scala Veronæ Domini, libere obtinuit. Et factus est Capitaneus generalis dicti exercitus Dominus Johannes Azzonis de Ubaldinis, cum quo plurimi Nobiles convenerunt. Inter quos fuit Johannes de Ordelaffis. Qui primitus se transtulerunt in agro Bononiensi, ubi moram traxerunt pluribus diebus, cum quibus fuerunt concordes; & euntes contra Civitatem Forlivii, & Domin ejus, protestando, se velle dominium pro dicto Johanne, qui habebat CCC. equites cum aliquibus peditibus, & exitiis; & accedendo ad Oppidum Aureoli, petebat illud, ut de hereditate paterna, cui nihil aliud responsum fuit, nisi cum balistis & sagittis. Et deinde accedens ad Castrum Flumanæ, similiter factum exstitit. Tamdem tendens ad Oppidum Caminatarum, nihil aliud boni attulit; quin immo cum sagitta in ilio est vulneratus leviter. Et exinde se transtulit ad Castra Archiepiscopi Ravennatis supra Cæsenam, scilicet Tuduranum, & alia. Et Sociales prædicti præparantes se ad pugnam contra Castra Territorii Cæsenæ, primo expugnaverunt Castrum Lugararii, satis pingue, saccomanantes illud, & plurima alia Castra habuerunt in dicto Territorio ob timorem Pugnæ & debellationis. Inter quæ fuit Casalbonum, Polenta, Coglianellum, & multa alia. Et transeuntes flumen iverunt ad Castrum Sancti Archangeli, & Longiani, & ipsum Castrum expugnantes obtinere non valuerunt: unde coacti sunt retrocedere, venientes Bertinorium, & exinde Ravennam: & discordantes se ad invicem, Johannes Ordelaffus accessit ad stipendia Dominorum de Malatestis, relinquens dictam Societatem, & Dominum Johannem Azzonis; & demum Societas ipsa ob pecuniarum penuriam ad nihilum est reducta.

Anno Domini MCCCLXXXVIII. die XXVI. Martii. Nicolaus Ferrariæ Estensis Marchio Ferrariæ, & Mutinæ, & Terrarum multarum Dominus febre moritur. Qui vir bonus fuit in Populo; & ei successit Albertus Estensis Marchio in dominio.

Franciscus Gongiaga Mantuæ Dominus, Phœbum ejus fratrem capi facit, & in carcere mancipatum decapitari facit.

De mense Junii Castrum Bononiense à Bononiensibus fundamenta suscipit inter Imolam, & Faventiam.

Die V. Augusti. Antonius de Scala olim Veronæ Dominus veneno sumto à quodam consocio, miserabiliter occubuit in montibus Forlivii apud Tredotium.

De mense Augusti. Civitas Patavina obsessa à gentibus armorum Galeaz Ducis Mediolani, & Venetorum, deditionem facit, fugato Francisco de Carraria, qui paulo post pacifice accedens ad dictum Galeaz visendum, captus est, & in carcere Brixiæ detrusus die primo Decembris. Exinde Trivisium jam detentum per Franciscum patrem Francisci junioris, in manibus Venetorum libere arbitrio eorum, & omnia Castra pariter deditionem faciunt.

De mense Decembris. Guerra exorta est inter Imperatorem, & Regem Franciæ hostes.

Nix magna fuit per totam fere Lombardiam, Romandiolam, & partes Venetiarum, ex quibus vineæ, olivæ, & arbores exsiccatæ sunt.

Albertus Marchio Estensis Ferrariæ capit Oppizonem nepotem suum cum matre ipsius Oppizonis, quos nocte in Palatio jugulari facit, & honorifice sepeliri, & exinde matrem in Pado jubet projici.

Anno Domini MCCCLXXXIX. de mense Junii. Domina Valentina filia Galeaz Comitis Virtutum nubit fratri Regis Franciæ Duci Aureliensi.

De mense Julii. Epidemia maxima in Romandiola, Venetiis, & Marchia, necnon Romæ acriter urget.

Eodem anno de mense Junii. Apud Durachium Amoratho Theucrorum Rege Græciæ & Dalmatiæ agrum devastante, & omnia depopulante, contra Christianos horrida bella committuntur; sed contra Theucros quibusdam conjuratis Christi-Fidelibus, Rege Rassi, Rege Ungariæ, Comite Lazaro, & Domino Johanne Banno cum Crucesignatis interemtus est ipse Amorattus, utroque exercitu in campis remanente, maxima tamen cum cæde.

De mense Septembri. Bononienses expellunt Rectores Urbani VI. Papæ, & dominium eorum Urbis transtulerunt Antipapæ Gallo, qui morabatur in Gallia. Et Vexilla Regis Franciæ in Palatio, & super Turres Civitatis posuerunt.

Die XIV. Octobris. Urbanus Papa VI. annis XI. moritur Romæ. Fuit enim vir pessimus, crudelis, & scandalosus, absque consilio Cardinalium, cujus dolis scismata incœpere in Ecclesia Christi. Et successor in Pontificatu electus est Perinus Neapolitanus Cardinalis Sanctæ Anastasiæ, qui dictus est Bonifacius Papa Nonus.

De mense Octobris. Terræmotus maximus fuit maxime in Tuscia in Civitate Castelli, & in Castro Duranti, Mercatello, & Burgo Sancti Sepulcri, & multæ domus ceciderunt, & per Italiam fere omnes senserunt.

In Castro Carpi discoperta fuit proditio quorumdam Civium contra Dominos dicti Castri, filios olim Domini Ghiberti de Pigliis, & plures ex illis proditoribus occisi, inter quos nonnulli Religiosi accusati, capti, & detenti, & tamdem relaxati.

Anno Domini MCCCLXXXX. die XXVIII. Januarii. Guido de Polenta Ravennæ Dominus captus est à filiis suis Oppizone, Staxio, & Petro, à quibus in carcere detentus obiit. Fuit autem perniciosus. Uxorem ejus pulcherrimam contemsit sodomitice vivendo. Pueros ultramodum dilexit, & mulieres omnes odio summe habuit.

Eodem Anno. Magna penuria frumenti fuit Romæ, in Tuscia, Piceno, & Romandiola, adeo quod libræ CC. frumenti erant in pretio Ducatorum quatuor.

Die XV. Junii. Franciscus Novellus de Carraria nocte ingressus est Paduam cum paucis, quam faciliter obtinuit, sibi faventibus Stephano Duce Bavariæ, qui paulo ante venerat in Italiam, & à bonis Amicis recuperata Arce.

Eo tempore Perusii exulibus Civitatem ip-

sam ingressis, civile bellum inter eos peragunt, quorum ultra centum viros peremti strage reperiuntur.

Die XXVI. Junii. Veronenses renuerunt dominium Comitis Virtutum: propter quod illico exercitus dicti Comitis, qui erat prope Paduam, supervenit, & per viam Arcis Civitatem Veronæ intravit, multis Civibus peremtis, & Urbe prædata.

Eodem tempore. Johannes Azzonis de Ubaldinis vir bellicosus, & Dux Galeazii Virtutum Comitis, & Domini Mediolani, assumto Peruiis veneno, in Civitate Senensi occubuit.

Ludovicus filius Ducis Andegaviæ ab Antipapa de Regno Apuliæ coronatus cum copiis magna classe in Italiam se transtulit, deinde Neapolim pugnaturus contra Vincislaum, olim Regis Caroli natum. Qui de dicto Regno per Papam Bonifacium coronatus exstiterat.

Eodem Anno. Fideles Christi Barbaros pellunt Barbaria, & quasdam Provincias capiunt, duce Christiani exercitus Conciaco Duce Borboniæ. Postea vero venerunt in Italiam apud Neapolim, citra & ultra Pharum, ut dicebatur, in subsidium Ludovici filii olim Ducis Andegaviæ.

Spoletani eorum Urbem tenent, expulso Regimine Ecclesiæ.

Eodem anno. Dominus Raynaldus de Ursinis, qui se adhærebat adversariis filii Regis Caroli, scilicet filio Regis Andegaviæ, & Antipapæ, dum esset in Civitate Aquilæ, quæ per eumdem Dominum Raynaldum quasi pleno dominio tenebatur, nomine tamen dicti Ducis Andegaviæ, sive ejus filii: ipse Dominus Raynaldus interemtus fuit, & letaliter frater ejus vulneratus ab Adærentibus filii Comitis de Aquila; & omnes suæ tantæ Civitates & Castra se tradiderunt dominio Ecclesiæ Romanæ.

Eodem Anno. Exercitus maximus equitum & peditum Domini Galeaz Virtutum Comitis venit in agro Bononiensi prope Civitatem. Quod exercitum fuerat contra Florentiam, Domino Johanne de Ubaldinis, & Domino Ugolotto de Blancardis conductoribus, qui contra Florentinos guerram incœperunt. Contra vero Bononienses erat Dominus Jacobus de Verme, Dominus Albertus Estensis Marchio, & Dominus Franciscus Mantuæ Dominus. Nam credebatur, quod Bononia faceret modicam resistentiam, quod aliter evenit. Similiter contra Florentiam conspirabant Civitates Perusii, & Senarum, ab ipsis ante oppressæ. Bononia autem, & Florentia, Domini Imolæ, & Faventiæ, videlicet Astorgius, & Civitas Pisana, erant in ipsa Liga & guerra contra antedictos Dominos, præcedente diffidantia cum Litera *Pacem Italicam &c.*

Eodem anno. Jubilæus generalis Indulgentiæ fuit Romæ celebratus per Bonifacium Papam Nonum, sed ante ordinatus ab Urbano VI. Papa: propter quod per Ferrariam & Ravennam Ultramontani Romipetæ innumerabiles transibant pro Indulgentia; & dicebatur, quod omni die transibant per dictas Civitates ultra IV. millia ex ipsis Peregrinis.

Anno Domini MCCCLXXXXI. die XI. Februarii. Franciscus Mantuæ Dominus uxorem ejus nomine Agnetem, olim natam ex Bernabove Mediolani Duce, adulterio corruptam decapitari facit, & cum ea famulum pariter fontem.

A Buldrinus armorum ductor, vir pravus & crudelis apud Maceratam interemtus est à familia Bartholomæi de Sancto Severino. Nam Boldrinus præfatus Bartholomæum privaverat dominio dicti sui Oppidi.

De mense Maji Stella Cometes apparuit, obscura & prava, circa stellas Ursæ Majoris, quæ per Cœlum errabat crinibus non multum luminosis.

Die XXV. Julii. Johannes Arminiaci Comes cum copiis Alexandriam obsidet adversùs Galeaz Mediolani Ducem. Et in quodam bello apud dictam Civitatem facto susus fugatusque est ipse Johannes cum suis copiis, innumerabili strage, ductoribus Galeaz Vicecomite, Jacobo de Verme Veronense, Ugulotto, Broglia, & Brandolino Foroliviensi.

B

De mense Augusti. Multa Oppida à Florentinis in territorio Aretino ruinantur.

De dicto anno & mense. Guerra ingens & valida incœpta fuit inter Dominos de Malatestis ex una parte, & Comitem Antonium de Urbino ex altera.

Eodem millesimo die nona mensis Julii. Sagittæ sex de Cœlo cadunt in dimidia hora cum maximo totius Populi timore ac tremore.

Anno Domini MCCCLXXXXII. Pax contracta est de mense Februarii inter Galeaz Ducem Mediolani, & Florentinos cum eorum Adhærentibus, pacto inter eos firmato, quod Dominus Paduanus annuatim solvere deberet præfato Domino Duci ducatorum X. millia usque ad annos L. cum multis aliis Capitulis.

C

De mense Aprilis. Antoniottus Adornus, favente Galeaz Comite Virtutum, Januæ Ducatum obtinet, & quosdam viros de Flisco interficit. Post verò duobus mensibus elapsis, expulsus est de Civitate, Populo contra eum sublevato.

De mense Julii. Antonius Comes Urbini cum suo exercitu furtivè rapit Oppidum Cantiani.

Alphonsus Aragoniæ Rex propter jura uxoris ejus, quæ habere prætendebat ex hereditate Regis Siciliæ jam defuncti, Insulam illam capit peremtis adversariis.

D

Eodem anno. Otto de Bresvich, & Comes Albericus de Cunio armorum ductores Reginæ Margaritæ, olim uxoris Caroli Regis Apuliæ pro filio dicti Caroli, debellati, & capti fuerunt apud Tarentum à Comite Tricaricensi de Sancto Severino, armorum gentium ductore filii Ducis Andegaviæ.

Die XXV. Octubris. Jacobus de Appiano Pisis adhærens Petro de Gambacurtis tunc in eadem Civitate Dominanti, assumtis quibusdam pravis hominibus de Garfagnana territorii Lucæ, in dictum insurgit Petrum, & ejus filios, quos interfecit juxta eorum Palatium, interfectis ibi Lanfranco, & ejus filio cum quibusdam Petro adhærentibus, remanente exinde Domino Jacobo Domino & Rectore Civitatis cum Vanne filio eâ ordinante.

E

Eodem tempore Castrum Reversani per manus Ubaldini translatum est sub dominio Cecchi, & Pini de Ordelaffis.

Malatesta Domini Pandulphi Pisauri Dominus potitus est dominium Civitatis Tuderti cum consensu partium habitantium, & Exitiorum, contra voluntatem tantùm Papæ.

Anno Domini MCCCLXXXXIII. die XVIII. Februarii. Cattelina uxor Cecchi de Ordelaffis peperit filiam hora Tertiarum. Et tunc di-

disponsata fuit quædam filia Domini Guidonis de Polenta, quæ vocabatur Domina Sutina cuidam filio Dominæ Gentilis de Camerino, quam desponsavit ejus nomine Comes Antonius de Monte Granelli Ferrariæ.

Staxius, & Bernardinus Domini Civitatis Ravennæ miserunt desponsandas duas eorum uxores Nobiles Dominorum de Carreto de Pedemontium.

Eodem anno de mense Aprilis. Forlivienses habentes quemdam tractatum cum Exititiis Bertenorii, noctis tempore insultaverunt ipsum Castrum; & insurgente clamore contra eos, coacti retrocedere, ruendo de muris, & aliqui capti suspensi sunt. Et accedens mane ibi Dominus Pinus cum gentibus suis, & populo, insultum fecit usque ad Terram ipsam personaliter, & castramentatus est prope Portam Bertenorii; & existens cum Domino Corrado Prospero dictam Terram pluribus diebus cum maximis bombardis illam molestavit, faciendo Bastitam in Monte Madio. Qui Pinus ob mandata Papæ est coactus desistere.

Die XI. Junii. Natus est filius masculus Domino Pino de Ordelaffis ex Domina Venantia ejus uxore: de quo multum exultaverunt omnes Cives, & lætitiam fecerunt per octo dies, quæ illico redierunt in luctum, quia mense sequenti VIII. die puer ipse defunctus est.

Die XXIX. Julii. Albertus Marchio Ferrariæ moritur hausto veneno, qui apud Ecclesiam Majorem in Mausoleo pulcherrimo sepelitur, relinquens puerum ejus filium octo annorum heredem, qui obtinuit, Florentinorum auxilio, Vicariatum, quem jam à Papa Bonifacio obtinuerat.

Die VIII. Augusti die Jovis. Carolus, & Pandulphus de Malatestis cum magno exercitu peditum & equitum aggrediuntur copias Forolivienses, quarum ductores erant Cecchus, & Pinus de Ordelaffis. Bellum atrox inter eos initiatur juxta Villam Bosecli fere per milliare unum, & prope Forlivium. Ferebatur enim, Astorgium de Manfredis oppressisse gentes armorum in Urbe Faventiæ, quæ veniebant in auxilium Forliviensium. Et dum partes discurrerent ad invicem una contra aliam, insidiæ gentium, quæ erant in Buseclo, ruentes contra gentes armorum, & partem populi Forlivii cum magno clamore posuerunt eos in fuga & conflictu, capiendo multos ex Civibus versùs Urbem declinantibus, capiendo circa CCC. Cives, de quorum numero pauci fuerunt villici. De mense verò Octubris inter ipsos inimicos Pax conclusa fuit.

Franciscus de Carraria Senior, olim Paduæ Dominus, moritur in carcere sub custodia Galeaz Ducis Mediolani. Cujus corpus delatum est Paduam.

Civitas Narniæ cum quibusdam aliis Civitatibus Piceni prius rebellatæ Ecclesiæ Romanæ, sponte sua deditionem faciunt.

Anno Domini MCCCLXXXXIV. die XXII. Martii. Johannes Agutus regressus est in Italiam cum multis armorum copiis, & iens Florentiam, ibi defunctus est ingenti cum fama.

Die XXII. Maji. Burdus de Michilettis Perusinus Civis Assisium intrat proditoriè, quod obtinuit in vita Papæ Bonifacii pro Ecclesia.

Die XIII. Julii Carolus & Pandulphus de Malatestis Castrum Britinorii emunt à Papa Bonifacio, XXII. millibus Florenorum.

Centum fere naves in diversis diebus naufragium fecerunt in Mari Adriatico inter Venetias, & Anconam.

Anno Domini MCCCLXXXXVI. Papa obtinuit Viterbium, expulso Præfecto post multam obsidionem. His quoque diebus obtinuerat Firmum Piceni Urbem.

Anno Domini MCCCLXXXXVII. Beatus Frater Marcolinus Ordinis Prædicatorum Forlivii moritur, & multis coruscavit miraculis.

Mostarda Forliviensis armorum Ductor, Papa jubente, cum suis gentibus furtivè Esculum Piceni Civitatem obtinuit quibusdam peremtis Civibus.

Anno Domini MCCCLXXXXVIII. Multæ Stellæ ad modum ignis ceciderunt, quas Asub vocant. Tunc pestis totam fere Italiam invasit.

Comitiva armorum, quæ Rosa vocabatur, cujus Ductores erant Bartholomæus Gongiaga, & Johannes Buscareti, apud Forlivium à Pino Ordelaffo debellata ac profligata est.

Anno Domini MCCCIC. Homines utriusque sexus, alba linteamina induentes, Alpes ex Gallia penetrant, & Romam tendunt, pœnitentiam peccatorum agentes, flagellis in terga. Res ipsa dicitur habuisse ortum in Ybernię, seu Scotiæ partibus, ubi tradunt, Christum cuidam aranti rustico apparuisse, quærentem ab eo panem, & fontis aquam, & plura: unde tota ob hoc miraculum Europa commota est: tantum Populis & Nationibus devotio creverat; induti enim ii primo fuerunt CCCCL.

Eclipsis Solis facta est secundo Calend. Octobris. Stellæ quoque instar ignis de Cœlo cadentes in plerisque Italiæ locis visæ sunt.

Anno Domini MCCCCI. die XIV.... Cum maximus concursus fieret in Plateis Bononiæ cum rumore Populi, & clauso ostio Palatii Priorum, Johannes de Bentivolis Bononiæ Civis, tunc de statu * & pulsato ostio ei apertum est, ipso existente in panieria discoperta, & rejectis vestibus, demum armatus stetit ad custodiam Civitatis usque ad noctem, & in hora VI. ingresso Palatio Priorum, eos expulit extra, remanente intus cum suis. Manè verò facto unanimiter ab omnibus confirmatus est in Dominum Bononiæ, accepto Vexillo Communis, & stans ibidem in Palatio pro Domino; & in alio die fecit Milites XIV. ex principalibus.

De mense Octubris procurantibus Venetis, & Florentinis Imperator novus se Italiam appropinquat cum innumerabili militum comitiva, & Baronibus, & Magnatis quampluribus. Dominus verò Dux Mediolani magnum exercitum parabat, conducendo Dominos Pandulphum, & Malatestam fratres cum Societate Lancearum mille, & cum aliis equitibus, qui erant circa VI. millia Lancearum, & ducebat secum ultra XXX. millia peditum. Interim quidam rebelles Brixiæ fraudulenter abstulerunt quemdam passum in Brisciano versùs partes Alemanniæ, per quod gentes Imperatoris per ea loca ingredientes, hinc inde incursabant; & dum à gentibus aliquibus Ducalibus accessum fieret pro obstando copiis Imperialibus, ab ipsis tamdem coacti sunt dare terga, & nonnulli peremti sunt.

Eodem anno de mense Decembris Comes Albericus de Cunio, dum rediret de partibus Lombardiæ cum suo equitatu, & transitum faceret per Comitatum Bononiæ, & magna damna intulisset, captivos, & animalia arripien-

piendo, & domos conburendo, habito quodam tractatu in Castro Ducie cum aliquibus Terrigenis, illo potitus est: quod Castrum licet occuparetur à Bononiensibus prius, tamen verè erat in Comitatu Imolæ.

Anno Domini MCCCCII. die ultima Junii Dux Mediolani Galeaz cum copiis exercitus ejus, quarum Ductor erat Comes Albericus de Cunio, castramentatus est apud Bononiam contra Johannem Bentivoglium, qui Astorgii Manfredi malo consilio se Dominum Bononiæ fecerat: ad cujus subsidium tres principales communiter concurrerunt, videlicet Veneti, Paduani, & Florentini, quorum exercitus Colligatorum Bernardonus caput erat. Quo facto exercitus Ducis Galeaz bello asperrimo, fusis & fugatis Colligatorum copiis apud Panigale exterminat. Altera verò die aggredientes viriliter ipsam Civitatem potiti sunt liberè dominium ipsius Urbis, miserrimè ipso Johanne interemto, primitus pluribus vulneribus crudeliter receptis ab ejus inimicis, capto Bernardono, & duobus filiis Francisci de Carraria.

His diebus circa finem mensis Februarii, & per principium mensis Martii sequentis, Cometes Stella satis magna apparuit in parte Orientis de sero in signo Arietis, & duravit per duas horas cum dimidia obscura & crinita per unum passum, & exinde incœpit apparere cum cauda maxima & splendida, uti magnus ignis; & ita duravit circa dies octo, & deinde usque ad finem Martii apparebat de die ante Solem.

Die XIX. mensis Julii mortuus est Pinus de Ordelaffis Dominus Forlivii, Foropompilii, & plurium aliarum Terrarum. Cui successit in dominio Cecchus frater ejus. Mortuus est morbo *Subet*, idest somno profundo, scilicet Apoplesiæ. Fuit enim dictus Pinus magnanimus, in armis fortis, & robustus, placabilis, benignus, procerus, alacer, & liberalis, pinguis, & gratus Populo, & hominibus ejus. De cujus obitu subditi omnes sunt quamplurimum dolore confecti. Et licet Cecchus ipse habuit dominium, non tamen fuit absque labore & periculo, obviantibus Domino Scarpetta Episcopo, & Domina Venantia dicti Pini uxore.

De mense Septembris Johannes Galeaz dignissimus Dux Mediolani, Virtutumque Comes, anno ætatis ejus LIV. omnipotenti Deo Creatori suo spiritum & animam reddidit, relinquens duos ejusdem filios heredes, videlicet, Johannem Mariam, & Philippum Mariam, quos genuit ex Nobili Domina Katherina uxore sua secunda, olim nata ex Bernabove Patruo suo. Multarum Civitatum, & locorum prudentissimus Dominator, excedens undique omnes Prædecessores ejus in magnitudine Dominii. Fuit autem ipse magnanimi animi, & ardui consilii, intellectûs profundissimi, mansuetus, mitis, absque crudelitate, benignus, raro vel numquam irascebatur, dulcis eloquentiæ, omnibus blandiens, omnibus honorans, injurias substinens, tarde ac prudens in agendis rebus, excedens omnes cujuscumque Artis vel præeminentiæ, viros famosos diligens, & ad se trahens, largus, & toto ferè Orbe notus. Cum Regibus & Dominis amicitiam magnam custodiebat. Erat autem robustus, pulcher, formosus, patiens laborum, semel tantum in die edens ut plurimum, & non solus minus, quàm cum solus,

A utens Scipionis dictum, nec minus otiosus, quàm in otio. Valde amavit solitudinem, tarde surgens, circa Mundi agibilia multum cogitando, & morigeratus, plenusque omni virtute & bonitate obiit febre in Castello Marignani in Liguria. Quem Stella Cometes illius anni, ut præsaga, dubitatur à doctis rapuisse.

De mense Octubris Imperator Vincislaus Rex Bohemiæ frater Regis Ungariæ, & filius olim Caroli Imperatoris, captus est à fratre suo Rege Regni Ungariæ, & custodiæ traditus.

In Asiæ partibus Zamberlano magno Tartaro post Damascum debellatum, Amoratti Bayset Urbem maximis copiis obsidente, Amo-

B rattus relinquens Constantinopolim obsessam, ivit in Damascum, & castramentatus est adversus castra Zamberlani, ubi virorum infidelium acies conveniunt bello, dimicantque maximo furore; adeo quod Castra Bayset Amoratti terga vergere coacta, & fusa, fugataque sunt, captis Amoratto, & ejus filio, vinctisque catenis eorum alligatis. Turcorum XL. millia in ore gladii cæsa sunt, altero Amoratti filio transfugâ Gallipoli prope terram, ubi jam Troja fuit.

Eodem anno de mense Octubris Dominus Scarpetta de Ordelaffis obiit in Arce Ravaldini, & conductus ad Cathedralem Ecclesiam honorabiliter sepultus fuit.

C De mense Novembris maximum diluvium in Italia venit, & flumina supra alveos inundaverunt, ita quod omnes planities operuerunt, & campos, & stagna, ac paludes ut maria aquas deducunt.

Anno Domini MCCCCIII. de mense Februarii Comes Corradus Theotonicus olim nepos Comitis Lucii de Lando, qui fuerat Bernabovis gener ex Vicecomitibus, dum per multos annos in Italia militasset, tamdem Pisis manens defunctus est.

Comes Albericus de Barbiano, sentiens adhærentiam factam de Astorgio Manfredo cum filiis Domini olim Ducis Mediolani, qui Rocham Faventiæ tenebant in manibus, ex

D ordinamento Domini Jacobi de Verme Consiliario dictorum Dominorum ob dictam indignationem, quia inimicabatur eidem Astorgio, separavit se idem Albericus ab adhærentia, & servitio dictorum filiorum Ducis, adhærendo se adversariis, scilicet Papæ, & Communi Florentiæ.

Magnifici Domini Carolus & Malatesta similiter uniti sunt cum Domino Papa, & Florentinis, & contra eorum adversarios cum eorum copiis, non obstante concordia, quæ tractabatur inter dictas partes

De mense Martii Privilegia Vicariatus Forlivii concessa sunt per Papam Ceccho de Ordelaffo per totum tempus vitæ suæ, & etiam

E filiis legitimis suis tantùm, solvendo Cameræ ducatorum duo millia, & pro censu prius non soluto VI. millia ducatorum auri, recipiens Bullas à Papa, & lectæ fuerunt Bullæ in Platea cum gaudio.

De mense Maji, & die XIX. Thomas de Nova Januensis custos Arcis Castri Carii, receptis Papalibus Literis, Arcem dicti Castri tradidit Communi Florentiæ cum munitionibus, receptis primo ultra duo millia aureorum.

In Tuscia & Romandiola valida guerra erat. Nam Dominus Pandulphus Malatesta cum copiis filiorum Ducis circa Aretium omnia

nia devastabat; & Pisas gentes quamplurimæ destinabantur per eos filios; & Perusii guerra non cessabat; & sic multa turbulentia undique vexabat.

Dominus Imolæ excommunicatur à Cardinali, & exinde condemnatur.

Gentes Ecclesiæ, & Florentinorum castramentatæ juxta Bononiam per quinque milliaria insultant gentes Bernabovis Capitanei filiorum Ducis, & acriter pugnantes adinvicem gentes ipsæ Papæ & Florentinorum, recipiunt damna de CCCC. equitibus.

Nocte verò sequenti Exititii Bononiæ fractis mœniis Civitatis intrant intus, & tamdem male succursi ab exercitu exteriori recipiunt damna de mortuis & dedecus.

De mense Augusti Rex Lancislaus primogenitus olim Regis Caroli, Rex Siciliæ & Apuliæ, dum esset in Civitate Zariæ in partibus Dalmatiæ, electus fuit à Baronibus Ungariæ in suum Regem, & ibi coronatus est.

Die III. Septembris Gentes armorum Ecclesiæ Civitatem Bononiæ obsessam obtinent, inter Cives inito rumore, Facino Cane expulso, qui pro Vicecomitibus eam occupabat, Ducibus Ecclesiæ Carolo Malatesta, & Paulo Ursino.

Hoc tempore Comes Guido de Muriliana dominio privatur ab exercitu Florentinorum.

Bucicardus, qui Civitatem Januæ pro Rege Franciæ dominabatur, hostilem classem fecit, ituram versùs Syriam in Portum Baruth, ubi adinventis Venetis cum suis mercibus, eos omnes capit, & prædat, captivos quoque Venetos secum ducit.

De mense Octubris Perusii Urbs post longam obsidionem redit ad mandata Ecclesiæ.

Cardinalis in Romandiola à Papa destinatus nominabatur Dominus Baldassar Cossius de Neapoli, magnanimus, & audacissimus.

De mense Novembris Malatesta venit ad videndum Dominam Lucretiam filiam Domini Cecchi de Ordelaffis, & sponsam suam cum honorabili societate.

De mense Decembris Pandulphus Malatesta exercitus Vicecomitum Ductor, Comum Urbem Lombardiæ debellat, & capit, eamque spoliat.

His diebus guerram movent Januenses cum Catelanis & Venetis, qui mari classibus pugnant apud Insulam Cypri, & Portum Baruth.

Ugulinus Cavalcabos Cremonæ dominio potitus est ex quodam tumultu orto in Civitate contra Vicecomites.

His diebus Gabriel, filius olim Galeaz Ducis Mediolani de stupro natus, obtinet Pisas Tusciæ Civitatem.

Civitas Assisii traditur gentibus Ecclesiæ. Nam à certis Civibus unâ portarum Civitatis ingressus patefit Mostardæ de Forlivio cum fere mille equitibus, qui Terram ipsam, & unam Arcem ejus cepit, alia pro tunc remanente.

Anno Domini MCCCCIV. Quidam Nannes Gozadinus Bononiensis Civis Castella Centi, & plebis occupans in territorio Bononiæ, & nolens illa reddere Legato præfato pro Ecclesia, ab ipso Gabionus ejusdem Nannis natus jam captus Bononiæ decapitatur.

De mense Martii Ottobonus Tertius ductor Vicecomitum, cum Petro Rosso Cive Parmam rebellat, & eam pro se capit invitis Vicecomitibus, & exinde Placentiam occupat, quam spoliavit pecuniis, substantiisque, mulieribus, & pueris.

De mense Aprilis Johannes Maria, & Philippus Maria Mediolani Domini, assumtâ pecuniâ à Venetis in pignore, Veronam, Vicentiam, Castellum Bassani, Feltrum, & Cividale tradunt & consignant, captâ jam Veronâ per Franciscum Paduæ Dominum.

Eodem mense Civitas Pisarum Tusciæ traditur Vicariis Regis Franciæ pactis. Tunc Pandulphus Malatesta obtinet Brissiam sibi datam per Vicecomites, videlicet Johannem, & Philippum Mariam, pro pecunia, quam meruit pro suis stipendiis, & servitio temporis præteriti.

Eo mense Comes Antonius Urbini, Callii, & Eugubii Civitatum Dominus, diem suum clausit extremum. Dominus fuit prudens, & alti consilii, & spiritus.

Rex Bohemiæ Sigismundus suo exercitu Zariam Dalmatiæ Urbem obsedit adversus Ladislaum Apuliæ Regem. Et his quoque temporibus fere ab omnibus Christifidelibus bella & obsidiones parari aspere videntur.

De mense Julii Ottobonus Tertius, dum plurima scelera nefanda perpetrat, & horrendum facinus audet contra Petrum Rossum Civem dictum, invadendo crudeliter affines, amicos, feminas, & pueros in cunis, & per omnem nefarium modum illos perimendo. Hoc dicitur fuisse ex interfectione Ottonis consocii sui.

De mense Septembris Paulus Ursinus Dux gentium Papæ Bononiæ morans, Faventiam capit pro Ecclesia, datam à Johanne Galeaz filio Astorgii profugi in partibus Tusciæ ob infestationem guerrarum magni Comestabilis de Barbiano.

De mense Octubris Papa Bonifacius Nonus Romæ ex hac vita migravit ad Christum. Victoriosus fuit, multas Civitates, & jura Ecclesiæ acquisivit, ac Romæ dominium temporale libere primus obtinuit. Indoctus fuit, pulcher, & magnus corpore, robustus, benignus, & precibus aliorum faciliter condescendens: ex quo plura loca alienavit, quæ prius erant Ecclesiæ. Habuitque genitricem, quæ maximam pecuniæ quantitatem congregavit. Sororem de Monasterio extraxit, quam nupsit Duci Atriæ. Vixit in Papatu annis XIV. mensibus XI. Cui successit Comatus Cardinalis de Sulmona Provinciæ Aprucii, qui vocatus est Innocentius.

De mense Decembris Astorgius Vicecomes, natus olim ex Bernabove, Oppidum Palazoli capit in territorio Brixiæ. Et tunc temporis dum Ugulinus Cavalcabos Dominus Cremonæ proficisceretur Brixiam ad Pandulphum Malatestam, capitur à dicto Astorgio, & carcere custoditur, ejus comitivâ armorum in conflictu positâ.

Rex Lancislaus captivat omnes Comites de Domo Sancti Severini, & specie pacis, & amicitiæ omnes eorum Terras, & dominia rapit.

Eodem tempore Galeæ Venetorum obtinuerunt Sanctum Albertum Castrum, & Passum supra flumen Padi, tunc possessum à Marchione Ferrariæ.

Florentini obtinent à Comitissa Honofria Castrum Gazani pretio Florenorum MD.

Anno Domini MCCCCV. Marsilius Patavinus Philosophus insignis, & Physicus famosus, qui libros multos super Opera Hippocratis, Galeni, & Avicennæ composuit, Bononiæ moritur.

De

De mense Maji Antipapa ex Gallia in Italiam proficiscitur, & Januam accessum facit, cum sex ejus Cardinalibus, & VII. Galeis.

De mense Junii Jacobus natus Francisci Paduæ Domini, qui Veronam tuebatur, sub fide captus, & Venetias ductus, ex tumultu in Civitate facto, ipsâ jam dudum obsessâ, sub dominio Venetorum ponitur, ductore castrorum Jacobo de Verme, & Galez de Mantua. Qui paulo post Paduam obsident. Et duobus mensibus elapsis Cives admodum constricti eorum Dominum, ejusque filium cum dominio compelluntur Venetis libere impartiri.

De mense Julii Pisarum Cives rumore insurgentes ad arma, pellunt Gabrielem Vicecomitem ibi Dominum, & ejus genitricem mortuam de sepultura extrahunt, & per Civitatem ducunt cum dispendio, & pudore.

Romæ quidam rumor fuit, ob cujus timorem Papa Viterbium fugit cum omnibus Curialibus. Tunc Paulus Ursinus Romam veniens, eam viriliter recuperat, expulsis vi Columnensibus, & Sabellis.

De mense Septembris die VIII. Magnificus Dominus Cecchus Ordelaffus, Forlivii & multarum Terrarum Dominus, diem suum duxit extremum. Et hic fuit viriliter strenuus, animosus, formosus, totus pulcher, summæ justitiæ, & constantiæ, qui vexatus à longa ægritudine cum luctu, & dolore Civium mortuus est, relinquens Antonium natum suum parvum, qui in dominio successit per dies XV.

Eodem anno, & die X. mensis Septembris post obitum Cecchi de Ordelaffis Forliviensis populus se viriliter in armis insurgit, & sub populari statu & dominio Reipublicæ se gubernant, & ordinando Priores, & Officia, capiendoque exinde Arcem Ravaldini, & Castra Comitatus.

Die XXVII. Octobris Baldassar Cossa in Romandiola Cardinalis, Ecclesiæque Legatus pro Ecclesia Romana, Astorgium Manfredum paulo ante Dominum Faventiæ publicè decapitari fecit.

Die XXIII. Octobris Baldassar Legatus, cum gentibus Ecclesiæ infert guerram Forliviensibus, jussu Papæ Innocentii.

Azzone de Monte-Varco filio Dominæ Honesanæ de Ordelaffis capto, cum aliquibus sociis proditoribus Forlivii, punitur in Arce Ravaldini, & socii suspenduntur in plateis.

Paulus Ursinus Capitaneus magnus gentium Romæ occidit Mostardam de Forlivio, Ductorem gentium, & streauum ac bellicosum in armis, relicto Johanne nato ejus cum Oppidis suis in Piceno, qui non multum degeneravit à patre.

Anno Domini MCCCCVI. de mense Januarii, Franciscus de Carraria, olim Paduæ Dominus captus Venetiis, & facta contra eum inquisitione, repertis pluribus Civibus Nobilibus cum eo sontibus, & delinquentibus, Cives ipsi proscripti sunt, & depositi ab Officiis, & ipse Dominus in carceribus mancipatus, in brevi defunctus est, duobus filiis ejus captis remanentibus, scilicet Jacobo & Francisco necatis, ut fertur, in domibus carcerum.

De mense Maji Galeaz de Mantua magnanimus Ductor armorum post partam victoriam Veronæ, & Paduæ, apud Pergamum Civitatem occiditur ab incolis in bello. Qui fuit vir fortissimus, & acerrimus, & vicit multa certamina.

A Eodem tempore inter Ecclesiam Romanam, & populum Forlivii contracta est pax, cum certis conditionibus, videlicet, quod idem populus deberet acceptare Potestatem, & Capitaneum pro Romana Ecclesia, & Domino Legato, in dicta Civitate.

De mense Julii Ottone Tertio opprimente Civitatem Placentiæ, Facinus Canus ductor gentium armigerarum Vicecomitum, ipsam obsidet Urbem. Tunc Otto videns illam non posse defensare, quamplurimos viros, & feminas interficit crudeliter, puellasque secum Parmam ducit, & Urbem violenter spoliat.

B De mense Octubris Gabriel Vicecomes Pisas inclytam Urbem Tusciæ Florentinis vendit, qui illico ipsam suis castris obsident, quorum Ductor erat quidam Januensis de Flisco. Hinc in dies longa obsidione firmata Urbem ipsam obtinent, nullo in Civitate tumultu, vel contrarietate succedente, fautore Johanne Gambacurta ibidem Cive.

De mense Novembris Innocentius Papa paralyticus Romæ moritur. Vir fuit bonus ante Papatum; post ultima non corresponderunt primis. Cui successit Angelus Constantinopolitanus Venetiarum Episcopus, qui dicebatur Gregorius XII. Papa vir vita laudabilis, durante Scismate per Petrum de Luna.

C De mense Januarii Comes Guido de Mutiliana, olim Dominus Castri Balnei, & multorum aliorum Castrorum, de antiqua prosapia Comitum Guidonum, qui nati sunt ex Bilinzone, & Comitissa Gualdrada ex parte paterna, trahens originem ab Alemannia, & ex materno latere Florentinus, ut habetur in Chronicis Johannis Villani de Florentia. Quorum dominium incœptum tempore adventus Ottonis Alemanni Primi Imperatoris, qui illos dotavit de maximo dominio, & ab illo tempore usque ad annum 1403. duravit honorabiliter. Sed dum adhæsisset Duci Mediolani, videlicet Domino Galeaz, per ipsius mortem expulsi sunt à Florentinis ipsi Comites unà cum Andruino de Ubertinis, & aliis.

D Forlivienses libertatem amittentes, sub jugum Ecclesiæ deducuntur, Baldassare Cossa Legato Apostolico in Romandiola. Qui prædictus Dominus Legatus ædificare fecit Citadellam apud portam Sclavoniæ, mittens ad confinia Majores ex parte Ghibellina, & decapitare fecit Petrum Maldentem, Ugulinum Matthæi, & Paladinum de mense Junii.

Anno Domini MCCCCVIII. Ecclipsis Solis XIV. Calendas Octobris.

Anno Domini MCCCCIX. defectio Solis XVII. Calendas Aprilis.

Anno Domini MCCCCX. de mense Januarii Baldassar Cossa Cardinalis, & Legatus Urbis Romæ dominio potitus est.

E Die XVIII. Januarii homines de Foropompilio rebellantes à dominio Romanæ Ecclesiæ, tradunt se & Terram Georgio de Ordelaffis tunc exititio.

Deinde die XXV. Januarii idem Georgius die Sabbati noctis tempore fregit murum, & aperuit portam Rottæ, & furtive intravit Civitatem Forlivii cum multis peditibus & equitibus; sed expulsi sunt extra per Forenses, qui venerant de Terris Florentinorum ad custodiam Civitatis Forlivii. Et ex illis, qui intraverunt, aliqui fuerunt capti, videlicet quatuor, qui illico suspensi fuerunt, partim in platea, & partim ad locum, ubi fecerunt introitum.

D 2

Die 3. Maji Alexander V. Papa obiit Bononiæ; cui successit in Pontificatum Baldassar Cossa Cardinalis, qui idonee electus fuit in Papam Bononiæ, durante Scismate, & nuncupatus est Johannes XXIII.

Die XVIII. Junii Johannes Galeaz Astorgii Manfredi olim filius, Civitatis Faventiæ ingrediens dominium, favente atque adjuvante Georgio Ordelaffo, in ipsa confirmatur & roboratur, expulso totaliter Regimine Ecclesiæ.

Die XXIV. Augusti præfatus Georgius, astutia incolarum Flumanæ oppidum occupat, remanente in captivitate Domino Bartholomæo de Campofregoso fratre Capitanii Forlivii cum Domina Catelina ejus uxore, & Domina Francisca de Ordelaffis ejus genitrice.

Eo anno exercitus Ecclesiæ castrametatus Foropompilium est, & prope ejus portam Bastitam ædificant, & de munitionibus opportunis cunctam subveniunt, & exinde recedunt; & non multum post, dum gentes Ecclesiæ cum multis de Civitate Forlivii irent pro munitionibus exhibendis ad ipsam Bastitam, tamdem post longam dimicationem gentes ipsæ cum Forliviensibus fusæ & fugatæ fuerunt, & capti inter forenses pedites & equites circa numerum personarum CCCC. quæ ductæ fuerunt ad Terram ipsam Foropompilii.

Eo tempore illi de Aureolo oppido Forlivii, ipsum sua sponte tradunt præfato Georgio.

Et in ipso tempore de nocte extracti fuerunt violenter de eorum domibus ex optimatibus partis Ghibellinæ Civibus, scilicet Civitatis Forlivii, circa numerum centum, & exinde conducti in Cittadella, quæ tunc erat constructa juxta portam Sclavoniæ. Qui quidem Cives dispersi fuerunt ad confinia, videlicet partim Florentiæ, partim Bononiæ, & partim Lugi. Et non contenti de tanto discrimine, expulsæ fuerunt eorum familiæ de domibus propriis, & etiam de Civitate eorum cum fletu & anxietate ipsorum, & similiter evenit de multis aliis.

Eodem anno de mense Septembris venit Forlivium pro Legato Ecclesiæ Dominus Ludovicus de Flisco Cardinalis de Janua.

Die XI. Octubris expugnata fuit Bastita de Foropompilio, & combusta à Domino Georgio.

Eodem anno die XVII. Octubris Georgius Ordelaffus, faventibus Malatestis, & cum eo plurimi equites & pedites, noctis tempore, furtive Civitatem Forlivii introëunt iratis animis, ut eam incenderent, frangendo steccata juxta Campostrinum. Unde ipsis expulsis à gentibus Ecclesiæ in Civitate morantibus, reperti sunt ex suffocatis in foveis ultra viros XXV. & duo vivi capti suspensi fuerunt. Fertur autem, & experientiâ compertum & comprobatum est per longa tempora, quamdam imaginem sub diversis ascendentibus Stellarum editam fuisse per Dominum Guidonem Bonattum Forliviensem magnum Astrologum, & Nigromanticum, & secreto per ipsum nocte sepultam, quæ donec duraverit, ipsam Civitatem non posse vi rapi, capi, vel prædari, ut dicitur de Darete Trojano.

Eodem anno Johanne Papa præmisso Romam se transferente, à Bononiensibus renuntiatur ad dominium Ecclesiæ, se regentes sub Statu Populari, Petro Cosolini præcipuo fautore, expulsis Rectoribus Ecclesiæ.

A Anno Domini MCCCCXI. die XIII. Maji Guido Torellus ductor armorum in Civitate Forlivii pro Marchione Estense, videlicet Nicolao Domino Ferrariæ; postquam intellexit novitatem Bononiæ, & expulsionem Regiminis Ecclesiæ, ausus est reducere Civitatem Forlivii sub dominio præfati Marchionis, & deposuit in maximam partem Regimen partis Guelphæ, quæ totaliter ibi tunc præsidebat. Unde à Ghibellinis multæ Aquilæ nigræ pictæ sunt; & tantum decapitari fecit duos notabiles Cives Forlivii, quibus opposuit, ipsos velle impertiri dominium ipsius Urbis Georgio Ordelaffo.

Eodem anno, & die VII. Junii in festo Sanctæ Trinitatis hora decimanona Georgius, & B Antonius de Ordelaffis adepti sunt Dominium Civitatis Forlivii, & intraverunt per portam Sancti Petri cum duobus millibus peditum, quorum magna pars erat ex Civibus, & eorum amicis exitiis, & ad ipsos propter Partem reversis, sponte sua, & nullo contradicente, cum plausu & lętitia omnium; & tulerunt Vexillum Domini Marchionis cum illo de Domo eorum; sed pro tunc non habuerunt dominia Arcis, & Cittadellæ.

Die verò XXV. Junii tumultus factus est in Civitate Forlivii, quod certi Cives volebant prodere præfatos Dominos Antonium & Georgium; & dum in ipso rumore adesset in C platea Gherardus de Lardiano, & Andreas de Aristadis, impetuose aggressi à Populo peremti sunt; & similiter non post multum Johannes de Lardiano interfectus fuit mandato Georgii ab extra.

Die IV. Julii Vir spectabilis Bartholomæus de Valdenuce ingressus est pro novo Prætore dictæ Civitatis, & in nocte sequenti adepta est possessio Cittadellæ, & de mane die Dominicæ similiter habita est possessiò Arcis Ravaldini.

Die penultima Augusti Georgius præfatus ex suspicione, & malo consilio, de nocte fecit capi Antonium filium Cecchi de Ordelaffis, & illum in Arce Ravaldini inclusit, captis D & peremtis aliquibus Civibus.

Anno Domini MCCCCXII. magna penuria frumenti, & bladorum fuit in dicta Civitate Forlivii; adeo quod frumentum cum mensura librarum CC. ascendit in pretium librarum novem Bononiensium, & fabæ in libris quatuor Bononiensium cum sinistro multorum, licet Deo coadjuvante satis bene provisum fuerit.

Eodem anno Bononia faciebat guerram cum Imola, & Castro Sancti Johannis in Persiceto, & per consequens cum Malatestis, qui tunc temporis tenebant dictum Castrum Sancti Johannis.

Die III. Julii Georgius Dominus Forlivii E duxit in uxorem Dominam Lucretiam natam Domini Ludovici de Alidosiis de Imola.

His namque temporibus sub Lancislao Rege Apuliæ floruerunt in armis Jacobus Ordelaffus, & Zanninus de la Treza, qui vere fuerunt viri magnanimi, & Ductores gentium armigerarum.

Necnon oblivioni tradetur Andreas Borsus de Guiriolis, qui in dicto anno fuit Locumtenens pro memorato Rege in Apulia, & Ductor magnus gentium armorum, & pectore & animo forti & præclaro, fuit magnus Ductor gentium cum Ecclesia, Venetis, & alibi.

Anno Domini MCCCCXIII. in Vigilia Natalis

talis de mense Decembris Papa Gregorius supranominatus discedens de Gajeta, in qua residentiam fecerat per longum tempus, reversus est Ariminum, unde prius discesserat.

Die VIII. Junii Johannes Papa pellitur de Roma, Populo Romano objurgante; & tunc Rex Lancislaus plurimos milites equites de exercitu suo in Urbem mittit, qui ex Ursinis quamplurimos perimunt. Quo factum est, ut dominium ipsius Urbis libere ipsi Regi subpositum remaneat, ipso Papa in Radicofano evadente.

Die II. Augusti noctis tempore Georgius de Ordelaffis Terram Foropompilii obtinet cum voluntate habitantium, dimissa Arce prius subpignorata Domino Comiti Urbini pro non parva quantitate aureorum. Sed die VII. Augusti dictam Arcem obtinuit cum pactis, & non vi.

Die IX. Octobris die Lunæ de nocte natus est filius masculus Georgio Domino Forlivii ex Domina Lucretia uxore sua, nuncupatus Tbebaldus sub nomine Avi sui.

Anno Domini MCCCCXIV. in principio Februarii his in regionibus fuit quædam pestis universalis Catarrhi, & frigoris, ac tussis: ob quæ homines vix poterant respirare, nec poterant comedere vel bibere, quia omnia sibi videbantur amara, & multi mortui sunt, & reliqui pæne evaserunt.

Rex Lancislaus Apuliæ Dominus de mense Augusti diem suum functus est.

Eodem anno de mense Novembris in festo Omnium Sanctorum positum est Concilium, & congregatum ex parte Majestatis Imperialis, videlicet Sigismundi electi Ungariæ Regis super Prælatos Dei, & quorumdam aliorum pro removendo Scismate in Urbe Constantia. Ad quod Concilium plurimi accesserunt, videlicet primo Papa Johannes, & Papa Gregorius per Procuratorem, & Papa Benedictus, qui renuerunt omnino Papatum, Sede Romana vacua remanente.

Die prima Augusti Carolus Malatesta Capitaneus exercitus gentium Armorum Venetorum ab Ungaris fractus & fugatus est cum clade magna.

Anno Domini MCCCCXV. die XV. Aprilis Brachius de Montono Capitaneus exercitus armorum Baldassaris Cossæ, & Bononiensium, post prædam ex transcursione hostili facta per territorium Forlivii, oppidum Sadurani vi rapit, & retinet. Quod postea die XXIII. Maji à populo Forlivii redimitur pro quantitate V. millium Florenorum pace facta inter eos.

Præmemoratus Brachius die VIII. Junii invadit cum copiis suis multis agrum Cæsenæ, & prædam maximam rapit ex hominibus, & animalibus, & iverunt usque ad Savignanum.

Et exinde die XVI. de mense Septembris. Idem Brachius cum suo exercitu invadit territorium Cæsenatense, faciens prædam de animalibus circa mille & de hominibus multis, comburendo domos circa Portum Cæsenæ, exportans spolia de Villa Sancti Viti.

Anno Domini MCCCCXVI. die IV. Januarii. Populus Bononiensis currens ad arma, expulso Episcopo Senense Tenente locum pro Ecclesia Romana, & Johanne Papa XXIII., faciendo Priores, & Confalonerios, regunt se sub dominio populari.

Brachius de Montone obsidens Peruxium, & Patriam ejus, capit Carolum Malatestam de Arimino vocatum à Perusinis, conantem cum exercitu suo obviare & impedire ipsum Brachium à dicta obsidione: quo retento redimitur in quantitate LX. millium Ducatorum.

Die XX. Septembris. Malatesta filius quondam Domini Galeotti, & fratris Domini Caroli de Malatestis in dominio Cæsenæ, & in eadem Civitate moritur.

Eodem tempore Johannes Galeaz de Manfredis Dominus Faventiæ diem suum clausit extremum, cui successit in dominio ejus Guidatius ejusdem natus.

Die XXIII. Septembris. Dominus Martinus de Faventia transivit per medium Civitatis Forlivii, ducens secum Societatem equitum ejus, quæ erat circa III. millium, intelligendo cum Dominò Pandulpho ire ad recuperationem Domini Caroli captivi penes dictum Brachium.

De mense prædicto. Fuit Forlivii, & alibi magna mortalitas, quæ incœpit de mense Augusti, & duravit per totum mensem Novembris; & quando incipiebat in una domo, pauci evadebant in ea.

Anno Domini MCCCCXVII. die XX. Maji. Antedictus Dominus Martinus de Faventia, existens in Civitate Arimini pro defensione status Malatestorum, capitur à Domino Carolo Malatesta, & ad Urbem Fani transmissus, ubi occiditur.

Eodem anno. In Constantia, ubi congregatum fuerat Concilium, consenserunt omnes, ad quos pertinebat electio, & in verum Papam elegerunt Dominum Oddonem de Columna Cardinalem Romanum de mense Novembris, qui vocatus fuit Martinus V. qui in Festivitate Beati Martini electus est post moram in Constantia trium annorum.

Anno Domini MCCCCXVIII. die XXII. Octobris. Papa Martinus discedens de Papia applicuit Mantuam cum suis Cardinalibus, & comitiva omnium Curialium ejus.

Anno Domini MCCCCXVIII. Bullæ Vicariatus Georgii Domini Forlivii pro annis tribus, publicatæ & lectæ fuerunt in die Natalis XXV. Decembris cum pluribus concessionibus præsentatis Forlivio.

Anno Domini MCCCCXIX. Martinus Papa præfatus, die XIV. Februarii, intravit Forlivium cum amplissimo triumpho & honore, manens ibi aliquibus diebus, & discedens exinde applicuit Dominica die Florentiam, ubi mirabiliter receptus, & honoratus fuit.

Die penultima Junii in Festivitate Apostolorum Petri & Pauli. Baldassar Cossa, de servitute liberatus, accessit Florentiam, & se præsentavit coram Papa Martino, qui tamquam Cardinalem recepit, & benignè Capellum tradidit cum multo honore.

Anno Domini MCCCCXX. de mense Septembris. Martinus Papa antedictus discedens de Florentia, se transtulit versùs Viterbium.

Anno Domini MCCCCXXI. die prima Septembris Angelus de Pergula Ductor equitum mille pro Philippo Maria Duce Mediolani, ut amicus residet in agro Forliviensi.

Eodem anno, & die X. Maji. Regnante Georgio Ordelaffo celebratum fuit Capitulum generale maximum & dignissimum in Civitate Forlivii, in quo interfuerunt fere III. millia Fratrum Minorum Sancti Francisci, qui elegerunt concorditer Magistrum Angelum de Senis pro Generali excellentissimum in scientiis & prædicationibus. Quod Capitulum fuit hono-

honoratum à præfato Domino, & universo Populo Forlivii.

Anno Domini MCCCCXXII. die XXV. Januarii, hora tertia noctis mortuus est Georgius filius quondam Thebaldi de Ordelaffis, Dominus Forlivii, & Ecclesiæ Romanæ Vicarius, cujus Urbis dominio potitus est annis X., mensibus octo, & diebus sex. Cui in dominio successit Thebaldus, ejusdem, & Dominæ Lucretiæ filius, ætatis annorum novem, & in Ecclesia Sancti Francisci in tumulo novo honorificè sepultus cum maxima calamitate & fletu universi Populi.

Anno Domini MCCCCXXIII. die verò XIV. Maji hora prima noctis Populus Forlivii ægrè ferens detentionem de Paulo Latioso concive suo factam per Dominam Lucretiam genitricem Thebaldi olim filii Georgii de Ordelaffis Domini Forlivii tunc absentis, nolens pati ludibria & contumelias dictæ mulieris, ac Imolensium tyrannidem superbè regentium, & occupantium Civitatem, Arces, beneficia, & Officia dicti Domini contra voluntatem Populi ejusdem: armata manu, memor antiquæ virilitatis, violenter facto tumultu in plateis, ultra III. millia armatorum capiunt Urbem, expugnant Palatium, præfatam Dominam Lucretiam cum certis Civibus sibi malè consulentibus detinent, ac Forenses Imolenses pro majori parte ultra CCC. armatos in ipso Palatio spoliant, & licentiant, fautoribus Andreâ Moratino milite, & Bartholomæo Latioso præstantibus Civibus cum eorum copiosis familiis, ac Domino Blondo, Raynaldino, Baptista Palmezano, Petro Dente, & Optimatibus dicti sui Quarterii, ac omni denique Populo unanimiter unito, & nemine contradicente, sublatâ spe ab adventu gentium Florentinorum veniendi ad occupationem ipsius Civitatis, accersitis Sicco de Montagnana armorum Ductore cum equitibus mille, & Domino Aloixio Crotto Commissario pro Illustrissimo Domino Philippo Maria Duce Mediolani, Lugi tunc commorantibus. Sub cujus Ducis nomine, unà cum Civibus Forlivii, præmemoratus Thebaldus relictus ex testamento Georgii ejus Genitoris cum dominio heres fuerat, & sub ejus cura, tutela, & protectione, specialiter cum electione de ipsis facta, & non Ligæ injustè vexantis dominium dictæ Urbis, & statum dicti Domini, ut infra etiam patet. Et ipsis advenientibus gentibus præstita sunt receptum & logiamenta.

Paucis post diebus præfata Domina Lucretia furtivè ex ipso Palatio evasit, unde captiva tenebatur, & ad Forum Pompilium se transfert, reperto filio ibi dominante.

Die XXVI. Junii. Recuperata fuit Rocca Ravaldini cum bombardis cum fractura mœniarum.

Anno supradicto de mense Junii. Marchio Nicolaus adhibens curam de gentibus Ducalibus in Romandiola exstantibus, misit Aldrovandinum de Joculis Civem ejus Spectabilem, cum ampla commissione ad tutelam Domini Thebaldi de Ordelaffis, ut illum in dicto dominio Forlivii regat & manuteneat sub ea cura & protectione relictâ à patre in ejus Testamento, si velit.

Die VI. Septembris. Cum Fabritius de Capua Ductor equitum mille Ducis Mediolani ivisset cum gentibus suis pro faciendo scortam vendemiarum versùs Carpenam, & Maglianum Villas supra Forlivium; & Siccus de Montagnana cum totidem exercitu, & gentibus floridis se secretè occultasset sub strata, & exercitus Ligæ cum Domino Pandulpho Malatesta, & Nicolao de Tolentino, qui erant cum ipso ultra V. millia equitum insultarent viriliter scortam Fabritii, & fugarent illam usque ad Pontem Ronchi cum damno, & percussionibus multis: tamdem occurrente Populo Forlivii, & succurrente Sicco, recuperati fuerunt omnes primitus oppressi, & omnes irruentes in hostes Ligæ, ut Leones, prœliantes tamen per spatium horarum quatuor cum non parva occisione virorum & equorum cesserunt & fugarunt dictos de Liga cum verecundia & damno equitum CCC. Nec profecto his in partibus auditum fuit fuisse acriorem vel terribiliorem pugnam: de qua victoria nedum celebrata fuit lætitia cum luminaribus in Forlivio, verùm etiam per totam Liguriam; & eo tunc incœpta fuit guerra in Romandiola inter Ducem Mediolani, & Dominos de Liga.

Anno Domini MCCCCXXIV. die prima Februarii. Gentes Philippi Mariæ Ducis Mediolani furtivè cum scalis & ædificiis Arcem Imolæ capiunt, & totum dominium Civitatis & Comitatus Imolæ sub potentia Ducali ponunt. Et Ludovicum Alidosium patrem antedictæ Dominæ Lucretiæ vinctum Mediolani ducunt; fautore Zannone de Istria Capitaneo peditum Ducalium. Unde Antonius Ordelaffus, qui in dicta Arce ultra decennium miserabiliter mancipatus fuerat ex suasione & doloso consilio præfatorum Domini Ludovici, & Dominæ Lucretiæ, ex divina compensatione pro patratione tanti sceleris, in vindictam puritatis & innocentiæ illius, excidium passi sunt supra eos, sobolemque, statum, & substantias, ea omnia miraculosè dignè exterminando: & sic liberatus extitit, & ad prælibatum Ducem læto animo honorabiliter proficiscitur.

Die ultima Aprilis. Gentes armorum Philippi Mariæ Civitatem Neapolis pro ipso Duce obtinent.

Die XVII. Junii. Domini de Liga Florentinorum, & Dominorum de Malatestis guerram atrocem agunt contra Ducem Mediolani, & Populum Forlivii; & castramentati sunt super Oppidis Flumanæ & Sadurani de Territorio Forlivii, & illa capiunt, Ducibus Carolo, & Pandulpho de Malatestis cum Florentinorum Liga. Qui spendiderunt Castellanum Flumanæ, & Saduranum solo æquarunt, ortâ discordiâ inter eos, quia quilibet optabat possessionem dicti Loci.

Die XXII. Julii. Copiæ exercitus Domini Ducis Mediolani vi potiuntur Oppida Zagonariæ, & Massæ de dominio Comitis Alberici de Lugo.

Die XXVIII. Julii. Exercitus Ligæ Florentinorum, & Malatestarum, optans pellere castra Philippi Mariæ apud Zagonariam cum exercitu XI. millium militum armorum, discedendo de Villa Ronchi, ubi prius castramentati erant, Capitaneo existente Domino Pandulpho, & in ejus comitiva socio Carolo Malatesta, se transferentes contra gentes Ducales, illas animosè expectantes prope Locum Zagonariæ, quarum Angelus de Pergula erat Capitaneus cum Sicco de Montagnana Ductore lancearum expetiatarum præfati Ducis, tunc Forlivii commorantium, qui videntes castra Ligæ ruere de supra versùs Zagonariam, con-

confestim ex transverso, de supra illuc etiam se transtulerunt, & in tempore affuerunt opportuno. Quod exercitum coadunatum fuit VIII. millium inter equites & pedites, & signo dato ad bellum concurrentibus partibus, non solum victoria fuit ex magnanimitate Ducalis exercitus, verùm etiam ex imbribus Cœlo pluentibus in faciem adversariorum. De quibus facta fuit miserrima strages, fracto & fugato fœdè cuncto exercitu Ligæ, capto Domino Carolo, & ad Ducem transmisso, & fugato Domino Pandulpho per iter Ravennæ.

Eodem Millesimo videlicet MCCCCXXIV. die XIII. Augusti, exercitus Ducalis recuperat Terram Foropompilii cum Arce, & sic succedendo, capiunt Oppidum Caminatarum, & Belfloris in agro Forliviensi.

De eodem mense Augusti Capitaneo exercitus Ducalis existente Angelo de Pergula, se transferunt versùs Cæsenam, & exinde versùs Ariminum, se prius pacificati cum Bertinorio, & Castro Savignani penitus saccomanato, plura Castra Comitatus Arimini subjiciendo, & confœderati cum Ariminensibus, & Cæsenatensibus, exinde discedunt.

Die verò XXVI. Septembris direxerunt dictæ gentes iter suum versùs partes montanas, & obtinuerunt Bagnum cum aliquibus aliis Oppidis, & demum venerunt versùs Dovadulam, & Castro-Carium, & ceperunt Castra Rochæ Sancti Cassiani, Petræappii, Dovadulæ.

Et de mense Octubris mortalitas aspera erat in Civitate Forlivii, in qua mortui sunt ultra personas IV. millia.

Et die V. Novembris dicta gens Ducalis ceperunt Castrum Dovadulæ.

Et deinde dictus exercitus suos gressus direxit versùs Pisaurum, & Gradariam cum tribus aliis Oppidis posuerunt in prædam seu saccomanum, ducentes secum personas & substantias eorum.

Anno Domini MCCCCXXV. die XXV. Januarii Carolus Dominus Arimini redit à Duce Mediolani, ad quem pro captivo transmissus fuerat, honoratus, & donatus ab eo.

De mense Februarii dicti anni Comes Oddo natus olim Braccii de Montone, Capitaneus exercitus V. millium equitum in bello peremtus est à gentibus Ducalibus, & hominibus Vallis Amonis, conflicto & fugato penitus dicto exercitu in ipsa Valle.

Eodem anno de mense Martii Guidatius Faventiæ Dominus adhæsit Florentinis, relicto Philippo Duce Mediolani, & damna infert in agro Forliviense, devastando clusas, & molendina usque prope Forlivium.

Eodem mense Maji Nicolaus Marchio Estensis Ferrariæ Parixinam uxorem ejus, filiam Domini Malatestæ de Cæsena, & Ugonem filium ipsius Domini Marchionis in stupro repertos conjungere pluries, necari publicè jubet, eos decapitando cum ordinamentis Justitiæ.

Sfortia Attendulus de Cutignola illustris armorum Capitaneus, & Dominus Civitatum, cum equo, super quem sedebat, cupiens tranare puerum, quem in deliciis habuerat, in Piscaria flumine suffocatus est, & numquam ejus corpus repertum.

Die XXVII. Junii exercitus Domini Ducis Mediolani castrametatus est in agro Faventino, inferendo damna magna cum equitibus & peditibus circa V. millia in recompensationem damnorum illatorum prius inhumaniter Forliviensibus cum guastatoribus super vineis & frumentis pro vindicta aliis facta.

Eo anno de mense Julii Thebaldus natus olim Domini Georgii de Ordelaffis annorum fere XII., & similiter ejusdem soror annorum circa XIII. ex pestilentiali morbo diem suum functi ambo sunt.

Eodem anno Brachius Perusinus, sive de Montone, acriter infestans Romanam Ecclesiam, & ejus Civitates, apud Aquilam Civitatem à Jacobo Caldorio Capitaneo Ecclesiæ, & Comite Francisco Sfortia obstatur viriliter ei, & pugnâ commissâ inter eos, Brachius vulneratur, & fractus, & fugatus cum exercitu suo, perimitur dolo & astutia præfati Comitis Francisci, & inhoneste sepelitur.

Eodem anno & die X. Octubris Bernardinus de Carda de Ubaldinis Ductor copiarum Florentinorum capitur à Guidone Torello Ductore gentium armorum Philippi Mariæ in bello apud Burgum Sancti Sepulcri in Tuscia.

Lambertutius de Gagio paulo post apud Fagiolam à gentibus Ducis præfati captus est, & transmissus ad Dominum Ducem, ibidem truncatus fuit.

Anno Domini MCCCCXXVI. die XVIJ. Martii Comes Carmignola Capitaneus copiarum Ligæ, videlicet Venetorum, & Florentinorum, furtive & proditione capit Brixiam Liguriæ Urbem, quæ ante possidebatur à Philippo Maria Duce Mediolani.

Anno Domini MCCCCXXVI. die XII. Maji arbitratu Illustrissimi Philippi Mariæ Ducis Mediolani Civitates Forlivii & Imolæ per Cives earum Urbium libere traduntur Romanæ Ecclesiæ tempore Pontificatus Martini Quinti, pace vicinis omnibus amœnâ illatâ, pro quo Nepos Cardinalis Arelatensis Legati Bononiæ, dominium pro eo apprehendit, & exinde in ipsa Civitate applicante præfato Legato cum nobili comitiva, dictum Regimen restaurat, & Arcem Ravaldini, & Terram Foropompilii potitus est pro illis Papa & Ecclesia Romana. Et exinde levatis offensionibus per totam Provinciam, quæ duraverant per tres annos, se transtulit ad Civitatem Bononiæ.

Eodem millesimo Saraceni cum CCC. navibus, seu Theucri in Cypria Insula Græciæ appulerunt, ibique Regem ceperunt, mortuo fratre dicti Regis, & Civitate submersa.

Oppidum Sancti Severini in Marchia positum traditur Ecclesiæ Romanæ per Cives, captis Antonio ibidem Domino, & ejus filio, transmissis Summo Pontifici.

Anno prædicto, & die XIV. mensis Julii Reverendissimus Dominus Electus Firmanus nuncupatus Dominicus de Crapatino se transtulit de Urbe ad Forlivium, ubi destinatus fuit à Summo Pontifice pro Gubernatore, & benigne receptus.

Anno Domini MCCCCXXVII. de mense Septembris Pandulphus de Malatestis de Arimino, qui olim fuit Brixiæ, & plurium Civitatum potens Dominus, migravit ad Christum obitu suo.

Die XXVIII. Octubris exercitus Philippi Mariæ Ducis Mediolani, cujus Capitaneus erat Carolus Malatesta de Pisauro, conflictus & fugatus fuit à Colligatis in Liga, videlicet Venetorum, & Florentinorum apud Machalò, Capitaneo exercitus eorum Comite Carmignola.

Die

Die prima Septembris venerunt de Urbe Dominus Johannes Capharellus pro Episcopo Forlivii, & Bertoldus de Albericis pro Potestate, qui fuerunt notabiles viri. Et in eo tempore reædificatur Castrum Sadurani.

Anno Domini MCCCCXXVIII. Pax Italiæ celebratur inter Ducem Mediolani, & Dominos de Liga, scilicet Venetos, & Florentinos: quæ duraverat per annos quinque in guerra.

Die prima Julii Bononienses rebellantur ab Ecclesia, & Papa Martino, expulso eorum Legato factione Baptistæ de Canetulo Civis Bononiæ. Sed paulo post obsessi à copiis, & castris Ecclesiæ, Capitaneo Jacobo Caldoro, & Legato Cardinali Firmano in dominio Forlivii, parum operatur.

Dominus Gubernator Forlivii, videlicet Firmanus, cluxam lapideam construxit, & Basilicis Templorum Sanctæ Crucis, ac Observantiæ Sancti Hieronymi operam in eorum fabricis dedit, & plurima laudabilia egit in Civitate Forlivii.

Die IV. Julii Terræmotus fuit magnus in Romandiola, ex quo plurimi camini ceciderunt in diversis locis.

Anno Domini MCCCCXXIX. die XXIX. Julii facta est pax inter Summum Pontificem Martinum, & Bononienses.

Eodem anno Carolus de Malatestis de Arimino occubuit in Castro Longiani.

Die XXII. Decembris Papa Martinus Quintus habuit Firmum cum Arce per ejus Cives datam; & pariter habuit Civitatem Castelli in Tuscia.

De mense Octubris Dominus Jachax Dominus Mirandulæ Oppidi à consanguineis occiditur.

Eodem anno die XIX. Decembris Dominus Malatesta de Pisauro moritur.

Cardinalis de Cuntis de Urbe destinatus est à Papa pro Legato Bononiæ, & in ipso exercitu loco Domini Firmani, qui per multum tempus ibidem moram traxerat, & reversus fuit Forlivium.

Anno Domini MCCCCXXX. Baptista cognominatus de Canetulo Bononiæ Civis, & usurpator præcipuus dictæ Urbis dominii, sex Cives spectabiles, videlicet, Eganum, Lambertinum, Bagarottum Bianchium, Thomam de Monte Calvo, Nicolaum Malvizzum, Philippum, & Augustinum Barzelinum post cœnam eis datam occidi fecit absque sceleris causa.

Die X. Junii Papa Martinus Cerviam obtinet in Romandiola, & Vicaritaum Mondavii in Marchia, cum certis aliis Terris & pecuniis in compensationem Status dominii, & Civitatis olim Dominorum veterum de Malatestis in Romandiola, & Marchia, concessis tribus fratribus, & filiis olim Domini Pandulphi de Malatestis in verum Vicariatum.

Die XXIV. Augusti Paulus Guinisius Dominus Lucæ privatur dominio ipsius Urbis per Cives, favente Philippo Maria Duce Mediolani.

In Vigilia Epiphaniæ absentavit se præfatus Dominus Firmanus à dominio & gubernatione Forlivii, & accessit versùs Urbem per viam Meldulæ.

Eo anno & die prima Januarii, & in Festo Epiphaniæ hora quasi vespertina Dominus Franciscus de Urbe-Veteri Episcopus ejusdem Urbis applicuit ad Civitatem Forlivii, & pro Papa Martino gubernationem Forlivii, Imolæ, & Cerviæ apprehendidit.

Anno Domini MCCCCXXXI. Die XX. Februarii. Felix memoria Papæ Martini V. Pontificis Sancti migravit ad Christum, & eadem die facta est Solis Eclipsis post ejus obitum die XX.

Die XXI. Januarii. Oppizo de Polenta in eadem Civitate Ravennæ moritur, unico filio suo in dominio & successore relicto.

Gabriel Condelmerius de Venetiis eligitur in Papam loco Martini V., & nuncupatus est Eugenius Quartus.

De mense Junii Cives Pisauri expellunt Galeazum eorum Dominum à dominio.

Eodem Anno die prima Julii. Venetiani, quorum Capitaneus erat Comes Carmignola, contra Philippum Mariam, cujus Dux erat Franciscus Sfortia, in Pado flumine bellum agunt navale, multis navibus ductis apud Cremonam, ubi naves XXX. Venetorum captæ, & quædam submersæ, & circa X. millia hominum periere.

Post vero tribus diebus elapsis, à gentibus Philippi Mariæ exercitus Florentinorum, qui in subsidium Venetorum se transtulerant, debellatus & fugatus fuit, captis ex ipsis ultra mille viros apud Cremonam, capto Petro Jampaulo, & Aloysio de Sancto Severino Ducibus eorum.

Die XXVII. Augusti. Apud Portum Hostiæ mari XVIII. Naves, Januensium, & Philippi Ducis Mediolani contra XXII. Venetorum naves bellum navale asperum agunt. Unde XII. Januensium naves captæ sunt, multis utriusque partis hominibus suffocatis, & diro Marte peremtis.

Die ultima Augusti. Frater Thomas Episcopus Tragurinus intravit Forlivium pro Gubernatore pro Sancta Romana Ecclesia, & & Papa Eugenio.

Die XII. Septembris. Pax edita est inter Papam Eugenium, & Principem Taranti.

Die XV. Octobris. Gentes Venetorum, & Florentinorum II. millia aggrediuntur Cremonam proditorie, & expulsæ per Cives, multis peremtis.

Comes exercitus Venetorum, videlicet Carmignola, è Lombardia se transfert contra Ungaros, qui venerant in Italiam pro molestando Utinum.

Exercitus Marchionis Montisferrati fugatus est à gentibus armorum Philippi Mariæ, & plurima Oppida dicti Marchionis deditionem fecerunt.

Anno Domini MCCCCXXXII. Guerra asperrima agitur inter Ducem Mediolani, videlicet Philippum Mariam, & gentes Ligæ Venetorum, & Florentinorum.

Comes Carmignola Dux exercitus Venetorum capitur, & Venetiis capite truncatur. Fuit enim vir crudelis, & ex vili genere ad summam fortunam evasit, preter quam ad finem, in quo colligitur felicitas.

Gentes Imperatoris Sigismundi contra Bohemos, pro ut de more suæ gentis, agunt inter eos lethale bellum, in quo virorum IX. millia periere, moram trahente tunc temporis Imperatore in Italia Parmæ, & Papa Romæ, & Concilio Constantiæ.

Venetiani Suncinum capiunt contra vires Philippi Mariæ.

Die IX. Octobris. Galeottus Robertus Malatesta Arimini Dominus, vir vitæ laudabilis, in

in ipsa Civitate obiit, migrando ad Christum in actu Beatorum.

De mense Januarii. Nicolaus de la Stella capit Civitatem Castelli, quæ à Papa concessa est, & similiter obtinuit à Papa Burgum Sancti Sepulcri.

De mense Novembris. In Valle Voltolinæ Venetorum exercitus fugatus, & submersus fuit à Nicolao Picinino Capitaneo exercitus Philippi Mariæ.

In Valle Camonica Venetorum gentes captæ & prædatæ sunt per gentes Ducis Mediolani.

Anno Domini MCCCCXXXIII. Papa Eugenius Pisaurum Urbem Piceni Galeaz Malatestæ impartitur. Qui ante Dominus fuerat dictæ Urbis.

B Die XXVI. Aprilis. Ex interpositione condigna Nicolai Marchionis Estensis conclusa est pax inter Venetos cum Florentinis ex una parte, & Philippum Mariam Ducem Mediolani ex altera.

Ex jussu Papæ Eugenii Michilettus armorum Ductor Vetrallam obsedit.

De mense Augusti. Johannes de Varana Camerini Dominus peremtus est in Palatio dictæ Urbis à fratre, & sociis ex odio magno.

Et parum post Gentilis Pandulphus frater præfati Johannis ex eadem causa capite privatus est.

C Nicolaus de Stella guerram movet contra Papam Eugenium apud Romam, Vetralla ab eo capta.

Sigismundus Malatesta cum ejusdem germano Malatesta occupant Cerviam, quæ prius à progenitoribus suis tradita fuerat Martino Papæ V. in compensationem & præmium Bullarum Vicariatus eorum.

Die XII. Octobris. Apparuit quædam Stella ad modum Cometis cum coma caudata, seu barbata, cujus radii corrispondebant versus partes Occidentales.

Anno Domini MCCCCXXXIV. die XXVI. Decembris in die Festivitatis Sancti Stephani de mane ante Tertias, qui dies forte deberet D poni in anno præterito supradicto, videlicet Millesimo CCCCXXXIII. ad quem licet sit post, Pascha magna tamen parum est de Decembre, Forlivienses, facto tumultu in plateis, expellunt dominium Ecclesiæ, prædant Palatium, capiuntque Fratrem Thomam Episcopum Traguriensem tum dictæ Urbis Gubernatorem indignum, male suasum & consultum in ipsa gubernatione. Qui tamdem consignatus fuit in manibus familiæ Pauli de Latiosis, ut faceret liberare Paulum & Johannem Latiosos retrusos in carceribus Venetorum de mandato ejusdem Gubernatoris; & acersito Antonio Ordelaffo Lugi commorante, in libero dominio Urbis præmissæ reponitur, E recuperata Arce Ravaldini cum omni Comitatu.

Comes Franciscus Sfortia Ductor armorum exercitus Philippi Mariæ Ducis Mediolani omnes fere Civitates Marchiæ Anconitanæ capit, quæ pro Ecclesia ante tenebantur, Eugenio Papa stante.

De mense Junii. Imolenses Urbem Imolæ Philippo Mariæ tradunt.

Die XXII. Julii. Comes Johannes de Lugo, qui tunc exul erat in Civitate Faventiæ, defunctus est.

Die XXVIII. Augusti. Nicolaus Picininus, & Rasininus Ductores exercitus Philippi Mariæ apud Imolam castra Florentinorum & Venetorum colligatorum viriliter dirumpunt, fugant, & spoliant, captis Nicolao de Tolentino Capitaneo exercitus eorum, Petro Jampaulo de Ursinis, Astorgio Manfredo de Faventia, Cæsare de Martinengo, Johanne Mostarda de Forlivio armorum ductoribus, omnibus transmissis ad dictum Ducem Mediolani.

Die XVII. mensis Maji. Nobilis & strenuus vir Franciscus, dictus Presbyter Comes, de Forlivio fuit à Ludovico Tertio, Serenissimæ Principissæ Dominæ Dominæ Johannæ Secundæ Dei gratia Ungariæ, Jerusalem, Siciliæ &c. Reginæ filio unico, qui de præfato Siciliæ Regno heres & successor Calabriæ & Andegaviæ Dux &c. electus Capitaneus armorum ad guerram Terrarum Rossetti, Bolitæ, Nuceriæ, & Corniæ, suarumque pertinentiarum cum potestate Regia.

Anno Domini MCCCCXXXV. die V. Augusti. Classis Januensium, quorum Dux & Dominus erat Philippus Maria Dux Mediolani, armatam hostilemque classem Regis Aragonum apud Gajetam ex toto confligit, captis ipso Rege Alphonso con duobus fratribus, videlicet Rege Navarræ, & Magistro Sancti Jacobi, nec non Principe Taranti, Duce Suessæ, & filio Domini Christophori Gaetani Comitis Fundorum, aliisque Baronibus secum existentibus, exceptis Infante Dompno Petro, & Principe Salerni; captis etiam navibus & navigiis ipsius armatæ, & hominibus, qui super ipsis militabant. Et omnes capti ducti sunt ad Philippum Mariam, qui paulo post eos dimisit, & libertatem donavit, faciens eos dignos clementiæ, & largitatis, ac munificentiæ suæ, ut de Alexandro legitur, Blasio de Asereto classis Januensis, & præfati Domini Ducis victorioso Ductore.

Die XXIX. Augusti. Pax generalis celebrata fuit inter Papam Eugenium, Dominosque de Liga Venetorum, & Florentinorum ex una parte, & Philippum Mariam Ducem Mediolani ex altera.

De mense Augusti. In Valle Serravallis Marchiæ Anconitanæ, Nicolaus de Stella, qui ante ceperat Comitem Leonem natum ex Sfortia, occiditur in quodam bello, equo ruente, super quo sedebat.

Civitates Bononiæ, & Imolæ Philippus Maria Eugenio Summo Pontifici reddit propter pacem.

Die XXIV. Decembris. Antonius de Bentivolis Civis præstantissimus, benevolus Ecclesiæ, in Palatio Prætoris Bononiæ, odio & vi Baldassaris de Offida viri nefandissimi, habentis præsidentiam ibidem ab Ecclesia, & Papa Eugenio, impie decollatus est.

Anno Domini MCCCCXXXVI. die XI. Julii. Forlivienses habentes eorum Civitatem obsessam ab exercitu Eugenii Papæ, cujus Capitaneus Comes Franciscus de Cutignola erat, compulsi & astricti vi, dolo, & penuria victualium, Civitatem ipsam tradunt Ecclesiæ, eam consignando dicto Comiti, & Rentio de Tuderto Præsidi pro Ecclesia, expulsis Antonio Ordelaffo cum Cecho, & Pino natis ejus partulis, factione familiæ de Latiosis, & plurimorum Civium dictæ Civitatis ad id compulsorum ex necessitate, ne ipsa Urbs nefarie periclitaretur.

Die VIII. Augusti Comes Ludovicus de Lugo pellitur à dominio dictæ Terræ per gentes armorum Ecclesiæ, & conceditur Nicolao

colao Marchioni Estensi per Papam Eugenium.

Die XVI. Septembris. Comes Franciscus de Cutignola capit Baldessarum de Offida virum crudelem, & homicidiarium, Commissarium exercitus Ecclesiæ apud Medicinam Oppidum Comitatus Bononiæ; quem demum interimi jussit, & dignum & justum fecit; quia similia machinabatur in ipsius personam & suorum indebite fieri.

Anno Domini MCCCCXXXVII. die XX. Martii, guerrarum disturbia incœpta sunt inter Ducem Mediolani Philippum, & Colligatos cum Papa Eugenio, scilicet Venetos, & Florentinos, penes Addam flumen Liguriæ. In quo bellando fere tria millia hominum suffocati sunt timore Nicolai Picinini Capitanei exercitus Philippi Mariæ.

De mense Maji Franciscus Picininus natus ex Nicolao Picinino Urbem Spoleti spoliat, & vi crudeliter prædat.

De mense Octubris Comes Franciscus à Marchia Anconitana pellitur per maximum exercitum Alphonsi Regis, arbitrio Philippi Mariæ, quorum erat ductor Nicolaus Picininus. Quæ quidem Provincia datur Ecclesiæ & Eugenio Pontifici.

Die prima Novembris Imperator Sigismundus occubuit.

Die X. Februarii Imperator Græcorum proficiscitur in Italiam, & se contulit Ferrariæ in Concilio. Postridie verò Patriarcha ipsum Imperatorem insequitur. Cujus Auditor, & Interpres erat devotus & doctus Orator Frater Ambrosius de Porticu Literarum Græcarum, & Latinarum peritissimus.

Anno Domini MCCCCXXXVIII. die XXII. Januarii Papa Eugenius Ferrariam se contulit ad Concilium jam incœptum per Cardinales, & Prælatos jam ante se ab ipso destinatos.

Die VII. Aprilis Nicolaus Picininus expugnat, & capit Bagnacavallum, quod ad Astorgium Manfredum recommissum fecit.

Die XXVI. Maji Rumores orti in Civitate Forlivii inter Cives, & Villicos, Nicolao Picinino cum copiis Ducalibus Philippi Mariæ castramentato in Comitatu Forlivii, conceditur Civitas ipsa pro arbitrio Nicolai Picinini, Amicorum, & Rusticorum, Antonio Ordelaffo, qui morabatur in campo cum ipso Nicolao, Arce remanente in manibus præfati Nicolai pro Duce Mediolani.

His diebus Nicolaus Picininus pro Philippo Maria rapit Imolam, & Castrum Bononiense, & paulo post Bononiam, faventibus Zambechariis, & pluribus aliis Civibus, expulsa parte Ecclesiæ.

Die XXVII. Maji Oppidum Caminatarum districtus Forlivii conceditur Roberto de Monte Bodio per Nicolaum Picininum Ducalem Capitaneum.

Die XXVIII. Junii Nicolaus Picininus vi capit Casale Majus in Lombardia, spoliando ipsum fere omnibus bonis, ubi ultra homines centum ferro peremti occubuere.

Die XXVI. Augusti Franciscus Picininus proditorie adegit Castrum Sancti Sepulcri, expulsa Ecclesia, Papa Eugenio, tunc prius dominante.

Die XV. Octubris Oppidum Sancti Venantii per Patriarcham ductorem gentium Ecclesiæ furtive capitur, Ripamque Bellam Oppidum, & Palestinam funditus destruit.

Anno Domini MCCCCXXXIX. die XXVIII. Januarii Comes Guelphus de Dovadula Faventiæ capitur mandato Guidatii Manfredi ibidem Domini, & in carceribus detrusus, vita privatur, remanente Oppido ejus ipsi Guidatio.

Die XXVII. Aprilis Philippus Maria Imolam Urbem Romandiolæ Guidatio Manfredo Faventiæ Domino, & cum exercitu sibi colligato, liberaliter impartitur, & donat.

Die primo Maji Comes Franciscus de Cutignola ductor exercitus Colligatorum Foropompilium habuit, quod postea Petro Jampaulo armorum ductori concedit.

De mense Maji Gattamellata de Narnia Capitaneus gentium armorum Venetorum vi debellavit, atque exspoliavit Montagnanam.

De mense Junii Comes Franciscus Placentiam Urbem vi debellat, positis machinis, pariterque illam ex bonis mobilibus cunctis exspoliat.

Die XXVI. Septembris classis ingens hostilis Venetorum in Lacu Gardæ conflicta est, & submersa magna vi, duce victoris exercitus Nicolao Picinino pro Philippo Maria, captis VII. millibus hominum una cum Thaddæo Marchexio, Petro Coliono, Cavalcabò, & quatuor Venetorum Commissariis.

Die XV. Octubris Dominicus Malatesta Cæsenæ Dominus proditione Castellum Ditium è manibus Comitis Urbini occupat, pace exstante inter eos.

Die XXV. Octubris Dux Sterlichi, qui electus fuerat in Imperatorem, veneno hausto perit, cum eodem Baronibus XIV. comedentibus simul. Et pariter omnes fere CL., qui eis ministrabant, crudeliter perierunt.

De mense Novembris apud Penatam Oppidum Lombardiæ castra Nicolai Picinini conflicta sunt à gentibus Francisci Sfortiæ, captis ibidem Carolo Mantuæ Domino, & Cæsare de Martenengo pro Philippo Maria.

Anno Domini MCCCCXL. die XVII. Februarii Nicolaus Picininus, cum fere III. millibus equitibus armorum pro Duce Mediolani nocte ingressus est Veronam, & ipsa Urbs deprædata ab eo relinquitur, & aufugit, vi pulsus à Civibus, & à gentibus Francisci Sfortiæ eis succursum præbentibus.

Die XII. Maji Nicolaus Picininus aggressus Meldulam Oppidum Domini Malatestæ de Cæsena, illud pactis occupat, pariterque habuit Mutilianam, & Aureolum, quod concessit Guidatio Manfredo; & quam plura Oppida cepit in illis montibus; & paulo post transivit Alpes, & ivit in Tusciam contra Florentinos, & Papam Eugenium.

His quidem diebus Patriarcha de Corneto nova damna contra Statum Ecclesiæ moliens occulte, in Arce Sancti Angeli Romæ capitur, & à Custode dictæ Arcis perimitur, contra quem proditionem machinare affectabat, ut sacrilegus & sceleratus.

Die XXI. Maji Oppidum Foropompilii traditur Antonio de Ordelaffis Domino Forlivii, quod tenebatur à Petro Jampaulo de Ursinis prius.

Die XXIII. Junii Nicolai Picinini exercitus magnus apud Burgum Sancti Sepulcri Tusciæ Oppidum conflictus & fugatus fuit, ducibus felicium castrorum Michieletto de Attendulis, & Petro Jampaulo de Ursinis. Altero verò die Burgum ipsum per Cives traditur Ecclesiæ, pace ejs data.

Die VIII. Augusti exercitus Colligatorum de-

debellant Flumanam Forlivii Oppidum, prædantque, & combustum relinquunt.

Die V. Octubris copiæ gentium Colligatorum fere XVI. millia Urbem Forlivii obsident, & vi conantur adipisci dimicando, & non obtinent, obviantibus gentibus Ducalibus, duce Francisco Picinino; & existunt in exercitu Ligæ cum Patriarcha Comes Franciscus de Cotignola, Petrus Jampaulus, Michilettus de Cutignola, Sigismundus Malatesta, & Simonettus.

De mense Novembris Franciscus Comes Puppi Tusciæ Oppidi pulsus est ab ejus dominio per gentes Florentinorum, & Oppida ejus funditus eversa sunt.

Die primo Decembris Thomas de Campo Fregoso Januæ Dux præstantissimus moritur in eadem Urbe.

Alphonsus Rex Aragonum vi rapit Beneventum, Manfredoniam, Arianam, Betontum, & alias quamplures Civitates in Apulia, quarum Dominus & possessor fuerat Comes Franciscus Sfortia.

Anno Domini MCCCCXLI. die XXVIII. Februarii Oppidum Caminatarum Forlivii traditur Dominico Malatestæ per Rubertum de Monte Bodio, jussu Nicolai Picinini.

Die II. Julii Franciscus Picininus cum Domino Malatesta per viam Arcis ingressus est Civitatem Forlivii, prœliando cum Civibus. Tamdem ab ipsis extra Urbem expulsus est cum dedecore, magna cum strage.

Die XXV. Octubris Comes Franciscus de Attendulis Dominam Blancam filiam Philippi Mariæ Ducis Mediolani ducit in uxorem, Cremona & Pontremulo concessis pro ejus dote.

Die XX. Novembris facta est pax inter Collegatos, & Philippum Mariam ex interpositione Francisci Sfortiæ præfati.

Anno Domini MCCCCXLII. die II. Aprilis duo circuli simul conglobati in æthere, quorum magnitudo erat ad modum rotarum currus.

Die X. Junii Alphonsus Rex Aragonum Urbem Neapolim à Colligatis relictam capit vi & armis, & partem ejus prædat, & spoliat.

Nicolaus Picininus Vexillifer Ecclesiæ in Marchia Anconitana acriter dimicat adversus Franciscum Sfortiam Cutignolæ Comitem.

Die XXI. Septembris Comes Franciscus de Cutignola Oppidum Ripæ Transonæ in Piceno sibi amicum prædat, & incendit.

Die XXX. Novembris Assisium Piceni Urbem Nicolaus Piciniuus Vexillifer Ecclesiæ capit vi armorum, debellatque, & spoliat contra vires Francisci Sfortiæ Comitis Cotignolæ.

Die ultimo Decembris Nicolaus Marchio Estensis, qui se transtulerat ad Philippum Mariam visendum in Civitate Parmæ ipsius Ducis, febre moritur, cui in dominio Leonellus ejus filius succedit.

Anno Domini MCCCCXLIII. Guidantonius Comes Urbini ac Dominus in eadem sua Urbe diem ultimum functus est, cum digna memoria, relinquens successorem in dominio Thaddæum ejus natum.

De mense Augusti Petrus Jampaulus de Ursinis strenuus armorum Ductor obiit in Tuscia.

Die XIV. Augusti Comes Aloysius de Verme apud Pontem Poletranum in territorio Bononiæ reversus est à Bononiensibus, quorum A exercitus caput erat.

Die XI. Septembris magnus Rex Alphonsus personaliter, cum ingenti exercitu, & copiis pedestrium ultra XXX. millia fugando Comitem Franciscum Sfortiam de Marchia, Fani Urbem obsedit, in qua erat idem Comes cum Domina Blanca consorte sua, & Domino Sigismundo possessore ejusdem Urbis. Fuerat autem associatus idem Rex à Nicolao Picinino, & Legato Ecclesiæ, qui requisiti à Philippo Maria Duce Mediolani, ne accessum suum ulterius facerent, gerentes morem voluntati illius, quamprimum retrogressi sunt, relinquendo Marchiam Ecclesiæ.

B Alphonsus Rex præfatus, relicta dicta Provincia Marchiæ in manibus Domini Firmani Cardinalis pro Romana Ecclesia & Papa Eugenio, Legati dignissimi, Neapolim proficiscitur cum copiis & Baronibus ejusdem societatis.

Die VIII. Novembris Comes Franciscus Sfortia cum Sigismundo Malatesta aggressus castra Nicolai Picinini posita supra Fanum apud Montem Lurum, ea fundit & fugat, evadente Nicolao Picinino cum paucis. Et paulo post idem Comes cum Sigismundo occupat Montem Albottum oppidum Caroli de dicto loco sibi amicum, & dira præda exspoliat.

C Anno Domini MCCCCXLIV. die XVIII. Januarii Domina Blanca uxor Francisci Sfortiæ Fani peperit filium primogenitum, cujus nomen fuit Galeaz.

Die XX. Maji Beatus Frater Bernardinus de Senis Ordinis Sancti Francisci occubuit Aquilæ, qui pluribus miraculis claruit.

Die XXII. Julii Otto Comes Duxque Urbini ob violatam pudicitiam feminarum à popularibus nocte trucidatur. Cui succedit Federicus olim filius Bernardini de Carda ex Ubaldinis in ipso dominio.

Die XIX. Augusti castra Ecclesiæ Romanæ in Piceno posita, quorum Ductor erat Franciscus Piciniuus natus ex Nicolao Picinino, conflicta sunt à gentibus Francisci Sfortiæ, capto ipso Francisco Picinino, fugatis Legato, & Malatesta de Cæsena.

D Die XXII. Octubris Nicolaus Piciniuus, maximus Capitaneus, & victoriosus gentium armigerarum Ductor, in Lombardia moritur.

Anno Domini MCCCCXLV. de mense Martii Galeaz natus olim Domini Malatestæ de Pensauro ex odio suorum Civium, & forte Domini Sigismundi eum vexantis, dictam suam Urbem Domino Alexandro olim nato Sfortiæ de Cutignola vendidit. Et pariter post Fosumbronium nobile oppidum Federico Urbini Comiti alienando vendidit.

Die VI. Junii Eugenius Papa Beatum Nicolaum de Tolentino Ordinis Eremitarum Sancti Augustini canonizat.

E Die Sancti Johannis de Junio Annibal de Bentivoglis Civis Bononiensis est interfectus; factione Baptistæ de Canetulo, qui etiam ab amicis dicti Annibalis indignatione commotis occisus est; unde Civitas in armis tumultuavit.

Die XVII. Julii oppidum Pergulæ in Piceno, quod pro Sigismundo Malatesta tenebatur, captum fuit & exspoliatum per gentes armorum Francisci Sfortiæ ex quadam contumelia inter eos orta.

Die XVII. Julii Talianus Furlanus magnus conductor gentium Philippi Mariæ quædam oppi-

oppida capit in Comitatu Bononiensi.

Anno Domini MCCCCXLVI. die XXVI. Julii Talianus Furlanus in castris Ecclesiæ in Marchia existentibus decapitatus est.

Die primo Octubris Castra Venetorum confligunt gentes Philippi Mariæ, tribus millibus equitum captis, quorum ductor erat Bartholomæus de Pergamo, qui captus fuit per dictum Ducem, & detrusus in carceribus.

Die X. Novembris exercitus Venetorum castramentatus est apud Mediolanum, & magnum lethale bellum ibi committitur.

Anno Domini MCCCCXLVII. die XXIV. Februarii Papa Eugenius Quartus Romæ occubuit, post cujus obitum die VI. Martii Dominus Thomas de Sargiana Cardinalis electus fuit in Papam, & nuncupatus est Nicolaus Quintus.

Die XVII. Augusti Domina Blanca cum Francisco Sfortia viro suo ex Marchia ad Philippum Mariam genitorem ejus, eunte, apud Forlivium equus, super quem sedebat, in terram cecidit, & mortuus est, indicans malum omen.

Die XXVII. Augusti Philippus Maria gloriosissimus Princeps ex profluvio ventris Mediolani in Arce portæ Jovis occubuit. Et Civitas jam obsessa erat à gentibus Venetorum; sed populus dominatione potitus est. Et paulo post Franciscus Sfortia ductor armorum Mediolanensis populi eam obtinuit.

Die XVII. Novembris Comes Franciscus præfatus vi & armis Urbem Placentiam obsessam capit, eversis mœniis, & maxima præda etiam spoliat.

Anno Domini MCCCCXLVIII. die XXII. Junii Guidatius Manfredus Faventiæ Dominus ultimum suæ vitæ diem clausit apud balnea Pitrioli Senensium. Cujus corpus delatum est Faventiam, relicto in dominio ejus successore Astorgio, & Thaddæo nato ex ipso Guidatio Domino remanente.

Die IV. Augusti Antonius de Ordelaffis Forlivii Dominus obiit. Cui in dominio ejusdem Urbis Cecchus, & Pinus ipsius nati successores remansere. Et eo tempore in Forlivio magna mortalitas fuit, adeo quod circa VI. millia hominum perierunt, ob quorum mortem Civitas ipsa calamitose affligitur. Dignissimam memoriam reliquit, mirabili cum funere à filiis, uxore, & populo decoratus.

Anno Domini MCCCCIL. die XX. Septembris Comes Franciscus contra Mediolanenses bella movet, contra quem Veneti cum Mediolanensibus conjurant.

Anno Domini MCCCCL. Jubilæus Romæ per Nicolaum Papam feliciter ordinatur.

Die XXIV. Februarii Mediolanenses oppressi hostiliter vi & fame Urbem tradunt Francisco Sfortiæ, & Dominæ Blanchæ, trucidatis Venetorum Rectoribus, Mediolanum adipisci affectantibus, auctore Gaspare de Vilmercato.

De mense Maji in festo Pentecostes Papa Nicolaus V. Beatum Fratrem Bernardinum Ordinis Sancti Francisci digne catalogo Sanctorum inseruit.

De mense Junii mortalitas magna Romæ, ob quam Summus Pontifex secessit ab Urbe.

In mense prædicto Sigismundus Malatesta in armis Ductor Venetorum in territorio Veronensi quamdam nobilem Dominam de Burgundia accedentem Romam pro Indulgentia stupravit, & exinde jugulavit, & societatem Ariminum transmisit.

Anno Domini MCCCCLII. de mense Januarii Imperator Federicus noviter electus se transfert in Italiam, & à Summo Pontifice Nicolao V. coronatur.

Die XX. Januarii Stephanus Porcarius vir magnanimus ex quodam facinore contra Papam Nicolaum perpetrato Romæ capitur cum quibusdam sociis scientibus, & capite truncatur, & alii per culpabiles suspenduntur. Fama est, ipsum Stephanum affectasse Romam ad pristinam libertatem, seu Imperium velle reducere, Clericos dominio temporali privando.

Anno Domini MCCCCLIII. die XXVIII. Maji Teucri Peram Græciæ Urbem, quam Januenses tenebant, vi capiunt, prædantque, & tamdem diruunt.

Die VIII. Julii Constantinopolis nobilissima Græciæ Civitas capitur à Teucris, & ibi maxima multitudo hominum mortuorum strages, crudeliter exspoliando Civitatem, pueros venumdando, puellas stuprando, vetulas mactando, & mœnia Urbis æquando, & Corpora Reliquiasque Sanctorum Christi incendio & strage ignominiose comburendo.

Die XXVIII. Junii Tiberto, Comitis Brandolini de Forlivio nato, ductore copiarum Francisci Sfortiæ Ducis Medioliani, gentes armorum Venetorum conflictæ & fugatæ sunt apud Veronam, duobus equitum millibus captis, & totidem mancipiis pretio redimendis.

Die XII. Augusti Gherardus Gambacurta affectans Castella sibi donata à Florentinis tradere Alphonso Regi Apuliæ; privatur de Gorzano, & aliis oppidis in totum, ex proditione maxime famuli, foris Gerardum ipsum excludentis ab Arce.

Die V. Octubris Cecchus Ordelaffus Venetorum Ductor capitur à gentibus Francisci Sfortiæ Ducis Mediolani in bello inito apud Brixiam in loco nuncupato Ghede.

Anno Domini MCCCCLIV. de mense Aprilis pax inita ac firmata est inter Franciscum Sfortiam Mediolani Ducem cum Adhærentibus ex una parte, & Venetos & Adhærentes ex altera.

Die XXVIII. Aprilis post mortem Papæ Nicolai V. eligitur in Papam Dominus Cardinalis Valentinensis, nuncupatus Calistus IV.

Anno Domini MCCCCLVI. die primo Junii Cometes apparuit in Cœlo crinibus diffusis, quæ erat ad modum flammæ ignis ardentis.

Die IV. Decembris maximi terræmotus. Nam Civitas Ariana submergitur, & ubi sita erat, lacus apparet. VIII. millia hominum periere; Alepha Civitas, & plura oppida in illis partibus submersa à terribilibus terræmotis, & diruptæ undique per ipsa loca infinitæ domus, & ædificia cum pavore viventium, & alia non audita nec visa per longa tempora quæ creduntur evenisse ex effectibus Cometæ præmissæ.

Magna mortalitas tunc in partibus Tusciæ, Piceni, Marchiæ, Romandiolæ, & Venetiarum apparuit.

Anno Domini MCCCCLVII. de mense Julii terræmotus magnus in Calabria, & in ipsa quædam Castella & Oppida eversa funditus apparuerunt.

Mortalitas sævior perseverat, quàm in anno elapso etiam fuerat.

Teucri in Albania ingressi, eam igne & ferro devastant, in ea multis millibus hominum crudeliter peremtis.

De

De mense Octubris bella asperrima inter Sigismundum Malatestam, & Federicum Urbini Comitem oriuntur, ductore gentium dicti Federici Comite Jacobo Picinino à Rege Alphonso transmisso.

Die XXIII. Octubris passione & odio potius, quam ratione, motis Venetis, Franciscum Foscarum seniorem Ducem eorum, & virum sapientissimum, Ducatu privant. Et in ejus successorem eligitur Paschalis Malapiera pro Duce, satis ingenii, ut fertur, imparis.

Anno Domini MCCCCLVIII. die XV. Martii Castra Comitis Jacobi Picinini cum armorum gentibus præfati Comitis Federici debellant Carpigno oppidum Comitis Ramberti de Malatestis, & ipsum capiunt & prædant.

Die VII. Aprilis Civitas Castelli à terræmotibus vexata, in magna parte ruit, & multi in ruina præcipitant.

De mense Maji Turcus Ottomanus Urbem . . . . . vi expugnat, & ibi multa millia hominum fere interimit ac jugulat.

Die XVII. Augusti Calistus Papa Romæ moritur, & exinde post die XI. dicti mensis Æneas Cardinalis Senensis eligitur in Papam, nuncupatus Pius Secundus.

Die XV. Junii Alphonsus Rex fato cessit in Urbe Neapoli. Nam his temporibus cum suis copiis castra tenebat prope & contra Januam, & in Romandiola contra Sigismundum Malatestam. Corpus verò ejus delatum est Populentæ in Catalonia, cui successit Fernandus ejus natus Rex citra Pharum.

Anno Domini MCCCCLIX. die XIV. Septembris Januæ ex proditione Civitas in armis surgit, Perino de Campo Fregoso exule adversùs Patriam irruente cum Sigismundo Tiberti Brandolini filio ductore exercitus à Francisco Sfortia Mediolani Duce transmisso: ex quo Perinus in bello facto in Civitate capitur, & occiditur, capto etiam Sigismundo, & multis ex utraque parte peremtis.

Eo tempore Civitas Januæ per Francos regitur pro libito Regis Franciæ.

Anno Domini MCCCCLX. contra Fernandum Regem Neapolis Comes Jacobus Picininus castra ducit, arbitratu Ducis Johannis, olim nati Regis Raynerii.

Die V. Novembris Sigismundus Malatesta guerram facit Terris Ecclesiæ Romanæ; & quædam Castra in Comitatu Fani ac Vicariatu occupat.

Anno Domini MCCCCLXI. Gentes armorum Ecclesiæ contra Sigismundum Malatestam castra ponunt, ductore earum Alexandro Sfortia.

De mense . . . . . Januæ rumores & bella inter armigeros Francorum, qui cum parte Civium pro Rege Franciæ gubernabant ibi, & gentes armorum Pii Papæ, ac Regis Fernandi cum illis de Campo Fregoso, aspere & mortaliter committuntur. Ex quibus cum decem millia Francorum militarent, IV. millia ferro periere.

Die XX. Novembris Terræmotus magnus apud Aquilam Urbem fuit, qui plurimas ædes & viros absorpsit.

Anno Domini MCCCCLXIII. die VIII. Martii factione quorundam Civium Sigismundus Malatesta Pisaurum Piceni Urbem aggressus, neutiquam obtinet eam.

Die XIII. Augusti Senigalliam Urbem olim antiquam, nunc Oppidum Marchiæ, Sigismundus Malatesta occupat, expulso dominio

A Ecclesiæ Romanæ; sed paulo post supervenientibus armorum gentibus Ecclesiæ, aggredientibus Castra dicti Sigismundi, vi illa Sigismundi convertunt in fugam, relictis eorum carriagiis, captoque Comite Johanne Francisco de Mirandula in Oppido.

Die XXVIII. Augusti exercitus Comitis Jacobi Picinini pro Rege Johanne nato Regis Aloysii de Francia apud Trojam Civitatem Apuliæ, fusus & fugatus est à gentibus Ecclesiæ, & Regis Fernandi, multa clade facta cum cæde virorum utriusque partis.

Die XXVIII. Aprilis Tibertus natus olim Comitis Brandolini de Forlivio, Capitaneus gentium armorum Comitis Francisci Ducis

B Mediolani, ab ipso Duce capitur, & in carcere detinetur, tamdemque anxiè moritur.

Die XIX. Augusti Astorgius Manfredus Faventiæ Dominus castramentatus est apud Imolam, & quædam Comitatus Castra capit.

Die XXI. Octubris Astorgius Manfredus pro Ecclesia contra Meldulam Oppidum nobile Malatestæ Domini Cæsenæ castra apud ipsum ponit, & bis in fugam fere conversus est.

De dicto mense Montes Aluminis Rochæ reperti sunt apud Civitatem Veterem, ubi dicitur Tulfa non longe à Roma, quod Alumen non visum fuerat per antefacta tempora.

Anno Domini MCCCCLXIII. de mense

C Maji Turchus Belugula Ottomanus Bossinam rapit, eam igne & ferro devastando, V. millibus hominum gladio jugulatis.

Die VIII. Junii Maxinatam, & Gradariam Oppida Sigismundi Malatestæ à gentibus armorum Ecclesiæ Romanæ acquiruntur.

Die X. Martii Cervia Civitas Domini Malatestæ de Cæsena pretio traditur dominationi Venetorum.

Die XXIV. Junii Blondus Flavius Foroliviensis Historiographus Romæ moritur; qui pro digna ejus memoria multos Libros ab ipso luculénter & ornate compositos reliquit, illustrando Prolem ejus ex quinque natis, pro ætate doctissimis viris, quos idem in Italia

D sua appellavit.

Die XXV. Septembris Civitas Fani, tunc Sigismundi Malatestæ, discrimine longarum guerrarum & bellorum admodum oppressa, per gentes armorum Ecclesiæ Romanæ, tamdem deditionem facit, expulso Roberto Malatesta nato dicti Sigismundi, duce castrorum Ecclesiæ Federico Urbini Comite.

Die VIII. Januarii nix alta pedibus sex in Romandiola, ex qua multæ ædes ruerunt, & arbores per terram confractæ sunt.

Anno Domini MCCCCLXIV. die VII. Aprilis Civitella Oppidum Domini Malatestæ de Cæsena oppressum à gentibus Ecclesiæ vi debellatur & spoliatur.

E Pax data Sigismundo Malatestæ per Papam. Post parum constituitur Ductor armorum à Venetis, ut proficiscitur in Moream Provinciam Græciæ contra Turchas, magno apparatu facto, multisque copiis.

Die XVIII. Julii Papa Pius exoptans pro Christi Fide una cum Venetis contra Teucros adire, pergit Anconam cum Cardinalibus decem; ad quem se transtulit Dux Venetorum ea de causa, & ut simul ambo possent in Teucros melius & potentius valere. Ubi præfatus Papa ægrotans occubuit, & ejus corpus Romæ delatum atque sepultum est die I. Augusti.

Post

Post cujus obitum Paulus Secundus natione Venetus, ante nuncupatus Cardinalis Sancti Marci, feliciter eligitur in Summum Pontificem.

Anno Domini MCCCCLXV. & per tempora felicia subsequentia. Cum per hanc nostram Italiam pax alta, & quies tranquilla fere ubique immineret, & à mortalibus pro otio datum esset, ut fere nedum Urbes, verum etiam Oppida, mœnia, & Arces munirentur, fortificarentur, ac undique repararentur, & de novo construerentur, sequendo pro digna memoria illud proverbium, quod à vulgo dicitur: *Quod tempore Pacis te armes, ut in bellicis temporibus te defensare valeas*: ideo inter ceteras Romandiolæ Urbes fertur ab Illustri Duce Borsio Ferraria aucta, ampliata, & Palatiis, ac mœniis admodum decorata & ornata.

Item pariter Bononia à regimine Ecclesiæ magnopere in Palatiis, & ornatu Civitatis tota decorata.

Necnon Faventia à Carolo Domino de Manfredis in Burgis, & undique non parum bellificata.

Item simili modo Ravenna à dominio Venetorum ex Cittadella, Templis, & ornatu totius Urbis ultra solitum in stratis, & ædibus opportunis decorata.

Item eodem modo de Cæsena, quæ munita est ex illa magna Cittadella undique fortificata ab Officialibus Ecclesiæ, & in tota Urbe in ædibus ornata, & muris cincta.

Anno Domini MCCCCLXVI. die XXII. mensis Aprilis Magnificus Dominus Cecchus de Ordelaffis moritur à longa infirmitate oppressus, cujus corpus in funere à fratre solemniter decoratur.

Item die VII. Octubris Domina Barbara olim uxor Illustris Domini Pini Ordelaffi obiit. Cujus funus celebre ornatum, & corpus ejus pro digna memoria conditum in sepulcro marmoreo, decorato & sculpto mirabili artificio, in Ecclesia Beati Hieronymi, videlicet Observantiæ de Forlivio.

Anno Domini MCCCCLXVII. die XXVI. mensis Maji Magnifica Domina Catharina de Rangonibus, olim uxor dignæ memoriæ Domini Antonii Ordelaffi, diem suum ultimum functa est, cum foret senex & infirma. Cujus corpus decoratum solemniter fuit à pietate Illustris filii ejus Domini Pini de Ordelaffis, ut conveniens fuit.

Anno Domini MCCCCLXVIII. die XXVII. Augusti Turris Palatii Forlivii, defectu Campanariorum in ea comorantium, igne uritur; ubi unus moritur, & alter laboriose defenditur cum maximo detrimento & damno Civitatis, ob ruinam & fracturam Campanæ grossæ Populi, & alterius militum cum Horologio, & aliis pluribus in ipsa Turri existentibus.

Eodem anno die XIII. Octubris obiit Magnificus Dominus Sigismundus de Malatestis, relictis in dominio Arimini Magnificis Dominis Roberto, & Salustio natis ejus.

Eodem anno exercitus Ecclesiæ cum Thesaurario Apostolico in Civitate Cæsenæ proficiscuntur, Arce ipsius occupata à Magnifico Roberto Malatesta; quibus post multa concordatis, ab ipso Roberto consignatur Murata cum Arce, & munitionibus, receptis præmiis non parvis.

Parum post plures Rustici, machinantes contra Statum scelera, à præfato Thesaurario mediante justitia suspensi sunt in ipsa Civitate & Arce Cæsenæ.

Anno Domini MCCCCLXIX. die VIII. Junii exercitus Ecclesiæ pro Papa Paulo cum exercitu ingenti gentium armigerarum pedestrium & equestrium castramentati sunt apud Civitatem Arimini, Ductore gentium Neapoliono.

Eodem anno die XXX. Augusti exercitus Ecclesiæ castramentatus, ut supra, juxta Ariminum, à gentibus Regis Fernandi fusæ & fugatæ sunt, Ductore Comite Federico de Urbino pro parte Regis, & Neapoliono pro exercitu Ecclesiæ, manente in dominio dictæ Civitatis Arimini Magnifico Roberto filio Domini Sigismundi Malatestæ.

Anno Domini MCCCCLXX. die XXVIII. Januarii. Illustris Princeps Pinus Ordelaffus Forlivii Dominus se transtulit ad Urbem Romæ cum honorabili comitiva, visendi causa ac exsolvendi debitum fidelitatis & devotionis ingentis, quam gerebat Sanctitati Domini Papæ, videlicet Pauli Secundi; à qua humanissime hilari vultu ad os suum susceptus fuit, & pro meritis & laudabiliter gestis à præfato Domino Pino, non ignotis Beatitudini suæ, ipsa Sanctitas dignata fuit præfatum Dominum laudare & gratificare de fide, & affectione, ac demonstratione suæ optimæ fidei. Et tamdem à clementia Sanctitatis suæ dona & munera amplissima recepit, cum oblationibus, Trophæis, Bullis latis, & plenioribus ejusdem Vicariatus pro Forlivio, Foropompilio, & toto suo dominio, cum largitione Cinguli militaris pro insignio æterno & mantinimento, amore, & affectione fidei & benevolentiæ dignitatis ejus, & aliis gratiis & favoribus, qualia forte alio Principi non tam vultu hilari & jocundo alias illata non fuere.

Eodem anno, & die XXVII. Maji. Illustris Dominus Pinus præfatus duxit uxorem suam Illustrem Dominam Zaffirram natam ex Illustri Domino Thaddæo Manfredo Imolæ Domino, mulierem quidem splendidissimam, & formosissimam, omni virtute & humanitate decoratam. Quæ cum dignissima comitiva hora XXII. in Civitate Forlivii ingressum fecit, & mirabili cum pompa & honore ab omni Populo cum summo gaudio & festivitate recepta dignissime fuit.

Eodem anno Civitas Negroponti à Turcho Ottomanno castramentatur, vique expugnatur, & eripitur de manibus Venetorum cum occisione multorum hominum ferro crudeli nece jugulatorum, cum detrimento & ignominiosa infamia nedum Dominii Venetorum, verum etiam totius Fidei Christianæ.

Anno Domini MCCCCLXXI. die XIV. Martii. Illustris Dux Borsius Estensis Ferrariæ Marchio rediens de Urbe Romæ, visendi causa Summum Pontificem cum dignissima comitiva, splendidissima, & maxima, decorata ex pluribus Dominis, & præstantissimis viris, cum pompa mirabili applicuit Forlivium. Qui, ut decens erat, benigne & gratanter receptus & honoratus ab Illustri Domino Pino exstitit.

Item præfatus Illustris Dominus Borsius non post multos menses, relictis pompis, & gloria Mundi, à longa ægrotatione vexatus, migravit ad Christum, ferens secum nomen optimum dignissimi Ducis & Principis cum æterna memoria, remanente in successione Du-

Ducalis dominii Ferrariæ Domino Hercule.

Eodem anno de mense Augusti. Præfatus Dominus Pinus Ordelaffus cum maximis copiis, & ingenti numero gentium armorum pedestrium & equestrium, cum largitionibus, provisionibus, & promissionibus maximis se conduxit cum Illustrissimo Domino Duce Mediolani honorabiliter pro Ductore exercitus, & Conservatore Status ejusdem in Flaminiæ partibus.

His namque decursis temporibus cum Civitas Forlivii ex quamplurimis seditionibus, & turbulentiis, ac variis eorum discriminibus, passa, afflicta, & conquassata acriter fuisset, maxime à primordio dominii felicis memoriæ Domini Antonii Ordelaffi, & ante & in successione usque ad hæc tempora: ob quod plurimi Cives etiam Optimates, ut exules, exitii, alienique à Patria, diversis in locis conspiciebantur, non absque anxietate & calamitate eorum: tamdem omnes, qui confugerunt ad clementiam Illustris Pini Ordelaffi Domini Forlivii mitissimi, & placabilis per omne tempus, oblitique suarum injuriarum, delictorum veniam postulantes, faciliter gratiam impetrarent. Quo factum est, ut pro tanto munere pietatis & misericordiæ, nedum à revocatis in Patriam, & restitutis in bonis, verum etiam à cuncto Populo laudatus, commendatus, & summe lætatus extitit, ea adscribendo nedum ad nomen dignissimi Principis, verum etiam divini & gloriosi, ut de Cæsare jure optimo testatur.

Eodem anno & die II. Augusti Papa Paulus de Venetiis Secundus obiit in Urbe.

Sixtus IV. succedit in Pontificatu Papali die XVII. Augusti dicti anni MCCCCLXXI.

Eodem tempore præfatus Dominus Pinus, optans instaurare & fortificare Terras, Oppida, & Arces dominii sui, primo instauravit, & ex novo construxit Oppidum Saturani cum ampla Turri, muris, turrionibus, scarpatis, mœniis, foveis, & omnibus opportunis pro munimine & tuitione ipsius in loco eminentiori, pro digna ejusdem Domini memoria, & pro conservatione hominum, & Status ejus. Quod quidem Oppidum dilapidatum jam fuerat in anno MCCCCXXIV. à gentibus Ligæ contra Philippum Mariam Ducem Mediolani, ortâ differentiâ inter Commissarios Florentinos, qui illud volebant pro Commune suo, & Carolus Malatesta Capitaneus volebat pro Thebaldo.

Item præfatus Dominus Pinus fecit munire, fortificare, decorare Arcem Foripompiliensem cum turrionibus, & opportunis, & similiter Terram undique cum muris, scarpis, turrionibus de novo constructis, & cum excavatione, & ampliatione fovearum, adeo quod nihil deficit ad tuitionem, nitorem, & fortitudinem Arcis, Terræ, & mœniorum ejusdem.

Item prædictus Illustris Dominus Pinus perseverans in laudato opere construendi, & securos reddendi homines, & loca ejus, ut decet bonos Principes facere, Oppida montanæ ejus, videlicet Rochæ Hermici, & Petræ Appii, nedum Arces eorum cum mœniis Terrarum fortificavit & reparavit; verum etiam quasi in totum construxit, & turrionibus, muris, reparis, & foveis, & aliis opportunis pro integra tuitione & conservatione inhabitantium.

Anno Domini MCCCCLXXII. Civitati Forlivii, cui circa medietas murorum deficiebat, A præfatus Illustris Pinus Dominus ejusdem Civitatis mirabili cum diligentia de novo fecit fundare, construi, & murare muros, scarpas, & turriones cum opportunis pro munimine & fortificatione dictæ Urbis, & conservatione Civium ejus, & inhabitantium, pro cujus celeri expeditione idem Dominus expendi voluit de pecuniis propriis libras IV. millia Bononiensium pro æterna memoria ex sua munificentia, & liberalitate solita.

Item idem Dominus Pinus totus intentus super tuitione, & roboratione dictæ Urbis, & mœniarum, ex novo fecit suis sumtibus fundare, murare, & condere illam amplissimam & admirabilem Cittadellam cum muris, scar- B pis, turrionibus, Turri, & defensionibus opportunis, cum foveis amplis & profundissimis, cum ingeniis, & mœniis, ac decoratione, cum additione Arcis veteris, quæ pro digna memoria undique fulget, ita quod reputatur à cunctis pro inexpugnabili.

Item per retro acta tempora præfatus Dominus Pinus, numquam desistendo ab opere suo laudatissimo, fabricando perfecit illos eminentissimos Porticus, seu Logiam Palatii magni super Plateis cum pulchro ordine columnarum plurimarum in longitudine, cum altitudine murorum, cum illis fulgentissimis novis Salis, Logiis, thalamis, & afficta ad aurum, & colores diversos, & figuras pictas, C & sculptas, cum tanta arte, decore, & ornatu totius Palatii, & Plateæ, quod videtur esse in Paradiso delitiarum, adeo quod, ut tenetur, forte non exstat in Romandiola alterum ipso Palatio pulchrius. Idem dicetur de ornatu, fabrica, & amplitudine sacrorum Templorum, ac devotione Ecclesiarum Civitatis fulgentium ultra solitum in omni sua parte, cum paramentis decoratis, Librariis amœnis, cum augmento Religionis mirabili, cum arte & ingenio adinventis & auctis non parum ad devotionem. Nec etiam siletur de novis constructionibus & reparationibus Palatiorum, & ædium totius Civitatis Forlivii, quæ vere tempore Dominii prælibati Domini D Pini sunt admodum ita ampliatæ, decoratæ, & bellificatæ, per totum fulgendo, quod est quoddam admirabile, cum videatur altera decora Civitas effecta in meliori statu. Qui quidem Dominus pro affectione, quam habet Civibus sibi dilectis, & Civitati suæ, non tantum de fabricis à se factis, verum etiam delectatur summe de constructionibus ædificiorum magnarum ædium, & exornatione totius ipsius Urbis, præstando auxilium, consilium, & favorem cuicumque ædificare cupienti. Quod satis patet ex inspectione novi operis magnarum & pulcherrimarum ædium fabricatarum pro digna memoria, nuper ab Andrea .... quibus forte pro amplitudine non E digniores illis in hac nostra Provincia reperientur. Lætatur autem præfatus Illustris Princeps, qui opere & virtute sua habet splendidum & fulgens Dominium, cum optima Civitate, pulchris Terris, Oppidis, mœniis, & copiis ornatissimorum & fidelissimorum Civium, & servitorum. Nec minus homines gaudent habere pro Domino clementem, justum, pium, humanum, fortem, magnanimum, mitem, fidelem, & optimum Principem; & se ad invicem in laudatis, & sanctis operibus cognoscant pro digna memoria & æterna fama.

Eodem anno. Galeaz Mediolani Dux, cum jur-

jurgia & odia non parva cerneret esse in Civitate Imolæ inter Dominum Thaddæum, & nonnullos principales Cives ejus, qui ipsum detinuerant multiplicibus de causis: tamdem ipse Dux bonis respectibus motus, ut fertur, præfatum Dominum Thaddæum cum natis, & dictos Cives ad se advocavit, & in suis Lombardiæ Terris residentiam præbuit, capto toto dominio præmissi Domini Thaddæi. De contingentibus vero in futurum ignoratur pro nunc, quid succedere debeat. Sed effectus rem indicabit.

Eodem tempore exorta magna differentia, & exinde seditio inter Florentinos, & Volterranos, occasione Aluminis Rochæ repertæ in districtu Vulterræ, & concurrentibus partibus ipsis, prætendentibus jus in ea adhibere, & dum à Florentinis violentia contra Vulterranos machinaretur: tamdem ab his facta est rebellatio cum præsidio plurimorum peditum. Et è contra pro ipsius recuperatione, dum Florentini colligerent gentes suas, & haberent subsidia favorabilia à copiis gentium armorum, equitum & peditum Dominorum Regis Neapolis, & Ducis Galeaz Mediolani, cum concursu Comitis Urbini; & cum inter partes tractatus & practica concordiæ foret, & Terrigenæ haberent inter se malam intelligentiam, intromissis gentibus in ipsa Civitate, satis temere ab illis facto concursu, & irruptione violenta per eam, leviter deprædatur ac saccomanatur.

Eodem anno circa medium mensis Augusti Illustris. Domina Baptista filia quondam Domini Alexandri Sfortiæ, & uxor Comitis Urbini, diem suum functa est. Cujus Exequiæ pro ejus dignissima memoria, mirabili cum pompa in Civitate Urbini celebratæ fuerunt, cum luctu, & mœrore maximo. Vestitu lugubri erat IV. millia luminariis frequentia Oratorum plurimorum, videlicet Papæ Sixti, Regis Neapolis, Ducis Mediolani, Venetorum, Florentinorum, Senensium, Perusinorum, Dominorum Marchionum Mantuæ, Ferrariæ, Forlivii, Faventiæ, Arimini, Imolæ, & omnium fere Dominorum Comitum, Baronum, & magnificorum Virorum, & Potentiæ Italiæ, cum concursu earum, & nobilium Civitatum, & locorum præfati Comitatus, non sine laude & meritis ipsius Dominæ, quæ vere ornata & illustrata fuerat ingenio, scientiis, ac multiplicibus virtutibus.

Eodem tempore commemoratus Dominus Pinus, continuando in fabrica, & opere laudabili suæ Urbis Forlivii, illam suam amplissimam jam Domum ex præeminentia vocatam magnam, fere totam deformatam, & præcipitantem in ruinam, pro ornatu Urbis, & ejus digna memoria, suis sumtibus non solum illam reparare, & reformare fecit, verum etiam sublevare, & augmentare, decorando illam ex picturis, & merlaturis fulgentibus, ita quod ex Domo merito transcendit ad culmen Palatii, cum aspectu florido & jocundo Civibus, ac omnibus gratissimo.

Die prima mensis Novembris Festivitate omnium Sanctorum, prælibatus Dominus Pinus affectans ornare Civitatem ejus Forlivium, ex Equitibus & Nobilibus coram consorte sua, & omni populo, in Palatio & Sala ejus residentiæ, Dominum Ludovicum natum Andreæ Bartholomæi Cecchi Deddi Civis Forlivii militem fecit, decorando eum ex cingulo, veste aurea, calcaribus, & ense cum pompa magna,

A & aliis solemnitatibus in similibus usitatis, pro digna memoria præfati Domini, & militiæ dicti Domini Ludovici, cum hilaritate omnium Civium, & Populi adstantis.

Eodem tempore, cum per multa Secula inter Communitates Terrarum Foropompilii, & Bertinorii, jam ortæ fuissent magnæ controversiæ, lites, & injuriæ, usque ad homicidia plurimorum, occasione finium, & territoriorum litigiosorum contiguorum ipsorum: adeo quod omni anno, & maxime tempore recolligendorum fructuum, renovabantur rixæ, nec poterat per Dominantes eis finem imponere: tamdem à pietate, & virtute Domini Pini cum præsidio & auxilio Reverendissimi
B Domini Episcopi Aretini Gubernatoris Cæsenæ, & Bertenorii pro Papa Sixto, cum maxima diligentia, & labore provisum fuit, quod omnes de dictis Communitatibus starent taciti, & contenti suis finibus, & terminis assignatis cum adjectione pœnarum. Et sic Deo dante, partes præfatæ ea omnia ratificarunt cum amore, pace, & quiete dictorum Dominorum, & hominum.

Anno Domini MCCCCLXXIII. die Dominico mensis Januarii Venerandus Religiosus, & Prædicator famosissimus Ordinis Observantiæ Beati Francisci prædicans in pulpito Ecclesiæ magnæ Sancti Francisci, cum præsentia & copia totius populi Liviensis, habens Bul-
C las in manibus ejus Papales latas cum plumbo vallatas, illas seriose legendo, publicavit: Qualiter Sanctitas Sixti Pontificis Quarti fecerat & ordinaverat Illustrem Dominum Pinum de Ordelaffis Vicarium suum de Civitatibus Forlivii, & Foropompilii, & omni districtu, & Comitatu suo pro se, & filiis ejus legitimis & naturalibus, & etiam pro Sinibaldo filio suo præsenti naturali tantum, & pro filiis aliis, si habuerit, pro quibus totus populus summo gaudio gavisus & lætatus est, reddentes ingentes laudes, & gratias omnipotenti Deo, & Summo Pontifici, & etiam Reverendissimis Cardinalibus, qui tali Bullæ se subscripserunt pro tanto beneficio.

D Eodem anno in principio mensis Aprilis Illustris Dominus Alexander Sfortia de Attendolis Dominus Pisauri obiit in itinere, accedendo Venetias. Qui fuit Capitaneus magnus, & magnanimus inter primos Italicos, relinquens de ejus magnanimitate non mediocrem gloriam, & famam.

Eodem anno, & die XIV. mensis Junii & hora II. noctis Illustris Domina Zaffira, olim consors dignissima Illustris Domini Pini de Ordelaffis Domini Forlivii, & filia magnifici Domini Thaddæi de Manfredis, reddidit animam suam Creatori Deo. Cujus corpus tumulatum fuit in Ecclesia Servorum Observantiæ Sanctæ Mariæ de Forlivio. Cujus exequiæ
E in die obitus, & septimarum pro ejus digna memoria mirabili cum apparatu & pompa celebratæ & decoratæ fuerunt, cum luctu & mœrore maximo, cum vestibus lugubribus ipsius Domini, & Civium, & longa multitudine populi & Cleri, ac Religiosorum luminariis, cum pyra & cereis, celebratione Missarum, & Officiorum, cum adventu Legatorum Dominorum, ac Nobilium, & hominum Terrarum dicti Domini, non sine laude, & meritis ipsius magnificæ Dominæ, quæ fuit ornata & decorata omni virtute, & bonitate.

Eodem millesimo, & die . . . Reverendissimus Dominus Stephanus Nardinus de Forli-

vio, Archiepiscopus Mediolanensis, Tituli Sancti Adriani Presbyter Cardinalis à Papa Sixto Quarto in publico Concistorio Cardinalium, unà cum pluribus aliis assumtus est ad dignitatem Cardinalatus. De cujus electione facta fuit maxima lætitia ab Illustri Domino Pino, & Episcopo, ac Clero, & populo Forlivii cum ingenti solemnitate Processionum ad laudem Dei.

Notandum est autem per ea, quæ à celeberrimo & doctissimo Viro Magistro Benevenuto de Imola Expositore, & Commentatore super Librum Dantis in Capitulo XX. de Divinatoribus. *Vide Guido Bonatto.*

„ Ad nostri cognitionem est sciendum su-
„ per verba Virgilii, ubi nominat unum Di-
„ vinatorem modernum Italicum, videlicet
„ Guidonem Bonatum, quod iste Guido ma
„ gnus fuit Astrologus de Forlivio, tempore
„ magnanimi Comitis Guidonis de Montefel-
„ tro Capitanei magnificæ Civitatis Forlivii,
„ quam tenebat pro Patria, & habitatione
„ sua in Romandiola, habens ibidem larem,
„ & domicilium, & etiam erat Princeps Par
„ tis Ghibellinæ, unà cum Dominis de Orde-
„ laffis, & aliis Nobilibus existentibus in ipsa
„ libertate sub Imperatoribus Romanis, &
„ utebatur consilio istius sapientissimi Astro
„ logi in omnibus agendis. Et satis constans
„ opinio fuit multorum, quod ipse obtinuerit
„ quamplurimas victorias contra Bononienses,
„ Ravennates, Malatestas, & alios adversa-
„ rios populi Forliviensis, ac etiam aliarum
„ Civitatum de Liga Romandiolæ, tempore
„ sui Capitaniatus, consilio, opera, & indu-
„ stria præfati Guidonis, quamvis reputare-
„ tur à vulgo Fantasticus, tam persæpissime
„ mirabiliter vera indicabat. Nam fecit exire Comitem præmissum contra Gallos, & ipse exiens cum eo simul prævidit, & prædixit multa futura de belli eventu, & de victoria adipiscenda, & etiam qualiter erat vulnerandus in cossa. Quod sic accidit de facto, cum statim se medicaverit cum ovo & stuppa, quam ipse secum tulerat, ut idem de se ipso scripsit. Nam Guido fecit opus pulchrum & magnum in Astrologia; *quod idem Benevenutus scribit se vidisse. Et ego etiam vidi.* In quo ita clare tradit doctrinam de Astrologia, quod visus est velle docere feminas Astrologiam; & fuit mirabili ingenio præditus, & famosus inter primos Astrologos Mundi, adeo quod in Civitate Parixii, & per totum Orbem, & ubi maxime studia talis Scientiæ prævalebant, non in ultimis esse perhibetur, ita quod, *ut dicit Benevenutus*, fuit singularis, & Monarcha suis temporibus, & etiam tenetur fuisse secundus post Ptolemeum. Nam fecit multa stupenda in dicta Civitate Forlivii; adeo quod dum forent partes Ghibellina, & Guelpha satis accensæ in ipsa, & idem summopere optaret, ut vir bonus illas annullaret, & ad unum reduceret, penitus illas exstirpando, ut de cetero in ipsa Civitate amplius nisi una pars, & unum velle foret: persuasit populo ipso Forlivii, ut vellent dare principium fabricæ murorum ipsius Urbis: in cujus principium currebat Signum ita propitium & favorabile in Planetis Cœlorum, quod si partes præmissæ ambæ simul concurrere vellent in fundatione ipsius Urbis, projiciendo unum lapidem pro quolibet Cive earum partium, in instanti, & uno ictu, dum sibi prædiceretur ab eo, quod per cetera tempora ventura numquam amplius

A partialitates ibi regnarent, sed penitus annihilarentur. Quæ omnia dum placerent fieri in populo, & pro ipsa exequenda eligerent unum Civem pro qualibet parte: tamdem expectato Signo à Domino Guidone, & accersitis Civibus cum uno lapide in manu pro quolibet, existentibus operariis super fundatione cum calce, & opportunis præparatis coram populo, adveniente ipso Signo præviso ab ipso Domino Guidone, & dato mandato Civibus ipsis, ut quam primum apponerent lapides in ipso fundamento, super quo erant; tamdem à Ghibellino absque mora injectus fuit lapis suus. Sed cum à Guelpho reniteretur non parendo, hæsitans forte, quia idem Dominus Guido te-
B nebatur de parte Ghibellinorum, ne id faceret in detrimentum partis ejus Guelphæ, id exequi abnuit. Sed ipse Dominus Guido videns prædicta, indignanter & molestissime protulit contra illum talia verba, videlicet: *Nam Deus te perdat cum parte tua Guelpha, quæ vere infallanter perdet, & exstirpabitur denuo & de cetero de malo in pejus propter tui insidentiam, & malignitatem. Nam hoc signum non apparebit amplius hinc ad annos quingentos in Cœlo in partibus istis.* Quæ omnia evenerunt in successionibus temporum, ut prævidit, & prædixit idem Dominus Guido, quoniam pars ipsa ad nihilum redacta est. Sed laus Deo, qui ipsas partes ad unum in præsentiarum ita
C annexas, conjunctas, ac benevolas reduxit, quod non amplius recognoscitur, vel nominatur aliqua dictarum partium plus una, quam alia in Civitate ipsa.

Nam pro dignissima memoria tanti præstantissimi Viri non pigebit me referre ea, quæ ego in decrepita ætate constitutus à genitore meo ejusdem temporis audivi, dum recenseret se etiam audivisse à Domino Jacobo Moratino ejus patre decrepitatis præmissæ, qualiter intellexerat à quodam sapiente viro vicino, & familiarissimo præfati Domini Guidonis, quod dum ipse exerceret Artem Magicam, & ille familiaris suus sentiret per tremitum Terræ & domorum, quando conjurabat Dæmones,
D & alliciebat eos ad se transferendum in domo sua, quæ erat contigua ædibus ejusdem amici sui, & unà cum vicinis ea audientibus nonnumquam condoleret, & admiraretur de virtute tanti Viri, à quo machinari tam maleficæ & execrabiles Nigromantiæ Artes viderentur, & per maximam partem Civitatis cum pavore & tremore sentirentur, ipsum enixè exorando, ut à similibus pro ejus honore, & Civium complacentia se penitus abstineret: tamdem ille subridens, his verbis præbens responsum sic orsus est: *Confiteor enim vobis Concivibus meis amantissimis, has Artes Magicas esse mihi notissimas, & etiam illas exercere nonnumquam ad finem bonum, & pro indagatione*
E *cursuum Astrorum, viarum Cœlique meatuum, & aliorum laudabilium operum virtute, & scientiarum, & non pro aliquo malo, ut mentes forte vestræ dubitare videntur. Reddendo vos certissimos, qualiter per viam istorum Dæmonum ego profecto adinveni his temporibus cursum optimum Stellarum septingentarum, de quibus usque ad hunc diem nulla cognitio erat. Quod verissimè ad augmentum, & perfectionem Scientiæ Astrologiæ non parum proderit. Sed postquam ea vobis displicent, de cetero ab ipsis vestrùm intuitu penitus abstinebo.*

Referebat etiam idem genitor, qualiter dum quidam pauperrimus vir Aromatarius in dicta

Civi-

Civitate Artem suam, & multarum rerum parvi pretii exerceret in Apotheca domorum ejus parvarum, & pro victu & substentatione familiæ suæ non parum laboraret, & pro discretione, ut daret aliquando recreationem nobilibus & honorabilibus viris, ut est de more, maxime in locis delectabilibus, ut erat locus ille in via publica juxta Campum Sanctæ Crucis, & ibi teneret tabuleria à texeris, & scacchis, & his similibus; & cum dictus Dominus Guido nonnumquam recreandi causa, cum foret fessus è studio, cum aliquibus ex Optimatibus dictæ Civitatis ad dictum locum antedictæ Speciariæ diverteretur, tabulerium scacchorum, de quo satis delectabatur, accipiendo, & accommodando, & per plurima tempora ea gratulando frequentaret: tamdem idem Dominus Guido perpendens affectionem, & voluntatem optimam serviendi ipsius egeni viri, & volens aliquam remunerationem tantis laboribus & beneficiis perceptis, ne videretur ingratus, liberaliter impertiri ac retribui, dum tempus expectatum ex adventu certi Signi Cœlestis appareret, non ignoti Domino Guidoni, aptum ad ditandum & fortunandum quoscumque, ipse acceptâ certâ quantitate ceræ, manu propria fecit & composuit unam Navim ex ipsa cera, cum remis, anchora, vela, & ceteris opportunis; & accersito ipso Speciario, notificavit ei, qualiter pro compensatione laborum ipsius, & bonæ voluntatis, quam cordialiter demonstraverat in recreando eum, & otio removendo, ex sua liberalitate volebat eum ditare, & præstare favores, & augmenta substantiarum amplissimarum per omnia tempora ejus vitæ, & familiæ suæ; ordinando, & monendo eum, ut ipsam Navim reponat in quadam capsetta clausa, & locaret eam sub tecto in loco secreto, ne aliquis eam videret, nec illam removeat in æternum, quia cum favore Astrorum citò deveniet ad amplissimas divitias, excedendo in exercitio suo, & mercantiis quam plurimum cunctos alios dictæ Civitatis Forlivii; nec ullo modo illam Navim removeret, vel destrueret, quia dum illam non teneret in dicto tecto, amplius non haberet fortunam, & favorem secum Astrorum. Nam fuit quid maximum & inauditum, quod talis Speciarius in parvo tempore devenit ex pauperrimo quasi extremitate ditissimus, & omnia sua negotia votivè, & de bene in melius continuè succedebant, adeò quod omnes admirabantur de affluitione tantarum divitiarum. Et cum per non multum tempus devenisset ditior omnibus alii Civibus, una dierum eundo ad quemdam Sacerdotem, causa confitendi peccata sua, dubitando forte, ne Navis præmissa posset esse causa ejus damnationis, confessus est sponte ipsi Sacerdoti rem ipsam omnem, & causam divitiarum ejus. Qui Sacerdos faciendo sibi conscientiam de ipsa, persuadendo, ipsam Navim fuisse constructam ex Arte Magica, & per viam Dæmonum, ex quibus damnatus facilè veniret, nisi illam destrueret; & sic ille dubitans non perdere Animam, cum satis ditissimus foret, Navim cum capsetta, & omnibus in ea existentibus in ignem projiciendo combussit. Quo facto illico cœpit in exercitio suo, & mercantiis, & ceteris de substantia ejus assiduè de malo in pejus succedere; & cum deveniret ad pauperiem, & rediret ad gradum pristinum, exoravit dictum Dominum Guidonem, ut alteram Navim conficere seu renovare dignaretur. Quod ille audiendo fatuitatem ejus, maledixit ipsi, asserendo ipsum non fuisse dignum tanti muneris, & beneficii, eum certificando, qualiter tale Signum constructionis dictæ Navis redire per totum tempus vitæ suæ non posset; & sic postquam tale donum, & commodum ignorando possidere nequivit, cum paupertate, ut merebatur, affligeretur in posterum. Nam idem Dominus Guido virtute Astrologiæ, & Nigromantiæ, quæ ad invicem una conjungebat, sæpissimè ventura verissimè prædicebat, & mirabiles effectus ex ejus visionibus apertissimè succedebant.

Nec idem Dominus Guido potuit omnia prævidere, quin in sua Astrologia delusus non fuerit ab ignorante quodam Rustico in quadam re jocosa de suis. Nam cum præfatus Dominus Comes Guido de Montefeletro una die vagaret per plateam Forlivii satis pulchram, accedens ad eum unus Rusticus Montanus donavit sibi unam cistam pyrorum; & cum idem Comes invitaret illum, ut staret secum in cœna, respondit Rusticus: *Domine volo recedere illico, antequam pluat, quia infallanter hodie erit maxima pluvia*. Comes verò admiratus fecit vocari ad se Dominum Guidonem Bonattum, tamquam magnum Astrologum, & dixit: *Audite, quod dicit iste*. Respondit Dominus Guido: *Nescit, quid dicat; sed expectate modicum*. Ivit idem ad studium suum, & accepto Astrolabio, consideravit dispositionem Cœli, & reversus, dixit, quod non erat possibile, quod plueret die illa. Rustico autem pertinaciter affirmante dictum suum, dixit Dominus Guido: *quomodo scis tu?* Respondit Rusticus: *quia Asinus meus hodie in exitu stabuli vibravit caput, & erexit aures, & est solitus semper sic facere tale signum, quando pluere debet*. Et tunc Dominus Guido replicavit: *Posito quod sic sit, quomodo scis, quod pluvia erit magna?* Dixit ille: *quia Asinus meus auribus arrectis vibrat caput, & rotat plus solito*. Recessit ergo Rusticus cum licentia Comitis, & timens festinanter recessit, quamvis tempus clarum foret. Et ecce post horam cœpit tonare, & facta est magna confusio aquarum quasi diluvium. Tunc Dominus Guido cœpit clamare cum magna indignatione, & risu: *Quis me delusit?* Et fuit magnum solatium diu in Populo.

Nec potuit prævidere dictus Dominus Guido, quin Dominus Comes Guido Capitaneus Populi Forlivii non amitteret Capitaniatum suum, & Civitas Forlivii non mutaret statum suum Popularem, & deveniret sub dominio Ecclesiastico, & Papæ Martini Quarti.

Nec etiam prævidere scivit mortem suam, quæ fuit in reditu suo à Parisio, & ab aliis studiis Italicis, in quibus augmentavit admodum Scientiam suam Astrologiæ, & copiam Librorum suorum à se conditorum reliquit. In itinere enim discedendo à Portu Cæsenatense pro applicando Cæsenam, se transferendo per medium iter (heu proh dolor!) à malandrinis perfidis crudeliter transfixus fuit, relinquendo ibidem corpus suum. Unus quorum Librorum ego habitans Cæsenam vidi in domo Domini Caroli de Lapis militis Cæsenatensis, & etiam legi, & nonnullas Tabulas Astrologiæ reportavi. Pariter ei dabatur socius, videlicet *Asdenti* in Magicis Artibus, qui, ut ait Dantes, præviderat ex lapide debere mori; & cum semper ferret celatam, accidit

cidit quod in Ecclesia existens pro celebratione Missæ, dum Corpus Domini nostri elevaretur à Sacerdote, extractâ ab ipso celatâ de suo capite, lapide casu & fortuna cadente de muro Ecclesiæ super capite suo, licet cum parva fractura, ex illa obiit.

Perhibetur de eo etiam, quod dum enixè infestaretur à pluribus floridis juvenibus ex Optimatibus Nobilitatis Civitatis Forlivii, ut ipsos una dierum recreare dignaretur, & stare aliqua festivitate cum lætitia, & gaudio vel let secum, & licet ipse Dominus Guido satis & pluries ea facere denegasset: tamdem videns instantiam, & desiderium illorum, morem gerere, & grato animo complacere voluit de requisito convivio. Et cum dies ordinata convivio advenisset, & ad horam debitam comedendi venissent invitati, & non vidissent aliquid in ordine domus de aliqua nova mutatione, nec præparatione ornatus ædium, vel epularum ad coquinam, nec alibi; illis verò ea ægrè ferentibus, & otiosè morantibus, incœperunt quasi velle redire ad eorum domus, arbitrantes, se fore derisos. Tum verò Dominus Guido subridens, & illos exhortans, ut starent bono animo, quoniam illico omnia opportuna præpararentur, vocans famulos sibi mandavit, ut omnia quamprimum essent ad convivium præparata. Ac subito juvenes plurimi ornati & induti ex diversis vestibus livreis læta fronte se ad mandata offerentes; & in uno instanti domus, quæ erat tota replena immunditiarum, & solaria telaraneata, fuerunt scopata, & ex nitiditate fulgentia; mensæ verò cum mantilibus & omnibus opportunis. Alii verò ad signa tollentes brongilia cum aqua, & bacilia cum tobaliis, se obtulerunt ad lavandum adstantes. Tunc juvenes ea tam ordinata videntes, non tantum ad eos honorandos, verum & ad Reges & Magnates satis digna intuentes, stupefacti ad mandata se obtulerunt, & vocati à Scalchis nominatim ad mensas accessere, & ad comedendum intenti confectiones, vina optima, & deinde cibaria, & epula diversarum avium, & animalium in summa fertilitate, & copia, varietate, & abundantia, suis locis & temporibus, elixa & assata, mirabiliter condita in platellis, & vasis omnibus argenteis, & partim auratis, præsentata in mensis fuere. At convitati licet stupefacti, videntes dignitatem & apparatum splendidum, pariter innumeram copiam epularum, & famulorum, qui induti vestibus serici & colorum pannorum pretii non parvi, in tanta formositate, ordine, & nitore cernebantur, & ibi allocutiones honeste & jocos cum quadam sobrietate allegabant, illustrantes convivium cum hilaritate & dignitate quadam splendoris: non poterant satis mirari tamen gustantes cibaria, & omnia meliora cum delectatione, voluptate, & hilaritate, sumendo cum gaudio & lætitia & amore, ex his tantis rebus novis & inusitatis visum fuit eis triumphasse. Et tamdem sumto honorabili prandio, ut decens erat, præfatus Dominus Guido cum digna comitiva suorum familiarium, ab ipsis juvenibus, & eorum parte quamplurimum ringratiati, & laudati exstiterunt, cum oblationibus debitis, & convenientibus ad vota sua. Et est verum, quod alias repertum fuit, quod talis præparatio, & sumtuositas epularum conducta sunt tota ex ordinatione facta pro prandio Domini Regis Franciæ. Pariter etiam alia similia pro delectatione Amicorum suorum ejusdem Domini Guidonis, intelligitur administrata fuisse vi tamen Nigromantiæ, & Magiæ, de quibus fuit doctissimus aliorum, & nedum de his; verum & in scientiis Philosophiæ, Astrologiæ, & Phisycæ peritissimus.

A

Item dicitur fabricasse unam Imaginem lapideam sub certo signo mirabili cum Arte & Scientia Astrologiæ, virtute Astrorum, & Magicæ incantationis, adeo quod Civitas Forlivii non potest ire sub saccomanno, non pati magnum excidium, quia ipse condi fecit sub terra.

Item etiam habetur, quod idem Dominus Guido virtute Astrologiæ, & Scientiarum ejus evitavit multa pericula & damna Civitati Forlivii, & etiam intulit, & fieri fecit quamplurima damna, & strages contra adversarios. Nam ipse aliquando, quando sibi videbatur tempus idoneum, & sciebat ac cognoscebat virtutem alicujus Stellæ, seu Planetarum, & insurgere ad victoriam dictæ suæ Civitatis, ascendebat in Campanile sublevato Sancti Mercurialis, quod est supra plateam, portando secum suum Astrolabium, & Librum suum, diligenter scrutando punctum optatum; & dum oriretur, bene celeriter faciebat pulsare campanam grossam ad arma, & faciebat armare omnes Armigeros, & exire Civitatem contra inimicos, de quibus utplurimum victoriam reportabant.

B

C

De Forlivio verò illa dicam, quæ & vera sunt, & in universa claruerunt Italia. Quis enimvero me ignarum ingratumque non dixerit, si egregium, fortunatissimumque Patriæ meæ factum, fama super æthera notum, vel magna in nos benificentiæ divinæ munera, quæ opere, quam verbis referre mallem, pertransiero? Nam cum Civitas Forlivii, & magno populus animo, Ludovici Alidoxii Imolensis Tyranni, & Lucretiæ natæ suæ Patris simillimæ fastidia, deprædationes, & ingratitudines diutius perferre posset, præsidia, quæ illi in Urbe habebant, expulit. Populus verò Florentinus seu quod libertati nostræ invideret, seu quod rerum nostrarum potiri posse confideret, Ludovicum, & Lucretiam quantis potuit viribus juvit, bellum nobis magna injuria ultimo intulit. Nos rem nostram propriis tutari viribus posse diffidentes, Philippi Mariæ inclyti Mediolani Ducis auxilium imploravimus: Postea verò quam potenti manu, & felicibus armis Philippi Florentina arma nedum rejecta, sed penitus confracta sunt, & hostis jam jam muris Florentiæ appropinquare videbatur: Veneti, dum paries proximus arderet, rem suam agi credentes, Philippo bellum intulerunt, Brixiam noctu occuparunt. At Philippus, dum propriis timet, aliena, quæ armis vicerat, relinquere cogitur. Militem itaque, quem oppositum Florentinis in Etruria habet, revocat; Forum verò Livii, Imolamque Civitates ad Ecclesiam Romanam spectantes, in Ecclesia relinquit. Hæc antea adduxi, non solum quo Patriæ factum commemorem, quin potius ut eo verissime narrato pervideas, nullam Florentino populo injuriam à Forliviensibus illatam esse, cujus stimulis Patriæ nostræ excidium tanta animi ferocia hactenus attentasse debuerit. At Cives nostri propter mutationem novum æstus invicem dissentire, & sibi ipsis acerrime inimicari didicerunt, partim suis suasionibus.

D

E

Non prætermitto in Civitate nostra Francisci Dedi

Dedi intellectum, neque ingentem & pulcherrimam Turrim Sancti Mercurialis. Famam etiam nostræ Civitatis adjuvabit, quod Guidonem Bonattum Astrologorum post Ptolemeum Principem genuit. Quæ excellentem Medicum ætate sua Physicorum Monarcham Jacobum della Turre peperit. Quæ Raynerum dedit Arisendum Jurisconsultum, qui si Bartholo Saxoferratensi credimus Discipulo ejus, erudivit primo Petrum & Thomam Juris Consultos, de quibus Baldus in l. usufructu nu. 4. C. de usufr. Quæ Gallum Poëtam edidit, de cujus amore Virgilius & Horatius sæpe memorant, & Forliviensem fuisse Eusebius de Temporibus, & Plinius de Viris Italiæ Optimis nempe testatur. Quæ Jacobum Alegrettum, Cechum Rubeum Poëtas ætate sua, si Petrarcham audimus, non contemnendos protulit. Quæ Palmerium nostrum maria transeuntem, Græcosque, & Hebræos, Chaldæos, Arabes consulens, eorum Linguas didicisse legimus. Hinc enim de incarnato Deo elegantissimum Opus contra Hebræos laude dignum compilavit; & eruditissimis rationibus comprobavit. Qui hos umquam esse, vel legerint, vel audiverint, magna ad unamquamque rem ingenia in nostra Civitate nasci solita recognoscent.

Aliottum quidem Pipinum, Fulcerium Calbulensem, Johannem Ordelaffum, Mostardam de la Strata, Andream Burreum, Comitem Brandolinum Foroliviensem, egregios & fidentissimos militum Ductores audivisti nominari. Quid de Thiberto Brandolino Foroliviense referam, cujus excellentissima facta nuper in astra tendunt?

De Antonello Cavedono, & Petro Paulo Nardini Foroliviense multa dicerem, nisi sermo longior esset. Clara namque eorum militia ad extremas Italiæ partes notissima est, ut si de Martis stirpe esse videretur. Ugolinum cognomine Urbevetanum Forliviensem Archidiaconum nostrum Modestinum quis negabit? qui cum inter Musicos ferme supremum teneat locum, & Philosophiæ, ac sacrarum Literarum studiis niteat, majorem tamen ad proprias virtutes occultandas, quam alii ad celanda vitia, diligentiam adhibet.

Al nome di Dio, e della sua Madre Madonna Santa Maria sempre Vergine, e delli Beati Apostoli Messer Santo Pietro, e Messer Santo Paulo, e Messer San Thomaso, & Beati Sancti Messer Sancto Valeriano Martyre, Messer Sancto Mercuriale Confessore Patrono & difensore del bono popolo di Forlì, che Dio mantenga.

Queste sono le Castella, Huomini, e Communanze, quali sono tenute di venire col suo censo, e debito, quali sono tenuti al Commune di Forlì il dì della Vigilia, e della festa di Santo Mercuriale, o mandare & offerire sotto la pena, che si contiene in le carte e patti fatti tra le Castella, & Huomini di Forlì, e dette Communanze. In prima.

Castello di Meldula.
Castello di Dovadula.
Castello di Galeata.
Castello di Civitella.
Castello di Cugliano.
Castello di Cusertoli.
Castello di Ghiazolo.
Castello di Valdoppio.
Il Commune di San Cassiano in Appennino.
Castel nuovo.
Il Commune di Soglio, e Basino, e Valdarco.
Commune di Pertisedo.
Castello di Monte vecchio di Rochi.
Commune di Salutara.
Commune & huomini di Cuimano.
Commune & huomini di Cuzano e Sarturano.
Commune di Portico e Schanello.
Commune & huomini della Dugaria.
Commune della Vulpinara.
Commune & huomini di Flamigna.
Commune & huomini delle Caminate.
Commune & huomini di Tontola.
Commune & huomini di San Pietro.
Commune & huomini di Monte de l'Abate.
Commune & huomini di Monte del Vescovo.
Commune & huomini di Monsignano.
Commune & huomini di Orsarola.
Commune & huomini di Bufulano.
Commune & huomini di San Donino.
Commune & huomini della Voltra.
Commune & huomini di Fontana fredda.
Commune & huomini della Banelda.
Commune & huomini di Monte alto nuovo, e Monte alto vecchio.
Messer l'Abate d'Isola.
Commune & huomini di San Donato.
Commune del Monte vecchio del Conte.
Commune del Castello di Spessa.
Commune di Monte bono.
Commune del Castello di Barge.
Commune di Monte Cerro.
Commune & huomini del Castello di Bagnacavallo.
Commune e Castello di Mudiana.
Commune e Castello di Sadurano.
Commune e Castello di Fummana.
Commune & huomini di Castrocaro.
Commune della Rocha di San Cassiano.
Commune di Santa Agata.
Commune e Castello di Bucuno.
Commune di Pianore.
Commune di Ranchia.
Commune del Castello di Santa Fiora.
Commune di Ridragole.
Commune di Prata Lina.
Commune della Soasa.
Commune di Fraside.
Commune di Monte vechio dadalasse.
Commune di Monte vechio di Galeata.
Commune della Rondinara.
Commune di Aquabelli.
Commune della Repetrosa.
Commune di Cruciodelli.
Commune di Castello di Pozza.
Commune di Primalcorio, e Marzolano.
Commune di Fiontisella.
Commune della Rocha di pigole.
Commune di Monte Ritondo.
Commune di Pleda.
Commune e Castello di Valdenose.
Commune & huomini di Polenta, e Cogliano.
Castello di Aureolo.
Mensa.
Comuzzo.
Commune di Sigurio.
Commune & huomini di Borbi e Soresina.
Commune e Castello di Pulrignano.

A quella pena, che si contiene nelle carte di dieci mila fiorini d'oro, i quali siano tenuti di pagare al Commune di Forlì a chi contrafacesse contra li predetti patti.

FINIS.

DIARIUM PARMENSE

Ab Anno MCCCCLXXVII. ad MCCCCLXXXII.

AUCTORE ANONYMO

Nunc primùm editum

EX MANUSCRIPTO CODICE TORELLIANO.

IN DIARIUM PARMENSE

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Diarii hujus Codicem MStum suppeditavit mihi praeclarissimus olim Vir Comes Franciscus Torellus, cujus Familia a celebri Salinguerra olim dominatore Ferrariae originem ducit, & cujus erga me amor minime vulgaris erat, uti neque humanitas. Ereptus est ille e vivis Anno 1731. Quis autem ejusdem Diarii, quod nunc primum profero, Auctor fuerit, id plane ignotum mihi. Ejus tamen verba hominem exhibent honestum ac prudentem, & praestantissimae quidem *Rubeorum* Familiae, quae a tot Seculis floret, prae ceteris addictum, attamen de rebus Parmae multa sinceritate scribentem. Ad haec eorum, quae accidebant Mediolani, ac in finitimis partibus se ubique sat peritum prodit. Solent autem Ephemerides, sive Diaria, complecti minutiora quaedam, quae ab Historiam scribente fortasse contemnerentur, utpote exigui aut nullius momenti. Verum hic Scriptor eo judicio haec literis veluti selecta mandavit, ut Lectorem nusquam fatiget, aut inanium rerum narratione fallat. Suspicor autem, scripta haec fuisse a *Jacobo Caviceo*; nam Bonaventura Angelus in Historia Parmensi Lib. 4. pag. 419. enarrans ad Annum 1482. mortem Magnifici Viri Petri Mariae Rubei, auctor est, ipsum septuaginta annos natum obiisse. *Ma il Caviceo, che fu molto domestico di quella Casa, e suo famigliare, scrive, ch' egli aveva settantanove anni, e dodici dì*. Suspicor, inquam, sed pro certo non affirmo, Caviceum eumdem esse ac Scriptorem nostrum, qui certe iis ipsis temporibus vixit & scripsit, quum in hac Historia legatur, *septuagenarium* obiisse Petrum Rubeum. Ad haec narrat idem Angelus, Anno eodem 1482. Guidonem Rubeum a Duce Mediolani defecisse, ideoque *furono gettate a terra le case di Giacomo Caviceo Giurisconsulto, che 'l seguì sempre, & egli condannato per ribello, e privo di tutti i beneficj*. Verum ad Annum 1482. & sub his ipsis diebus Diario nostro fit finis. Interea vides, Caviceum potuisse haec scribere, quem postea adversae fortunae ictus silere jusserint. Meminit & ejusdem Jacobi Cavicei Ranucius Picus in Libr. de Literat. Parmens. pag 166. mutuatus quaecumque nunc retuli ex Bonaventura Angelo, quibus addit: *Compose molte Opere, e scrisse la Vita del suddetto Pietro Maria Rossi, il Pellegrino, la Guerra di Roverè, nella quale fu fatto prigione, mentre esso Guido guerreggiava. Visse circa l'Anno* 1480. Sed haec etiam Pico suppeditavit Angelus. Erit Eruditorum Parmensium diligentius inquirere, an haec eidem Caviceo sint tribuenda. Ceterum occurrit in hoc ipso Diario lacuna vetus, & fortassis eidem Auctori tribuenda, quam supplere aliunde nequeo. Atque utinam plura ille literis consignasset, quibus nobilis Urbis, eorumque temporum Historia uberius illustraretur. Sed jam his paucis, quae supersunt, fruantur Lectores.



DIARIUM PARMENSE,

AUCTORE ANONYMO.

Hæc eſt Chronica, & Annalis geſtorum ab Anno Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti citra Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo in partibus Lombardiæ, & reliquis Italiæ, de die in diem breviter in unum redactorum cum veritate ad memoriam poſterorum noſtrorum, & ut infra.



EOdē anno 1477. die XXVI. Decēbris, qua celebrabatur Feſtū Sancti Stephani, dum Illuſtriſs. Princeps Dominus Galeaz Maria Sforcia Vicecomes Dux Mediolani, ætatis annorum XXXV. & ſic exſtans in flore ſuæ ætatis, audacior, & pecunioſor omnium aliorum Principum, & ab omnibus metuitus, in mane circa horam decimam octavam iviſſet pro audienda Miſſa in Eccleſia Sancti Stephani Civitatis Mediolani, aſſociatus, ut ſui erat moris, quam multis ſtaferiis armatis enſibus longis, & jam Eccleſiam ipſam intraſſet una ad brachium cum Oratore Venetorum, & aliis comitatus multis Nobilibus, & Curialibus: ante eum acceſſit Johannes Andreas de Lampugnano Mediolanenſis, qui gravem pro quodam Beneficio aſſerebat injuriam à Principe ipſo recepiſſe, armatus clam corazina, & ſecreta; & uno pugnali venenato ligato ad manum dexteram, & abſcondito, ac evaginato in manica, clamans alta voce, *fate largo*, *fate largo*, ut habilius poſſet propter turbam perſonarum ibi

A exiſtentium prope Principem accedere. Quem Principem illico ex omnium improviſo, cum ipſo pugione aggreſſus, vulneravit in corpore à parte inferiori uno ictu, & immediate ac ſecundo in gutture, & tertio in facie. Poſt ipſum Principem aderant Carolus Vicecomes, & Hieronymus de Olzate ambo Mediolanenſes complices dicti Johannis Andreæ, qui ſimiliter cum pugionibus, quam pluribus vulneribus & ictibus percuſſerunt eundem Principem in partibus poſterioribus ſui corporis, & tam ſubito, & ſecrete, quod hi duo non ſunt viſi ea vulnera inferre. Ex quo hic noſter Princeps illico abſque ulla vocis, aut lamentationis prolatione in terram decidit, vitamque finivit; unde ſtaferii circumſtantes, B audito clamore populi, qui multus erat in dicta Eccleſia, cum enſibus mactarunt dictum Johannem Andream de facto. Alii vero duo conſocii, & quidam de Langirano famulus ipſius Johannis Andreæ, qui etiam interfuerant huic homicidio, aufugerunt non viſi, & quoniam ſolum vacabatur dicto Johanni Andreæ. Quæ omnia vulnera fuerunt quindecim, & unicum, ſcilicet primum, fuit judicatum lethale. Ejuſdem Principis cadaver elevatum fuit à terra, & portatum in Sacriſtia dictæ Eccleſiæ; poſtea vero eadem die ſepultum fuit ulla ſine funeris pompa in Eccleſia majori Mediolani. Propter tumultum ortum in dicta Eccleſia Sancti Stephani ob rei hujuſmodi novita-

vitatem, mulieres, quæ erant ibidem propter celebritatem Festi ornatissimæ, stupefactæ, & exitum Ecclesiæ accelerantes, derobatæ sunt scilicet multæ ex eis jocalibus, quæ in caput, & ad brachia gestabant.

Eodem die, occiso dicto Principe, pueri Mediolanenses in maximo numero insimul adunati ligaverunt ad pedem corporis dicti Johannis Andreæ unam funem, & ipsum triduo traxerunt per totam Civitatem, & contratas ejus, ipsumque cultellis, fustibus, & lapidibus percutiendo. Exinde in foveis Castri illud projecerunt: postmodum extraxerunt, & appensum fuit per pedem ad Turrim Broveti. Dicti vero tres sui consocii capti fuerunt, ac squartati, & ad portas Civitatis fuerunt appensa eorum frusta, & capita super dicta Turre.

Quod quidem sic gestum toti Lombardiæ terrorem indixit, & vix poterat credi; nam Princeps ipse, qui timebat tali morte perire, & à multis Astrologis, & sanctis Viris pronosticatum ei fuerat, maximas sibi præparaverat custodias armatorum; sed nihil profuit, quin ad talem exitum perveniret. Ex eo remanserunt filii duo masculi, alter primogenitus ætatis annorum octo vocatus Johannes Galeaz Maria; alter vero septem, vocatus Hermes, & duæ femellæ ex Illustrissima Domina Bona Maria Ducissa de partibus Sabaudiæ, & cognata Regis Franciæ, quæ merito bona vocari meruit. Dictus vero primogenitus electus fuit in Principem, & patris successorem. Mirum fuit, quod in toto dominio Ducali nulla Civitas, Castrum, sive Villa fecerit novitatem.

Factæ sunt immediate in toto dominio Ducali publicæ proclamationes parte Dominæ Ducissæ, & parvi Ducis, qualiter ipsi faciebant liberam remissionem, & gratiam de omnibus condemnationibus Cameræ spectantibus. Levaverunt quoque inquietamentum omnium Datiorum, ac Datium Ferrariciæ, & omnes fecit exemtos à Datiis panis, & vini per quatuor menses; & libra salis à duodecim denariis reducta est ad decem.

Miserunt quoque omnes Populi Civitatum Ducatus Mediolani Oratores ad præfatam Dominam Ducissam pro se condolendo de dicta morte, & ad jurandum in manibus suis fidelitatem. Miserunt etiam omnes Principes, videlicet Papa, Rex Ferdinandus, & alii Italici, ac multi Ultramontani ad præfatam Dominam Ducissam Oratores eorum ad se condolendum, & ad se offerendum pro defensione Status Mediolani.

De mense Januarii dicti anni 1477. & circa finem ejusdem mensis orta fuit differentia inter fratres legitimos dicti quondam Domini Ducis Galeaz, qui erant numero quinque, scilicet Dominus Sforcia Dux Bari, Dominus Ludovicus, Dominus Ascanius Protonotarius, Dominus Octavianus, & Dominus Philippus cum Domina Ducissa, qui persuasionibus Domini Roberti de Sancto Severino eorum consanguinei cupiebant subvertere Statum Mediolani, & ipsum dominium intra se partiri. Arcessitus fuit illuc Illustris Dominus Ludovicus de Gonzaga Marchio Mantuæ, qui se huic differentiæ interposuit, ac eos concordavit, quod quilibet eorum haberet de provisione annua duodecim mille aureos. Volebant etiam deponere magnificum Dominum Cichum Simonetam, cujus consilio omnia gubernabantur, ut

A habilius ipsum Statum occuparent. Sed locum habere non potuit. Attamen continuè insidiati sunt vitæ suæ, nec umquam Domina Ducissa voluit consentire, quod deponeretur, quoniam sine eo res male processissent, & omnia secreta, & praticas Dominorum, & Communitatum totius Italiæ noverat. Et timens de vita ejus, numquam voluit exire Castrum Mediolani; & exstans in Castro continuè à provisionatis custodiebatur, ne offenderetur; reduxitque in eo Castro Consilium Status, quod erat pro dimidia partis Gibellinæ, & pro alia dimidia partis Guelfæ; quorum consilio, & ordinatione omnia Status gubernabantur. Et licet præfati Fratres Ducis Galeaz

B viderentur acquiescere dicto concordio, attamen ægre ferebant, & quotidie nitebantur aliquod moliri contra novum, & parvum Ducem, sollicitati, & instigati à suprascripto Domino Roberto. Dictus verò Dominus Marchio Mantuæ, facto dicto concordio, reversus est Mantuam, licet Domina Ducissa cuperet illum residere in Mediolano, & Statum consulere, & gubernare.

Eodem anno 1477. de mense Januarii in Civitate Parmæ incœperunt oriri divisiones inter Squadram Rubeam ex una, & Corrigiensem, Sanvitalem, & Pallavicinam simul tres unitas ex altera. Quæ tres Squadræ opera Domini Hieronymi de Berneriis de Squa-

C dra Pallavicina insimul se ligaverunt, & confœderaverunt ad destructionem Rubeorum, inimicitias intra se tam civiles, quam criminales, & homicidiarias existentes amputantes, concordantes, & resecantes, & fortius maxime, quia una nocte incisus fuerat nasus cuidam Francisco dicto Villano, famulo Johannis de la Latta, inculpantes Rubeos, maxime Dominum Ugolinum de Rubeis filium naturalem magnifici Domini Petri Mariæ Rubei, & Abbatem Sancti Johannis Evangelistæ de Parma.

Eodem anno 1477. in principio anni Dux Burgundiæ ditissimus, & magnanimus, bellum gerens adversus Svizzaros, à quibus jam unum

D receperat conflictum, cum ejus incredibili damno, & dedecore, iterum tentans fortunam, victus, fractus, & interfectus fuit in prœlio ab ipsis Svizzaris. Repertæ etiam fuerunt literæ suæ, quas dicto Duci Galeaz scripserat, quod sibi præcaveret, quoniam à suis Astrologis perceperat idem, Ducem Galeaz eo anno interficiendum esse: quod quidem verificatum est in utroque Duce, & ex ambobus remanserunt successores parvuli.

Eodem anno 1477. circa finem mensis Januarii prædictæ tres Squadræ simul unitæ convocaverunt secrete in Civitate Parmæ in eorum domibus quoscumque bannitos, rebelles, & seditiosissimos viros, & amicos tam de Epi-

E scopatu Parmæ, quam de aliis Civitatibus, & Terris propinquis, videlicet de Monticulo, de Regio, Mutina, Corrigia, Mirandula, Carpo, Bononia, & Mantua, & quotquot inveniri potuerunt. Hoc sentientes Rubei, nonnullos ex Terris Rubeorum intrare Civitatem similiter fecerunt, omnes cum armis pro sua defensione. Dictæ vero tres Squadræ timentes, ne gentes præfati Domini Petri Mariæ cum suo toto posse intrarent Civitatem ad defensionem Squadræ Rubeæ, arma in publico non ceperunt, sed unusquisque domum suam cum armatis custodiebat, & magnus timor erat in Civitate. Quod cum nuntiatum fuisset

Do-

Dominæ Duciſſæ Mediolani, ipſa miſit Parmam Dominum Johannem Ludovicum Boſſum de Mediolano cum ducentis proviſionatis, qui obviavit, quin arma caperentur, & Populus ad rumorem ſe levaret, multoſque ex dictis advenis, & bannitis de Civitate pepulit, non tamen omnes; & multum laboravit, ac ſe intromiſit pro pace fienda inter dictas Squadras: quod minime locum habere potuit. Ipſe enim unà cum Azone Vicecomite Commiſſario Parmæ favebat dictis tribus Squadris; & juſſit Rubeis, quod omnes gentes, quæ penes eos erant, & venerant ad eorum defenſionem, expellerentur de Civitate; & ita factum eſt; nam quotidie ipſæ tres Squadræ conquerebantur, quod Rubei habebant domos plenas foraſteriis, & in ipſis domibus perquirebatur; in domibus autem trium Squadrarum nihil inſpiciebatur, ſed quotidie gentes foreſterias vocabant, & in eorum domibus tenebant, cupientes & Rubeos ſaccomanare, & Civitatem prodere. Singulo die, & ſingula nocte poſtea de menſe Februarii fiebant novitates in Parma, nam multi vulnerabantur, & percutiebantur, & nonnulli interfecti ſunt. Omnes arma portabant, & nemo puniebatur. Jus erat in armis, nec erat officialis, qui juſtitiam faceret. Quilibet Caporalis trium Squadrarum ſatellites ſuos defenſabat. Et ſemel facto banno, quod nullus arma portaret ſub pœna furcarum, capti ſunt cum armis Johannes Pellitia, & Johannes Varolus, ambo homicidæ, & banniti, ac ſatellites D. Johannis Franciſci Cantelli, & repoſiti in Cittadella nova juſſu dicti Domini Johannis Aloviſii comminantis illos velle ſuſpendere. Tamdem dictus Dominus Johannes Franciſcus cum aliquibus aliis Caporalibus trium Squadrarum acceſſit ad præfatum Dominum Johannem Aloviſium, eidem minantes, & qui territus ipſos duos ribaldos liberavit illæſos. Quod quidem ſic impunitum ceteris ſeditioſis viris audaciam fecit, & nullus poſtea timuit.

Accidit, quod in fine dicti menſis Februarii anni 1477. una nocte dum famuli Rolandi de Rubeis commorantis prope Eccleſiam Sancti Antonii in domibus Dominorum de Arcimboldis circa horam ſecundam cum certo pane vellent intrare, inſultati ſint à ſatellitibus Comitis Ludovici de Valeriis ex oppoſito morantis, ut dictum panem acciperent. Tamdem Michaël de Lugagnano Factor dicti Comitis cum una ballotta plumbea percuſſus fuit in capite, ex qua percuſſione poſtea, & poſt ſaccomanum, de quo infra, ipſe Michaël exſpiravit. Hoc ægre ferens dictus Comes, totam Civitatem, & maxime ſequaces, & colligatos ſuos de tribus Squadris commovit, & irritavit ad arma capienda, clamans, & aſſerens, Rubeos ſuum interfeciſſe factorem.

Eodem anno 1477. die Dominico ſecundo Martii in mane dictæ tres Squadræ inſtigatione dicti Comitis arma ceperunt, & cum jam haberent advenas, bannitos, & rebelles, & infinitos armatos etiam de Terris Nobilium Pallavicinorum, de Sancto Vitali, de Scipiono, de Burgo, de Soranea, de Turizellis, de Siſſia, de Colurno, de Berſillo, de Pupillio, de Caſalipado, de Caſtronovo, de Guardaſono, de Bazano, de Scurano, de Terris militum, de Frizano, de Belvedere, de Langerano, & aliis multis Villis Parmenſibus, in eorum domibus, & cum trecentis equitibus Domini Roberti prædicti, extra, & prope

A Civitatem, miſerunt in domum prædictorum Arcimboldorum, ut caperent dictum Rolandum Rubeum, multos capiſtros ex eorum ſatellitibus; & dejectis armata manu oſtiis, & portis, in ea ceperunt duos famulos dicti Rolandi, ſcilicet Colombacium, & Stramacium, quos de facto, & ſine ullo proceſſu auctoritate propria appenderunt ad columnellos Palatii Communis: Deinde domum ipſam in totum à furore populi ſaccomanaverunt, bonis omnibus in ea exiſtentibus tam Arcimboldorum, quam dicti Rolandi ſpoliantes, & omnia exportantes.

Eadem autem die ſecunda Martii, facto prandio, cum tota dicta Civitas Parmæ pro
B parte dictarum Squadrarum trium eſſet in armis, & repleta foret gentibus antedictis exſpectantibus ſaccomanare omnes Rubeos, pro ut eis promiſerant Caporales trium Squadrarum, & nullo Rubeo audente domo exire, nec habente in eorum auxilium forenſem aliquem, & multis ex eis jam reductis in fortiliciis Caſtrorum Novæ, & Veteris Civitatis, dictæ tres Squadræ ordinaverunt, conſultaverunt, ac deliberaverunt ſe ſe ex bonis Rubeorum locupletari, memores id aliàs tempore Giberti Veteris de Corrigia, ac Domini Ottonis Tertii, qui fraudulenter dominium Parmæ uſurparant, factum fuiſſe per ipſas tres Squadras; ac intra ſe multa capita ordinaverunt,
C quos ut Dominos nominabant, & reverebantur, in ſingulis portis cum maxima copia & comitiva armatorum. Et qui erant ad equum armati, videlicet in Porta Sanctæ Chriſtinæ, Comitem Ludovicum de Valeriis, Guielminum de Colla, Antonium de Tajaferris dictum *el Zudè* tam ex aſpectu, quam ex re, Dominum Ludovicum de Antinis, Lazarum, & Petrum Paullum de Fulchinis. In Porta nova Dominum Johannem Franciſcum Cantellum, & Matthæum della Latta. In Porta de Parma Johannem Jacobum de Arzono, Hilarium Begarinum, Gaſparem de Plaza, dictum *Zaffon*, Sertorium Billiardum. In Porta Benedicta Dominum Hieronymum Bernerium
D dictum *el gran Tamberlano*, Jacobum de Zabollis, Petrum de Bono, Chriſtophorum Gotſaldum. Qui omnes Capitanei equeſtres cum eorum ſequacibus & armatis tam de Civitate, quam de aliis locis & partibus prænominatis ad numerum perſonarum ſex mille, vel circa totam Civitatem diſcurrerunt, portas plateæ capiendo, & muniendo armatis; ac etiam claves portarum Civitatis ceperunt, & ipſas portas claudi, pontes levari, & cuſtodiri fecerunt eorum nomine clamantes *Duca, Duca, Roberto, Roberto*. Poſtmodum campanam de Tertiis fecerunt ſonari ad ſtrimitam, & martellum, adeo quod totus Populus uſque ad ſenes, decrepitos, & pueros arma ceperunt;
E & dictam campanam fecerunt ſonari Dominus Hieronymus Bernerius omnium caput, & Jacobus Troyus homo ſæviſſimus, & omnium peſſimus. Dumque ſic campana ipſa pulſaret, per multos rurales de tribus Squadris foris Civitatem exiſtentes rupti ſunt muri Civitatis in flumine Parmæ, & per ipſam rupturam, & per alia loca circum circa cum ſcalis intraverunt intus, & omnes illico Eccleſias, & domos infraſcriptas, dejectis & fractis oſtiis, & portis infraſcriptorum Rubeorum intraverunt, roboraverunt, & violenter ſaccomanaverunt, nemine reſiſtente, omnibus bonis in eis exiſtentibus eas ſpoliando, ac in aliquibus

quibus earum ignem ponendo, & aliquas demoliendo, & in eis nihil præter muros, & tecta linquendo. Et primo in capite Pontis fuit novitas, & principium per illos de Regione illa, qui se vocabant *li Svizzari*, & domum, & Ecclesiam Dominæ Sanctæ Mariæ de Templo præceptoriæ Sancti Johannis Hierosolymitani, quam tenebat Dominus Frater Rolandus Rubeus, frater magnifici Domini Petri Mariæ. Domum Jacobini de Sgajis. Domum Petri Mariæ Trovibini; Domum Thomæ de Guinacia, & Domum Johannis Antonii de Sociis. Citra Pontem Abbatiam, & Ecclesiam Sancti Johannis Evangelistæ, in qua residebat jam dictus Domnus Ugolinus de Rubeis Abbas, in qua, & in turri ignem posuerunt, & omnes cellas Monachorum evacuaverunt, aliquibus ex ipsis Monachis calceamenta & vestes de dorso violenter exuentes, sacra Missalia, Calices, & omnia ornamenta exportantes, Eucharistiam Christi, & ossa Sanctorum pedibus conculcantes. Ipse autem Abbas cum aliquibus, & paucis, & cum nonnullis Monachis se reduxit supra turrim Ecclesiæ cum multis suis pretiosis bonis. Dictæ vero tres Squadræ, saccomanatâ Ecclesiâ, & Abbatiâ prædictâ, imposuerunt ignem dictæ turri, ut fumus per foramen dimidium ascenderet, & cum balistis, & schiopetis projiciebant intra fenestras; deliberaveruntque ipsam turrim ad pedem incidere. Tandem Dominus Azo Vicecomes Commissarius, Dominus Johannes Alovisius Bossius, ac Dominus Johannes Comes de Montono armorum ductor, qui hic se reperiit, una cum multis ex dictis Caporalibus accesserunt ad ipsam turrim, & assecuraverunt ipsum Dominum Abbatem, & socios de personis tantum; & eos fecerunt descendere, quos in Castro novo fecerunt associari, vix tamen securos de vita, quoniam ibi aderat totus Populus armatus, & inter ceteros Franciscus Villanus, cui fuerat amputatus nasus, qui imputabat ipsi Domino Abbati de ipsa incisione, & habens balistam onustam, minabatur vitæ suæ. Tandem sibi promissum fuit pro emenda dicti nasi dari ducentos aureos, quos nihilominus habere numquam potuit, quia talis promissio fuerat meticulosa, & violenta. Turrim ingressi sunt, & omnia bona ibi reposita quam maximi pretii saccomanaverunt; deinde ad alias domos Rubeorum infrascriptas accesserunt, eas vi, & ferro intrantes, ac in totum saccomanantes, & spoliantes, videlicet domum Gasparini de la Cavagna in vicinia Sancti Johannis prædicti pro biriollo: domum Domini Johannis de Calzavachis, & fratrum in vicinia Sancti Moderaminis, ejus stabulum igne cremantes: domum Domini Bartholomæi de Carissimis in vicinia Sancti Blasii: domum Domini Peregrini de Zenovesiis Rectoris Ecclesiæ Sanctæ Trinitatis: domum Domini Ambrosii, & Sebastiani fratrum de Zandemariis in vicinia Sanctæ Trinitatis: domum Antonii de Bravis in vicinia Sancti Pauli: domum Johannis Baptistæ de Garimbertis ibi contiguam. Domum Andreæ de Mazochis in vicinia Sancti Alexandri. Nocte autem superveniente ulterius mille aliæ domus fuerunt saccomanatæ. Quanta autem fuerit calamitas, dolor, & miseria saccomanatorum, nec lingua exprimi, nec calamo scribi posset. Clamabant enim hæ pessimæ Turcorum gentes *sacco, sacco. Duca, Duca: Galeaz, Galeaz. To' suso quello letto, e quello pimazzo*. Si quis autem erat, qui multi fuerunt, quibus hæc dolorem faciebant, qui nollent arma capere, eis comminabatur de vita, & coacti arma suscipiebant cum aliis Civitatem discurrentes.

Ea tamen nocte secuta, hæ truculentissimæ gentes totam Civitatem, mœnia, Portas, & Plateas Urbis armati cum focis, & luminibus ad fenestras custodierunt, timentes adventum Magnifici Domini Petri Mariæ Rubei ad succursum Rubeorum; & sibi dari faciebant à Rubeis non saccomanatis ligna, panem, vinum, carnes salatas, caseum, & oleum, nec veriti sunt in Quadragesima, quæ tunc erat, prohibita manducare, hoc non existimantes peccatum, sicut nec existimaverant Ecclesias, & sacra profanare, incendere, & demoliri, ac Eucharistiam, & ossa Sanctorum conculcare & comburere.

Multi namque de ipsis tribus Squadris, qui affinitatem habebant cum Rubeis, obviaverunt attinentium suorum domos saccomanari. Sed nullus fuit ex Rubeis, qui essent divites, à quibus non fuerit aliquid in pecuniis, aut aliis rebus extortum, hoc modo videlicet. Aliqui capistri armati ea nocte, & etiam altera die secuta, fingebant velle dejicere portas, & ostia domorum Rubeorum, ut illas saccomanarent. Rumore levato illuc accedebant ex attinentibus, sive qui se amicos fingebant, & obviare simulantes, seque intromittebant cum patrono domus, qui ne saccomanaretur, his persolvebat tot Ducatos, aut tantam quantitatem panis, & in ea domo ponebant aliquos soldatos sive ex eorum sequacibus, ut domum servarent, & quibus necesse erat patrono solvere pro eorum labore tot aureos, pro ut divites erant, & eis facere sumtuosas expensas. Æstimatum fuit omne damnum Rubeorum Ducatorum vigintiquinque millium. In hoc enim conflictu solum periere quatuor, scilicet dicti duo appensi, quidam hortulanus repertus in via, cognitus Rubeus, & quidam de tribus Squadris, qui in Strata publica ad Domum Antonii Bravi cum una balista sagittatus fuit, & mortuus. Monasteria etiam Sancti Pauli, Sancti Alexandri, & Sancti Odorici, quorum Abbatissæ erant Rubeæ, steterunt in maximo periculo saccomani; sed corruptis auro & argento Caporalibus prædictis evaserunt illæsa, sed tamen cum damno. Similiter etiam Hebræi, qui cum auro & argento se tutati sunt.

Horæ consuetæ Tertia, Nona, & Vesperæ ad commune non sonabant. Civitas apparebat potius infernus, quam aliter. Nullus ex Rubeis apparebat per vias. Hoc enim tempore erant nives, & glacies altæ, & nives eo anno fuerant majores quam fuissent multis annis decursis; excesserant enim in plano altitudinem unius brachii cum dimidio.

Die autem tertia Martii postea secuta, in mane dictæ tres Squadræ cum Forensibus, & sequacibus eorum se armaverunt, & ad plateam accesserunt, timentes de futuro ob damna, & injurias illatas Domino Petro Mariæ Rubeo, fratri, filio, & amicis suis, ac etiam propter numerum rusticorum, & advenarum, qui in Civitate venerant, & de hora in horam per muros, & rupturas etiam cum scalis confluebant, ne ipsi etiam de tribus Squadris saccomanarentur, fieri fecerunt cridas parte Officialium, & sua: Quod unusquisque deponeret arma, nec ulterius quispiam aliquem saccomanaret sub pœna furcarum. Et sic omnes

nes se disarmaverunt, & ad domos redierunt, male contenti tamen aliqui, & multi, qui optabant reliquos Rubeos saccomanare.

Eadem die tertia Martii, sumpto prandio, hi Caporales trium Squadrarum accesserunt ad Officiales; & se excusantes de dicto saccomano, de quo simulabant esse malecontentos, operati sunt, quod coram ipsis Officialibus nonnulli saccheggiati, qui se reduxerant in Cittadella, & aliqui, qui non erant saccomanati de Squadra Rubea, venirent, & pacem cum eis fecerunt ad hunc solum finem, quia timebant adventum Domini Petri Mariæ, & ut sibi scriberetur, ne veniret, & ne residuum Rubeorum poneretur in periculo. Qua pace facta sonatæ sunt Campanæ de festo, & fuit ordinatum, quod omnes Forenses Civitate exirent, qui exeuntes infinita bona saccomanata exportaverunt. Ac etiam omnia arma ablata sunt omnibus Rubeis, ne se possent defendere.

Evenerunt namque ob tanta scelera & sacrilegia multa miracula.. Nam dum quædam mulier de Goziis subtraxisset in Ecclesia Sancti Johannis Evangelistæ, dum saccomanata fuit, unum lapidem sacrum, cum fuit domi, divino miraculo morte subitanea decessit, & filius suus illam deplorans dicebat: *o matre mia! io vi dicea bene; lasciate stare quella preda santa*. Alter enim in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Templo, ut dictum est, saccomanata, abstulerat tabernaculum cum hostia sacra, quam extraxit, & versus cœlum projecit, dicendo: *Io voglio vedere, se Cristo può volare*; domum reversus se infirmavit febribus continuis, sibi linguam comedit, nec potuit culpam suam dicere, & infra triduum obiit. Quidam alius sacrilega se infirmavit phrænesi, & lectum exiens se præcipitavit. Unus Armiger dictus *El Matto* de comitiva Domini Roberti, qui in dictis Ecclesiarum spoliis fuerat, ivit in exercitu Januensium contra Petram sanctam, dum una spingarda projiceretur, sibi caput à busto exportavit. Nonnulli variis, & insanabilibus ægritudinibus affecti sunt, ac varias crudeles & subitas mortes incurrerunt, pro ut inferius patebit.

Dum portaretur ad sepulturam in Ecclesia Sancti Jacobi de capite Pontis cadaver cujusdam pauperis, eo quod tunc saccomanaretur domus Jacobini de Sgajis sita ex opposito dictæ Ecclesiæ, ipsum cadaver ferentes, illum deposuerunt in media via; & duo filii hominis mortui portantes, & associantes, dimisso ibi per terram, & in via corpore, intraverunt dictam domum ad saccomanandum.

Accidit etiam quod dum quidam Forensis, qui affuerat in sacrilegio Ecclesiæ Sancti Johannis, & derobaverat unum calicem, quem cum ferret Novariam, unde erat, cum applicuit ad portam Novariæ, requisitus à Datiariis, si quid habebat, quod solveret Datium, hic respondit, quod non. Datiarii perpendentes hunc hominem aliquid sub chlamyde gestare, illum perquisierunt, & calice reperto, sibi illum abstulerunt, qui se lamentans requisitus, ubi eum habuerat, dixit se venire à Civitate Parmæ. Fama jam erat ubique divulgata de saccomano prætacto. Vaticinantes, prout erat, rem esse furtivam, illum duxerunt ad Potestatem, qui veritate rei comperta hunc furem ad furcas appendi fecit.

Eodem anno 1477. post prædicta, sexta die Martii venit in Civitate Parmæ Dominus Tristanus Sfortia frater naturalis dicti quondam Domini Ducis, missus ab Illustrissima Domina Ducissa Mediolani cum quatuorcentis peditibus ad obviandum, ne ulteriora scandala fierent, qui illico jussit, Forenses omnes, qui in Civitate restaverant, se absentare, & arma deponi; & ita est factum. Tunc Rubei facti sunt animosiores. Attamen ille semper favit tribus Squadris, nam habebat in uxorem Dominam Beatricem sororem Ducis Ferrariæ de Domo Estensi, quæ primo uxor fuerat Domini Nicolai de Corrigia, & se conformabat cum voluntate Domini Roberti, & aliorum fratrum dicti quondam Ducis, qui inimicabantur Domino Cicho, & parti Rubeæ.

Hic etiam mandavit per publicum proclama, quod bona saccomanata restituerentur sub pœna furcarum, & nullus voluit obedire, nec ipse nimium curabat. Jussitque eligi duos pro singula Squadra, qui irent Mediolanum, & sic accesserunt, & existentes coram Domina Ducissa illi de tribus Squadris se excusabant, dicentes, dictum saccomanum non processisse eorum culpa. Illi vero de Squadra Rubea oppositum dicebant. Tamdem coram ipsa Domina Ducissa, & in ejus manibus singuli de singula Squadra juraverunt pacem pro se, & omnibus aliis Civibus, & promiserunt quod illi de tribus Squadris, ac juraverunt pro posse restitui facere bona saccomanata, & reversi domum nihil egerunt de ipsa restitutione; sed quotidie præmeditabantur, ut nocerent Squadræ Rubeæ; & timentes de Domino Petro Maria Rubeo, ne injuriam suam, & amicorum suorum vendicaret, stabant continue in armis, & fauti à dicto Domino Tristano, & Azone Vicecomite Commissario, vociferabant, dictum Dominum Petrum Mariam esse in armis, & velle Civitatem ingredi, & sic iterum multas gentes forenses congregaverunt, nec ullus eorum ausus erat Civitatem exire, nec Rubei per simile audebant.

Eodem anno 1477. de mense Aprilis Dominus Archiepiscopus Januæ, qui stabat Mantuæ in confinibus, secrete aufugit, & intravit Januam. Erat enim de Campo-fregoso, & cum eo etiam intervenit Dominus Objectus de Flisco Protonotarius, & ipsam Civitatem Januæ commoverunt ad arma capiendum, & calcitrandum contra Statum Mediolani. Missi sunt pro Statu Mediolani Januam Dominus Robertus de Sancto Severino, Dominus Ludovicus, & Dux Barri Sforciæ Vicecomites, cum maximo numero peditum & equorum, & cum una Bronzina, quæ multas domos Civitatis destruxit, & multas mulieres gravidas abortum facere cogebat. Finaliter expulerunt dictum Archiepiscopum, Civitatem obtinuerunt, & duxerunt cum accordio dictum Dominum Objectum Mediolani cum satis bona provisione annua, mansurum in Mediolano. Et deputatus fuit ad regimen Januæ Dominus Prosper Adurnus ipsius Urbis Civis, credentes eo medio Civitatem in fide & pace retinere. Qui Dominus Prosper pluribus annis steterat carceratus in Castro Cremonæ, quia amicabatur Regi Ferdinando, & mortuo Duce Galeaz ductus fuerat Mediolani, & qui fidem non servavit, ut alibi dicetur.

De mense Madii dicti anni 1477. post prædicta, Domina Ducissa Mediolani multum elaboravit, ut una bona & generalis fieret pax in Civitate Parmæ, quoniam omnes Squadræ metuebant, & in armis stabant, maxime tres Squa-

Squadræ, quæ ob irrogatas in Rubeos injurias dubitabant puniri, & vindictam de his fieri. Rubei autem, quibus tres Squadræ minabantur, quotidie Civitate exibant cum bonis suis, & ad loca tuta se reducebant. Et sic tota Civitas videbatur viduata. Et ut pax hæc fieret, misit Domina Ducissa Parmam Dominum Johannem Andream Cagnolam de Mediolano, cum impositione, quod bona saccomanata restituerentur. Hic enim se in hoc intromisit, sed nolentibus tribus Squadris restituere, & Rubeis recusantibus pacem sine restitutione, dictæ tres Squadræ multos ex Rubeis non saccomanatos induxerunt dictæ paci sine mentione restitutionis; & minabantur illis, qui in eam pacem nolebant intrare. De vita facta fuit pax inter eos, in qua nullus saccomanatus voluit intrare, nec multi alii, qui extra Civitatem se reduxerant. Minabaturque eis etiam per dictum Dominum Tristanum, quod domus, & bona nolentium pacem facere confiscarentur, derobarentur, & demolirentur. Hæc pax fuit canina, & violenta, & cum certis pactis, & inter alia quod Rubei deberent arma capere cum dictis tribus Squadris, si, & quando aliquis esset, qui vellent Civitati nocere. Et hoc totum faciebant, timentes de Domino Petro Maria, & de aliis, qui Civitatem exiverant. Unaque die simulaverunt, quod Dominus Petrus Maria veniebat cum toto suo posse ad Civitatem, armaque omnes ceperunt, & per Rubeos, qui in pace venerant, cum eis capi arma fecerunt pro observatione capitulorum pacis, licet pauca haberent arma, & totam Civitatem discurrerunt, & frustra, ad hoc ut viderent, si Rubei, qui in ipsa pace intervenerant, eam servabant, & ut Squadram Rubeam dividerent, & in malivolentia ponerent cum Domino Petro Maria.

Dum hæc violenta & canina pax, & non generalis, facta fuisset, una die in meridie dicti mensis Madii anni 1477. ex antiqua inimicitia quidam privignus Benedicti de Nerrono, qui ab origine erat Corrigensis, sed partem Rubeam propter patrignum servabat, verba rixosa habens cum Don David de Mastallis Corrigiensi, & qui fuerat in sacrilegiis, de quibus supra, ipsum Don David vulneravit, & occidit; ex quo illi de tribus Squadris irati jusserunt per nonnullos cagnetos & bannitos de die clara invadi domum dicti privigni sitam in Burgo Strinatorum, & in qua dictus Benedictus, & Don Zampetrus Tiberius bona sua reposuerant, credentes ea salva fore, & omnia ipsa bona saccomanaverunt, & exportaverunt, quorum una pars jussu dicti Domini Tristani restituta fuit. Et occisio hæc processit ex alio miraculo sacrilegiorum supra memoratorum; & sic pax rupta fuit culpa dicti Don David, qui prius insultaverat, & ad mortem vulneraverat adversarium suum.

De dicto mense Madii anni 1477. dum Alexander de Bernazonibus dictus Corazinus de parte Sanvitali, qui in saccomano locuples factus fuerat, & in Ecclesia Sanctæ Mariæ Templi sacra profanaverat, transiens cum uno socio armatus per glareas fluminis Bagantiæ juxta Salam insultatus fuit, & illico interfectus à quodam de Squadra Rubea, quem ipse Corazinus derobaverat in dicto saccomano, & ejus diploidem in dorso gestabat. Reperti sunt postea multi Ducati in dicta diploide, & una corrigia argenti pertranseuntis, quorum aliquam partem prænominatus de Squadra Rubea noluit accipere, dicens, non quærere bona, sed vindictam cruentosam: de quo collaudatus fuit. Et hoc fuit aliud divinum judicium.

Accessit hoc medio dictus Dominus Tristanus Mediolanum, notificando has novitates & dissensiones Dominæ Ducissæ, & maxime quod generalis pax nec tuta facta fuerat, nec fieri poterat, nisi bona saccomanatorum restituerentur, ad quam restitutionem obstabant Dominus Robertus ex Sancto Severino, fratres dicti quondam Ducis Galeaz, & Dominus Johannes de Scipiono, qui erant deputati ad consilium regiminis Status Mediolani, & toto posse favebant tribus Squadris. Præfata Domina Ducissa, habito paucorum & rectorum virorum consilio, scripsit Magnifico Domino Petro Mariæ de Rubeis, quod mitteret ad eam unum ex suis fidelibus pro concludenda pace, ad quam missus est Andreas Mazocus, unus ex saccomanatis. Tamdem Domina Ducissa pro sedandis his altercationibus voluit fieri pacem universalem, & per literas suas patentes promisit, quod infra unum annum proximum bona saccomanata integre restituerentur; aut emendarentur: & ad hoc quod infra quatuor menses daretur principium; aliter quod ipsa de suo proprio satisfaceret. Remisitque iterum Parmam Dominum Tristanum pro conclusione hujus pacis. Et dum hæc tractarentur Mediolani, Dominus Robertus ex Sancto Severino deviavit una cum infrascriptis à fide Status Mediolani, ut infra dicetur.

Eodem anno 1477. die sexta mensis Junii, convocatis in Ecclesia majori Parmæ coram præfato Domino Tristano omnibus procerioribus Nobilium quatuor Squadrarum Parmæ, & aliorum Nobilium, Castra, & Jurisdictiones in Parmensi habentium, nec non omnium Civium Parmæ de omnibus Squadris, & facto mandato, quod omnes absentati à Civitate, reverterentur, conclusa, facta, & firmata fuit generalis Pax cum debitis solemnitatibus, & juramentis; promissumque fuit & juratum per Procuratores cum mandato speciali trium Squadrarum, quod infra octo dies denuntiarent omnes, quos scirent habuisse de bonis Rubeorum, quod juramentum non fuit servatum, nam nullus restituit, nec propalavit. Sonatæ sunt tribus diebus continuis campanæ à festo, & facta sunt fallodia, & renuntiatum est aliis pacibus.

Facta dicta pace per Commune Parmæ, opera trium Squadrarum de havere Communis donati sunt dicto Domino Tristano ducati trecentum; Cancellario suo ducati vigintiquinque; Domino Johanni Andreæ Cagnolæ Floreni centum ad monetam, qui exinde Mediolanum gressi sunt.

Hic enim Dominus Tristanus, antequam consequeretur dictos trecentos Ducatos, se infirmavit Mediolani quadam incurabili infirmitate, & ut dictum fuit malo Sancti Antonii, quo in brevi vitam finivit, nullo post se dimisso herede; legavitque dictos Ducatos Monasterio Fratrum Sancti Angeli de Mediolano. Reliquum ejus thesaurum, quod dicebatur grande, habuit Domina Ducissa; & forte ex nutu divino decessit ob injurias per eum illatas Rubeis, ut narratum est, contra justitiam; & si vixisset, creditur ipsum fuisse participem tractatus, de quo infra. In hoc homine multa spes aderat trium Squadrarum, de

de cujus obitu multum doluerunt.

In fine antedicti mensis Madii anni 1477. Domina Ducissa Mediolani credente se pacificam in Statu, Dominus Robertus de Sancto Severino, qui se multum æstimabat, & inimicabatur Domino Cicho, una cum Domino Objecto de Flisco, qui erat Mediolani cum Donato Comitis, & cum fratribus dicti quondam Ducis Galeaz, excepto Domino Philippo Maria, ordinavit quemdam tractatum de occidenda Domina Ducissa cum natis suis, & Dominum Cichum, ac elevare in Principem Dominum Ludovicum Sforciam; & residuum dominii inter alios fratres dividere; ac Dominum Objectum fieri Ducem Januæ; ipsumque Dominum Robertum fieri Dominum Parmæ cum auxilio trium Squadrarum sibi amicantium; totam Squadram Rubeam saccomanare, & expellere, & Domino Petro Mariæ Rubeo fortilicia sua arripere. Et quadam die capta fuit Porta Tonsa Mediolani, levatusque fuit rumor in Civitate, & clamabatur: *Ludovico, Ludovico, Ruberto, Ruberto*. Nullus autem Civis fuit, qui voluerit arma capere: quod sentientes Dominus Ludovicus, & Dux Barri fratres, & videntes nihil posse proficere, pœnitentia ducti accesserunt in Castro ad dictam Dominam Ducissam, cui veniam petierunt, sibi narrantes modum, & promotorem proditionis. Subito vocatis in Castro Portæ Jovis omnibus Consiliariis trium Consiliorum, scilicet Castri, Secreti, & Justitiæ, & multis Nobilibus de Civitate, in publico lectus fuit totus tractatus prædictus, condemnatusque fuit dictus Dominus Robertus in amputatione capitis, & confiscata sunt omnia sua bona; qui id sentiens aufugit, & transivit multos passus, & portus, ad quos cum attingeret, transacto flumine, funes portus incidebat. Post eum missus est Comes Borella de Sichis, qui erat supra familiam Ducalem, & in itinere cepit Dominum Objectum, quem misit Mediolanum, & ibi in uno pede Turris fuit inclusus. Dictus vero Dominus Robertus evasit cum maximo labore, & applicuit in Civitate Asti, in qua securus fuit; tamen custoditus à dicto Domino Borella ibi pluribus diebus mansit, & una nocte travestitus & incognitus transivit ad Regem Francorum. Ea die dictæ novitatis captus fuit Donatus de Comite, qui erat ex primis armorum ductoribus, & positus fuit in furno Modoëtiæ. Dominus Octavianus Sforcia, aliorum fratrum suorum minor, fugiens, & volens natare flumen Abduæ, ibi submersus est, & ejus cadaver delatum est Mediolanum, & ibi in Ecclesia majori sepultum. Bona dicti Donati confiscata sunt, & Castra dicti Domini Roberti, scilicet Colurnium, Pons coronæ, Castrum novum Terdonense, Curiæ Cavalcabobum, cum reliquis ad Cameram applicata sunt. Castrum vero Colurnii postea donatum fuit Domino Bartholomæo Calcho, Secretario Dominæ Ducissæ. Dominus Ascanius Protonotarius fuit relegatus Perusii. Dominus Ludovicus Pisis. Dominus Dux Barri in Ducatu suo Barri: ad quæ confinia transiverunt, euntes per viam Mantuæ, & ab inde infra Ferrariæ, ne transirent per Parmam.

De dicto mense Maji anni 1477. Illustrissima Domina Ducissa Mediolani, ut levaret à Civitate Parmæ Dominum Hieronymum Bernerium omnium seditiosissimum, ipsum deputavit pro Capitaneo Justitiæ Civitatis Mediolani pro uno anno, quem annum non finivit, quia repertus in barattariis, turpiter cassus, & expulsus fuit ab ipso officio, & carceratus in Castro Mediolani, donec solvit portionem suam sibi taxatam pro restitutione saccomani. In ejus locum intravit Comes Bartholomæus Zamfiliacius Florentinus, Potestas tunc Mediolani.

A Hoc medio contracta fuit parentela, & colligatio inter Dominam Ducissam Mediolani, & Dominum Ducem Ferrariæ Herculem hoc modo. Primogenitus Ducis Ferrariæ accepit in uxorem primogenitam Dominæ Ducissæ Mediolani, & Castrum novum Terdonense, quod datum fuerat Domino Roberto in morte Ducis

B Borsii Estensis per Ducem Galeaz, ipsi Domino Roberto ablatum, ut supra, donatum fuit dicto Domino Duci Herculi, quod totum processit ultra spem, & cum dolore dictarum trium Squadrarum, quæ affectabant hunc Ducem Herculem fore Status Mediolani inimicum, & in morte dicti Ducis Galeaz sibi obtulerant dominium Parmæ, quod acceptare noluit.

Post hæc de dicto mense Junii anni 1477. quidam Frater dicti Domini Objecti de Flisco detenti ut supra, facta congregatione permaxima partesanorum suorum, & benivolorum in agro Januensi ad Castrum suum Rochæ Taleatæ, totam Civitatem Januæ subvertit, ad

C quam Domina Ducissa Mediolani multas transmisit gentes, & ipsam Civitatem Januæ pacavit, munivitque dictum Castrum Rocchæ Taleatæ, & ejus plenum habuit dominium.

Hoc etiam tempore Svizzari existentes supra Bellinzonam arma ceperunt contra Statum Mediolani, ab ipso Statu multa petentes, maxime quod à Duce Galeaz in mercantiis damnificati fuerant ad Feram Aronæ, hoc damnum repetentes. Tamdem eis dati sunt pro ipso damno multi aurei, & juraverunt pacem per annos quinque, sicque ab offensionibus recesserunt.

De dicto mense Junii anni 1477. Gaspar de Plaza Civis Parmæ dictus Zafonus ex tribus Squadris, qui fuerat unus ex Caporalibus ipsa-

D rum trium Squadrarum, & se male & partialiter gesserat, eratque tunc temporis Officialis Bullettarum Parmæ, cassus fuit ab ipso officio cum suo dedecore; & ejus loco successit Dominus Zaninus Barbatus de Mediolano, homo sagax, vigil, & rectus.

De mense Julii postea secuto dicti anni 1477. cum res Parmensium se male haberent, quoniam pax violata erat, & tres Squadræ quotidie adversus Rubeos aliquid moliebantur, & multos robabant, verberabant, & vulnerabant, nec jus aliquod in Civitate fiebat, jusque erat in armis, & potentiores prævalebant: Domina Ducissa vocavit ad se Caporales di-

E ctarum trium Squadrarum, qui justitiam contra se fieri timentes, ad eam ire recusarunt, sed in dies magis contra Statum fiebant ardentiores: ex quo Rubei iterum cum bonis suis de Civitate recedebant, nec victualia sua in Civitate conducebant.

Circa finem dicti mensis Junii anni 1477. Lucenses arma ceperunt contra Castrum Petræ sanctæ Lunensis Diœcesis, quod tenebatur per Januenses, & illud emerant à quondam Domino Lucarum, in succursum quorum Januensium Domina Ducissa Mediolani misit multas gentes. Sed antea Lucani vineas, & olivas illius loci convastaverant. Tamdem

pax inter utramque partem secuta est, & Lucani cum maximo eorum damno ab obsidione recesserunt.

Fuit etiam hoc tempore novitas in agro Senensi. Nam Comes Carolus de Montono cum magno exercitu, & ut ferebatur, ex ordinatione, & cum brachio Florentinorum, multa oppida Senensium oppugnavit. Ex opposito insurrexit Dux Urbini, qui dictum Comitem expulit, Castra victa, & expugnata Senensibus restituit. Postea ad Castrum Montani, validissimum & opulentissimum exercitum suum posuit, & vi obtinuit. Dictus vero Comes Carolus Venetias profectus est, conductus à Venetis contra Turcum eis guerram in Forojulio comminantem.

Ut autem Domina Ducissa Mediolani promissa Rubeis observaret circa bonorum saccomanatorum restitutionem, de mense Julii dicti anni 1477. misit Parmam spectabilem Doctorem Dominum Brandam de Castiliono Mediolanensem cum ampla commissione investigandi, & restitui faciendi bona saccomanata. Qui immediate publicum proclama mandavit, quod quilibet, qui ex bonis prædictis habuisset, infra octo dies illa restitueret sub pœna furcarum. Quod proclama nihil profecit; nullus autem voluit restituere, nec denuntiare, parvique faciebant ipsum, & proclamationes suas. Ut autem hæ tres Squadræ timorem imponerent, ordinatum fuit per Galvanum Cantellum in domo Domini Johannis Francisci Cantelli per nonnullos bannitos, quos habebat in domo, occidi faciendi Antonium de Clericis Notarium de Squadra Rubea, & eo mortuo levandi Civitatem in armis, & trucidandi dictum Dominum Brandam. Postea residuum Rubeorum saccomanandi, timentes ipsæ tres Squadræ, pro ut postea evenit, ne ipse Dominus Branda se informaret, & male de eis Dominæ Ducissæ referret, tam quod dictum saccomanum sponte & maligne fecissent, quam quod contra Statum machinassent. Unoque sero die Sabbati quarta dicti mensis Julii, & quo dictæ proclamationes restitutionis factæ fuerant, circa primam guardiam noctis eunte ipso Domino Branda à plateis ad domos Arcimboldorum, ubi allogiabat, & post eum accedente post modicum dicto Antonio Clerico, cum fuit prope Ecclesiam Sancti Syri versus viam hospitii Capelli, nonnulli satellites dicti Domini Johannis Francisci Cantelli evaginatis ensibus insultaverunt, vulneraverunt, & illico mactaverunt dictum Antonium Clericum. Quod cum Domino Johanni Antonio de Sparavaria de Papia Potestati tunc Parmæ nuntiatum esset, ipse illico misit huc militem, & familiam suam, qui miles reperto quodam homicida de Bersillo ex satellitibus prædictis, ipsum in coxa vulneravit, & levato rumore post ipsum militem, & familiam Potestatis, aufugerunt, & se in Palatio dicti Potestatis clausis januis reduxerunt. Dictus autem Galvanus, qui verba contentiosa habuerat cum dicto Potestate, propterea quod in executione literarum Ducalium sibi mandaverat, quod iret Mediolanum, & parere noluerat, adunatis multis armatis, & capistris, misit noctis tempore ad Palatium Potestatis, qui cum scalis per tecta intraverunt; dictum Palatium, & Portas cum trabetis dejecerunt. Undique enim gentes armatæ concurrebant. Potestas autem cum uxore, filiis, & tota familia sua se reduxit partim in Turri

A Communis, partim super tectis. Bona sua fuerunt saccomanata, & vix ipse vitam evasit. Unus tamen famulus suus mortuus fuit. Sed quidam, pauci tamen, Cives de tribus Squadris se intromiserunt, ne Campana sonaret; & ne major novitas sequeretur. Existimatum fuit enim ad hoc concurrisse forte quinquecentum personas armatas; & plures affuissent, ac tota Civitas fuisset in armis, nisi quod dum requirerentur multi Caporales ad hoc, noluerunt assentire, videntes Statum firmum, & quia jussi fuerant ire Mediolanum, & noluerant obedire, timebantque justitiam pro eis, quæ hactenus commiserant, sicque omnes ad propria sunt reversi.

B Die altera exinde secuta, re intellecta, tota Civitas stabat in terrore, multique, qui jam redierant ex Rubeis, credentes se tutos ob pacem factam, & eam cernentes violatam, omnesque saccomanati, qui venerant ad Dominum Brandam pro consecutione saccomani, reversi sunt sine mora extra Civitatem versus Montes in partibus Rubeis. Quod cum nuntiatum fuit Dominæ Ducissæ, ipsa misit Parmam Dominum Nicolaum de Tolentino, unum ex suis Consiliariis, qui habita informatione veritatis rei prædictæ, & hortatis Civibus ad bene & pacifice vivendum, rediit Mediolanum, retulitque Dominæ Ducissæ hujus novitatis causam, & auctorem, ac discrimen &

C periculum, in quibus Parma versabatur, ac damnum intratarum Cameræ. Quæ Domina Ducissa cœpit cogitare, ut provideret de uno viro justo pro Gubernatore Parmæ, qui justitiam faceret, & pessimos ac male compositos viros puniret, totamque hanc Provinciam purgaret; misitque in Civitate Anconæ pro Magnifico, & splendido milite Domino Jacobo Bonarello, ut illum huic Urbi Parmæ præficeret, qui venit, ut hic infra dicetur.

Præfatus Dominus Johannes Antonius Sparavera Parmæ Potestas ob ejus insultum prædictum timens, nec valens justitiam reddere, discessit à Parma cum tota familia sua, & in ejus locum deputatus est Comes Albertus

D Brusculus de Bononia pro Potestate, qui intravit officium ipsius Potestariæ quintodecimo Augusti dicti anni 1477. Hic enim Comes Albertus fuerat Potestas Parmæ pluribus annis tempore Ducis Galeaz, & adhuc durante ejus officio ipse Dux ipsum levaverat ab officio ob nonnulla eidem adscripta, ad quod restitutus fuit per Dominam Ducissam, ut sibi Bononienses amicaret.

De dicto mense Julii præfatus Dominus Branda de Castiliono in executione commissionis suæ Ducalis, quamplures fieri fecit cridas sub campana in plateis Communis, quod bona saccomanata restituerentur infra certum tempus, & ipso termino elapso, & iterum,

E atque iterum prorogato cum pœna furcarum, nemo apparuit restitutor. Cumque saccomanati porrexissent coram eo listas bonorum unicuique saccomanatorum, & nominarentur in testes aliqui de tribus Squadris, quoniam alii testes haberi non poterant, cum omnes Rubei illa infelici die tanti sceleris starent latibundi, hi nominati in testes cum jurejurando testificabantur, se non cognovisse saccomanantes, tum quia forasterii, tum quia armati non poterant cognosci; ita asserentes, & se excusantes, non animadvertentes ad juramentum per eos in dicta pace præstitum. Frustraque laborabat ipse Dominus Branda, cui etiam minabatur

batur de vita, ficque etiam minabatur faccomanatis, nisi finem ac filentium imponerent huic faccomano: ficque res hæc dilatabatur, & usque ad adventum dicti & infrafcripti Domini Jacobi Bonarelli. Hoc medio arma per quofcumque de tribus Squadris in publico ad latus portabantur. Quotidie aliqui Rubei percutiebantur, vulnerabantur, & injuriabantur. Azo vero prædictus Urbis Commiffarius ipfis tribus Squadris favebat, & maxime quia ipfe imputabatur potuiffe, & noluiffe tot fcandalis obviare, & etiam quia fentiebat de proximo remotionem fuam.

Eodem anno 1477. die XVIII. menfis Augufti Magnificus, juftus, ac magnanimus, & expertus Miles Dominus Jacobus Bonarellus de Ancona, qui unicum habebat oculum, fed cum eo longius videbat, quam umquam viderit Argo geftans centum oculos, quique pro Ducibus Francifco, & Galeaz fuerat Prætor Urbium Alexandriæ, Mediolani, ac Januæ, Commiffarius quoque Infulæ Corficæ, ac Civitatis Cremonæ, & in quibus officiis viriliter fe gefferat, & infinitas in improbos & malè compofitos viros juftitias fecerat, cujus nomen omnibus audientibus terrorem adducebat, vocatus per Dominam Duciffam, & inter tot ac tantos totius Italiæ Viros folus electus, Parmam à partibus Anconitanis cum octo equis tantum applicuit, ac in locum fæpedicti Azonis fucceffit, amoto ipfo Azone Sororio Domini Cichi. Quo vento hi de tribus Squadris, audita ejus præclara fama, tremebundi erant; difcoli quoque, ac malè compofiti, banniti, homicidiarii, cagneti, & feditiofi, ac forenfes viri, quorum magnus in Urbe penes tres Squadras aderat numerus, incerti, dubiique errabant, nec fciebant, quam viam eligerent, & an in Urbe ftarent, an cederent, perterriti hoc fancto & jufto homine accerfito tantum, ut eos admoneret, puniretque. Nec tamen arma deponebant; dicebant quoque: *fi hic homo monoculus aliquem ex noftris ceperit, aut ei aliquid fecerit, ipfum occidemus. Tranfeant vetera impunita, fiat nova lex, nec de præteritis fe impediat.* Hoc fentiens Dominus Jacobus Bonarellus Ducalis Parmæ Gubernator, nullas fieri fecit cridas pro armis deponendis, & nec pro capiftris expellendis, voluitque fecretè informari de geftis per has tres Squadras, de fide versùs Statum, & de totius Civitatis & Civium conditionibus, & nullos habens penes fe provifionatos infra quatuor dies poft adventum fuum acceffit Mediolanum, dimiffo ibidem Locumtenente fuo Domino Branda de Caftiliono. Quo receffo tota Civitas incœpit tumultuare, & hæ tres Squadræ dubitantes de futuris, & memores de malè geftis per eos, malè contentabantur, & deliberabant non obedire; & iterum ultra eos, quos penes fe habebant, multos forenfes eorum amicos cum armis intrare fecerunt, deliberantes Civitatem iterum in armis ponere. Dum fic perplexi effent, & jam Dominus Jacobus Bonarellus ordinaffet Mediolani, quid pro affettandis & quietandis rebus Parmæ agendum foret, ordinavit, quod Caporales dictarum trium Squadrarum removerentur à Civitate, & relegarentur, quo medio Civitas melius gubernaretur. Hucque venit de mandato Ducali Alovifius Bechetus Ducalis familiaris, & Aulicus, qui requifivit Dominum Petrum Mariam Rubeum, Antonium Bravum, & Rolandum Rubeum, qui irent Mediolanum, & eis receffis mandavit infrafcriptis Civibus trium Squadrarum, quod irent Mediolanum ad Dominam Duciffam, videlicet Domino Johanni Francifco Cantello, Galvano Cantello, Domino Ludovico Autino, aliàs de Gainfafiis, Antonio de Tajaferris, Guielmino de Colla, Comiti Ludovico Valerio, Petro Paulo de Fulchinis, Chriftophoro Gotfaldo, Sertorio Billiardo, Lucæ de Ferrariis, Matteo de la Lacta, & Jacobo de Plaza. Qui omnes illico iverunt Mediolanum, ac etiam Petro de Bono. De quo tres Squadræ, & confocii eorum malè contenti remanferunt. Eifque omnibus exiftentibus Mediolani præfatus Dominus Jacobus Bonarellus cum centum provifionatis reverfus eft Parmam. Poft ipfum veniebant alii quingenti provifionati. Scripfitque Sertorius Billiardus unus ex vocatis Mediolanum quibufdam fuis fatellitibus, quod hic Dominus Jacobus Bonarellus revertebatur Parmam cum magna peditum comitiva, & cum ampla commiffione puniendi capiftros, & quod erat homo audax, ac crudelis, & faceret multos appendi, eis perfuadens ad occidendum ipfum, quoniam poftea nullus reperiretur, qui auderet venire Parmam pro Commiffario, & væ eis, fi ad hoc non providerent. Ordinaveruntq; intra fe hi capiftri cum intelligentia Lazari de Fulchinis, Antonii de Vallaria, Hilarii Begarini, & multorum aliorum, ipfum Dominum Jacobum in reditu fuo mactare. Cum autem Parmæ fuit, præconizari fecit, quod nullus arma portaret, iret de nocte, nec aliquem forenfem in domo teneret fub pœna furcarum. Fama erat, quod mille provifionati veniebant. Omnes territi funt, nec aufi fuerunt novitatem facere. Arma depofita funt. Forenfes Civitatem evacuaverant. De nocte fine lumine non ibatur. Hic fanctus homo in mediis plateis de die clara capi fecit Bartholomæum Manzolium de Squadra Sancti Vitalis armigerum Domini Roberti deferentem phaleras fui equi pictas ad divifam dicti Domini Roberti cum uno Manzolo, & breve defuper dicente: *quando Dio, e 'l Diavolo vorrà, quefto Manzolo fe desligarà*: quem duci fecit in carceribus Cittadellæ novæ. Alia die capi, & in dictis carceribus poni fecit Antonium de Cafulla de parte Pallavicina, fequacem Domini Hieronymi, campanarium Communis, qui fonaverat campanam ad martellum, & iterum illam fonare volebat. Ac etiam quemdam rufticum de Colliculo, publicum latronem de Squadra Sanvitalis. Nec non & Jannuccium de la Lacta de parte Corrigienfi, omnes quatuor malæ vitæ, conditionis, & famæ, qui curlati fuerunt, & confeffi funt ordinem datum de occidendo dictum Gubernatorem. Dictus verò Campanarius debebat fturmizare campanam, & iterum tres Squadræ arma capere, & refiduum Rubeorum depopulari, & fugare, ac eorum bona inter tres Squadras dividere.

Die verò nono menfis Septembris dicti anni 1477. in mane tempeftivè, dicti quatuor capti, & carcerati, ut fupra, fuerunt de mandato dicti Gubernatoris appenfi cum laqueo ad gulam ad colonellos Palatii Communis in fpectaculo omnium. Quod fic geftum toti Populo metum induxit, & adeò quod capiftri omnes, & hi qui ordinaverant dictum tractatum, aufugerunt, & Civitatem evacuaverunt, & exiftimatum fuit, quod fuerint fic receffi numero mille, & plures. Tunc Gubernator

ad

ad equum ascendit cum ballistariis quinquaginta in sua comitiva, & totam Civitatem discurrit. Nemo est ausus aliquid dicere. Ex quo omnes illi Rubei, qui in Villis, & Castris cum bonis & familia sua se reduxerant ob metum trium Squadrarum, videntes justitiam fieri, & improbos puniri, in Civitatem reversi sunt jubilantes, & Deum laudantes, & clamantes: *Benedictus qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis.*

Eadem die nona Septembris, qua hæc gesta sunt, in sero applicuerunt ex Mediolano Parmam alii quingenti pedites provisionati bene armati cum centum schiopettis, & ducentis ballistariis ultra primos, & cum fuerunt in plateis, isti Schiopetterii omnes cum schiopettis projiciebant, & tantus erat strepitus eorum, quod tota Civitas pavebat, & tres Squadræ nil aliud expectabant, quam singulo die infinitos ex eis suspendi propter eorum delicta, & commissa, ut supra narratum est. Et hoc fuit aliud miraculum propter sacrilegia, & tot scelera saccomani Rubeorum, & Ecclesiarum. Si qui restabant capistri, in totum inde locum dederunt.

Cum applicuissent Parmam dicti quingenti provisionati, præfatus Dominus Gubernator fecit per omnes Cives de qualibet Squadra sibi consignari, & portari in Palatio suo omnia eorum arma, linquens solum unam clavarinam, seu spetum pro singulo homine, quæ arma reponi fecit in fortiliciis Civitatis nomine Ducalis Cameræ.

Magnificus Dominus Petrus Maria Rubeus, qui vocatus fuerat de mense Augusti, ut supra narratum est, Mediolanum, cum illic fuit, Illustrissima Domina Ducissa misit omnes Consiliarios suos Castri ad visitandum eum, ac ipsum deputavit pro primo Consiliario Status sui, sibique dedit comitivam trecentorum equorum cum honorabili stipendio, & provisione, ipsumque illic retinuit.

Ut autem Cives de tribus Squadris vocati Mediolanum pro gestis per eos in Parma, & contra Statum, & Rubeos punirentur, relegati sunt hoc modo, videlicet Sertorius Billiardus in Civitate Cumarum; Antonius de Tajaferris Novariæ; Petrus de Bono Papiæ; Christophorus Gotsaldus positus fuit, & detentus in Castro Mediolani; Matthæus de la Lacta Terdonæ; Lucas de Ferrariis Alexandriæ; Dominus Ludovicus Antinus Burgi Sancti Donini; reliqui omnes Mediolani. Galvanus Cantellus fuit terribiliter curlatus, postea missus in carceribus Tricii. In quibus locis steterunt certo tempore, & postea omnes, exceptis Petro de Bono, & Galvano Cantello reversi sunt in confinibus ex gratia speciali Mediolanum. Antonius verò de Bravis, & Rolandus Rubeus vocati Mediolanum licentiati fuerunt; Antonius ipse de Bravis infirmatus est Mediolani, & dum se portari faceret Parmam, in flumine Padi versus Rocham blancam diem suum clausit extremum.

In fine dicti mensis Septembris anni 1477. ad requisitionem Dominæ Ducissæ Mediolani omnes capistri, qui aufugerant, excomiatati sunt de Civitatibus Mantuæ, & Ducis Ferrariæ. Multi tamen ex eis se reduxerunt, & recepti sunt in Terra Corrigiæ.

Eodem anno 1477. die sexto Octobris, quoniam infiniti Parmenses se absentaverant à Civitate metu dicti Gubernatoris, & suæ justitiæ, ne Civitas evacuaretur tot Civibus, neve

A Datia Ducalia damnificarentur, de mandato Ducali die sexto Octobris dicti anni 1477. Magnificus Dominus Gubernator Parmæ mandavit per publicum proclama, quod omnes, qui se absentaverant à Civitate, & districtu Parmæ, ob saccomanum Rubeorum, & ob insultum Potestatis, de quibus supra tactum est, deberent reverti Parmam infra quindecim dies proximos sub pœna rebellionis, & confiscationis omnium eorum bonorum, quibus Illustrissima Domina Ducissa gratiam faciebat ob excessus prædictos, ita tamen quod bona saccomanata restituerentur. Exceptuati tamen sunt infrascripti, qui fuerant in dicto tractatu occidendi Gubernatorem, sonandi campanam

B ad martellum, ac Rubeos iterum depopulandi, & expellendi, ut supra narratum est, qui omnes sunt de tribus Squadris, ac earum amicis, quique interfuerant saccomano, & tumultibus superius enarratis, & qui publicè fuerunt banniti, & bona eorum Ducali Cameræ confiscata, quorum nomina sunt, videlicet: Johannes de la Lacta caput aliorum, Franciscus nepos Matthæi de la Lacta, Franciscus Villanus Mozonaso, Gabriel de la Viride, Gibellinus Bernazonus, Franciscus del Fra, Johannes Varollus, Zinus Contus, Zopus Ballestrerius, Leo de Bersillo, Alexander Burallus, Pantaleo Cantellus, Andriottus de Marano, Alexander de Cantù, Jacobus & Lau-

C rentius de Vico, Gaspar de Strimeriis, Jacobus de Colla, Andreas de Mutina, Prodoch, Donus Bernardus, Benzivegna, Billiardus, & Gregorius de Billiardis, Manzinus de Cortellinis, Petrus, & Horatius Sbirus, Antonius de la Concordia, Senesius de Bazanis, Gaspar de Minellis, Johannes Martinus de Fulchinis, Togninus Villanus, Sylvester Colbenus, Franciscus Sabadinus, & Baptus. Et licet alii haberent gratiam per proclama, de quo supra, nihilominus pauci reversi sunt, timentes propter restitutionem saccomani, quam facere nolebant, & quasi omnes non poterant, cum bona saccomanata dissipassent, & consumsissent. Hilarius Begarinus, qui de

D dicto tractatu particeps fuerat, illumque manifestavit, liberatus est ab exilio.

In hoc exilio non fuerunt positi Antonius de Vallaria, licet conscius, & particeps tractatus antedicti, quia ipse detegit, & demonstravit literas, quas Sertorius Billiardus scripserat pro occidendo Gubernatore. Nam hæ literæ ad suas manus pervenerant, cum aufugisset Corrigiam. Ac etiam Lazarus de Fulchinis hujus tractatus conscius, & in cujus domo prima verba dicta fuerant, aufugeratque, se juvit auro & argento, eos placando: quo medio exilium vitavit: ipsique duo Antonius, & Lazarus reversi sunt Parmam, &

E una cum eis Hilarius Begarinus, & firmi & illæsi steterunt ob præmissa, licet essent ex vocatis Mediolanum in relegatione superius expressa.

Eodem anno 1477. die Mercurii octava Octobris præfatus Dominus Jacobus Bonarellus Gubernator Parmæ, & qui cupiebat Parmam improbis hominibus purgare, habita notitia à Mediolano ex confessione Galvani Cantelli, quod Addon de Alliotis de squadra Corrigiensi, & suus Cognatus una cum eo, fuerat causa insultus Potestatis, de quo supra, uno mane appendi fecit dictum Addonem ad colonellos Palatii Communis, & cum eo Julianum de Niviano Correrium, & Satellitem

Do-

Domini Johannis Francisci Cantelli, qui in saccomano Ecclesiæ, & Abbatiæ Sancti Johannis habebat unum palum ferreum in manibus, cum quo dejiciebat ostia domorum Rubeorum, & dum requireretur, quo ibat, respondebat: *Io vado ad offrire questa torza a San Zoanne*. Quemdam famulum Matthæi de la Lacta; quemdam de Fabrorio homicidam; & Bernardinum Sartorem ex sequacibus dicti Domini Johannis Francisci. Qui Bernardinus multotiens percusserat genitorem suum, qui quasi in omnibus supradictis saccomanis, & profanationibus interfuerat, & infinita mala fecerat, comederatque in dicta Quadragesima duos boves, quos abripuerat in saccomano illorum de Calzavachis, & captus fuit in una cloaca prope domum suam circumdatam trecentis provisionatis eo mane, quo dicti sui consocii fuerunt appensi; & ductus ad fenestras dicti Palatii noluit confiteri peccata sua, sed dum vellet projici à fenestris dicti Palatii cum una manu ligata se cepit ad rodellum fenestræ, & posuit unum pedem in foramine muri, & nullo pacto volebat mori, sed fortiter clamabat: *o Commissario: o Commissario: io voglio ben render la roba, quale io ho avuto*. Tamdem dejectus fuit, & crudelem ac ignominiosam mortem finivit. Hic enim tempore, quo Parma erat in armis, & necdum venerat antedictus pater Justitiæ, clamabat post Rubeos dicendo: *Li si sono andati ascondere alli camarelli*; quos Camarellos ipse non fugit, sed in eis captus fuit, & ea, quam meruit, finivit morte. Hic, cum nimium trepidaret Dominum Gubernatorem, aufugerat, dumque Parmam rediret, ab omnibus ipsum videntibus sibi notificabatur, quod suspenderetur. Quod quidem sic gestum in appendendo dictos quinque, majorem induxit omnibus terrorem, quam antea; & hi capistri, qui sub proclamatione prædicta reversi fuerant, iterum aufugerunt. Et hoc fuit aliud divinum judicium, & miraculosum ob injurias illatas Ecclesiis Sanctis, sacris, & Rubeis.

Eodem anno die XV. Octobris de mandato præfati Gubernatoris factum fuit publicum proclama, & edictum, quod quicumque ex prænominatis bannitis alterum occideret ex ipsis bannitis, lucraretur gratiam exilii sui, & confiscationis bonorum suorum. Et hoc totum factum fuit ad hoc quod ipsi banniti non confiderent unus de alio.

Quoniam nullus ex absentatis revertebatur ad Civitatem, & ut Domina Ducissa demonstraret clementiam suam, & humanitatem, scripsit de dicto mense Octobris, & post prædicta, Dominus Gubernator Parmæ, qualiter ipsa plene & libere remittebat quibuscunque subditis suis omnia delicta ab hinc retro per eos quomodocunque commissa, & perpetrata, exceptis homicidiis, bannis de vita, rebellionibus, & proditionibus, ita quod libere omnes possent repatriare, salvo tamen quod bona Rubeorum saccomanata restituerentur. Quæ literæ tenoris suprascripti lectæ, & publicatæ fuerunt in una credentia magna Civium de qualibet Squadra convocatorum in præsentia Gubernatoris.

Cum dictus Gubernator videret Civitatem satis tranquillam, ex sexcentis provisionatis, quos in sui succursum habebat, remisit tercentum Mediolanum, retentis penes se aliis tercentis, & postea in brevi remisit alios ducentos, & centum tantum retinuit, quos ad

A custodiam suæ personæ, & Palatii residentiæ suæ, tenebat, & qui singulis tribus diebus se mutabant, & continue quinquaginta habebat in introitu dicti Palatii bene armatos diversis generibus armorum; & cum ibat per Civitatem sive pedes, sive eques, eos penes se volebat, & tam de die, quam de nocte personam suam custodiebant, cui multæ minæ fiebant per bannitos.

Dum autem præmissa proxime dicta fierent, hoc interim Dominus Branda de Castiliono audacter sumsit in Civitate Parmæ informationes de Rubeorum saccomano, de novitatibus trium Squadrarum, & de auctoribus saccomani prædicti. Quibus sumtis, & videns neminem velle restituere, & quod bona dissipata

B fuerunt, rediit Mediolanum, dimisso Domino Gubernatori quodam summario, & nominibus saccomanantium. Qui Gubernator factis multis cridis pro dicta restitutione, & ad se vocatis, ac detentis multis ex robatoribus, videns non proficere, nec fore possibile tali modo restitui ipsa bona, recusavit hoc onus, & persuasit Illustrissimæ Dominæ nostræ, quod auctores dicti saccomani arctarentur ad solutionem saccomanati, tanquam de jure obligati. Unde Domina Ducissa per suas manu propria subscriptas literas commisit dicto Domino Brandæ, quod videret, & bene examinaret, qui forent obligati ad dictam restitutionem. Postea judicium suum Excellentiæ Suæ referret

C infra mensem, quoniam ipsa Domina Ducissa intendebat observare saccomanatis id, quod eis promiserat pro restitutione, & integra satisfactione eis fienda bonorum saccomanatorum, ut superius dictum est.

Ultima die Veneris Octobris dicti anni 1477. Turcorum maxima turba, & numerus forte triginta millium equorum cum maximo impetu transitu facto per Sclavoniam ex Bossina descenderunt in Forumjulii, spatio dierum trium, & totidem noctium, perveneruntque prope Civitatem Utinæ: de quo adventu prævisi Veneti obviam & ad oppositum miserunt quammultos armorum ferocissimos, & belli ex-

D pertos viros, quos omnes, exceptis duobus, scilicet Provisore Veneto, & quodam alio armorum ductore ipsi Turchi ceperunt, occiderunt, & in regionibus suis adduxerunt, & pauci vitam evaserunt, maxime Johannes Quillicus de Sancto Vitali, qui cum esset ad custodiam certi tutissimi passus, sentiens impetum, & adventum Turcorum aufugit, dimisso ipso passu incustodito cum maximo suo dedecore, & propterea cassus fuit à stipendio Venetorum. In quo prœlio captus fuit quidam filius Comitis Jacobi Picinini, & multi alii Squadrerii. Qua victoria habita ab ipsis Turchis, ipsi Turchi immediate totam illam Provinciam discurrerunt, igne & ferro omnia

E vastantes, & Villas centum quinquaginta saccomanaverunt, in præda omnia ac igne ponentes, vetulos, & feminas occidentes, puerosve servantes, quos postea in eorum patriam duxerunt, infinitasque bestias, ac captivos ab inde ducendo; posueruntque prope Utinam castra sua, in cujus defensione erat Comes Carolus de Montono. Quod quidem sic gestum toti Urbi terrorem induxit, maximâ famâ divulgatâ, quod alii totidem in mense proximo superveniebant, & cum eis Imperator intelligentiam haberet. Ex quo à Venetis petito undique per Italiam auxilio jam paratus erat exercitus plusquam decem millium equi-

equitum belligeratorum; cumque cœpissent viam facere versus ipsos Turcos; hyeme superveniente ipsi Turchi in Bossinam reversi sunt. Mirum fuit quod propter cadavera insepulta in dicta contrata mortuorum, & quia regio ipsa vacua remansit habitatoribus, infinitus serpentum numerus illic loci venit, & adeo quod nullus ausus erat per illas partes transitum facere.

Quo etiam tempore intravit Civitatem Faventiæ Dominus Galleotus de Manfredis de Faventia, qui erat extra, & dominium ipsius Civitatis ad se spectare dicebat, receptusque fuit, & adlectus in Principem à Civibus. Dominus vero Carolus, qui ipsam Civitatem tenebat, se reduxit in arce Civitatis, concur-
B rentibus auxiliis pro utraque parte. Tamdem mediante Duce Hercule Estensi res ad concordium deducta est; nam Dominus Galleotus remansit Dominus Faventiæ, dictus vero Dominus Carolus ivit ad habitandum Ferrariæ cum provisione annua ducatorum quatuor mille auri.

Eo quidem anno 1477. in principio mensis Novembris ad Lunam novam incœpit vigere pestis in Civitate Parmæ acerba ex contagione, ex qua infra octo dies decesserunt hi, videlicet: Bonus de Ferraria, Uxor Pauli de Ferraria, Uxor Fabricii Antini, Uxor Johannis Banzollæ, Uxor Francisci Crivelli, Uxor Gabrielis de Palude, Gabriel ipse, Magister
C Johannes Jacobus Cataneus Physicus, & qui curaverat dictum Bonum, & dicebat non esse morbosum, Dominus Benedictus de Zabollis Doctor, & Miles, qui aufugerat Parianum, Factor Sancti Pauli, qui hanc contagionem ceperat Bononiæ, Domina Jacoba Baldechina, & quammulti alii. Quæ pestis ex optima provisione Domini Gubernatoris infra mensem cessavit, Deo dante, nam ob ejus metum quammaximus numerus Civium iverat ad Villas, & Castra Episcopatus.

Ultima quoque die mensis Novembris dicti anni 1477. Dominus Branda de Castiliono, cui Domina Ducissa amplam dederat commissionem videndi, & referendi Excellentiæ suæ,
D qui fuerant auctores novitatum, ac Saccomani Parmæ, de quibus supra tactum est, in scriptis, & jure medio se retulit hos infrascriptos Cives fuisse auctores, eosque condemnavit per juris sententiam in libris quadraginta millibus Imperialium dandis infrascriptis Civibus saccomanatis de Squadra Rubea pro restauro & resarcimento bonorum saccomanatorum. Sed quia visum fuit præfatæ Dominæ Ducissæ, quod tanta summa esset consumtio ipsorum Auctorum, mitius agens declaravit ipsos solvere debere tantummodo libras viginti mille, & quod libræ decem mille resti solverentur ex bonis bannitorum super ex-
E pressorum, aliæ vero libræ decem mille solverentur per Communitatem Parmæ. Hi vero taxati, & condemnati cum quantitate post unumquemque eorum sunt hi, videlicet:

Dominus Hieronymus Bernerius libras quatuor mille. Dominus Johannes Franciscus de Cantellis libras mille sexcentum. Dominus Ludovicus de Antinis libras ducentum. Dominus Lucas, & Augustinus de Ferrariis libras mille sexcentum. Antonius de Tajaferris libras sexcentum. Petrus de Bono libras quatuor centum. Christophorus Gotsaldus libras mille ducentum. Matthæus de la Lacta libras sexcentum. Sertorius Billiardus libras

A ducentum. Comes Ludovicus de Valeriis libras mille sexcentum. Hilarius Begarinus libras duas mille centum. Cornachia armiger, & Squadrerius Domini Roberti libras mille ducentum. Jacobus de Trojis libras ducentum Imperialium. Johannes Jacobus Arzonus libras mille quatuor centum. Gaspar de Prato libras ducentum. Donus Laurentius de Buys libras ducentum. Illi de Maseriis libras quinquecentum. Hereditas Bartholomæi Manzolæ libras sexcentum. Hi autem denarii, & alii ad summam taxæ prædictæ dari debebant infrascriptis condemnatis, videlicet pro rata descripta post unumquemque eorum, ut infra, videlicet: Domino Fratri Rolando de Rubeis
B ducatos novemcentum septuaginta octo. Domino Abbati de Rubeis ducatos mille auri. Domino Bartholomæo de Calzavachis ducatos mille centum octoginta unum, libras duas, & solidos sex. Andreæ de Mazochis ducatos mille septuaginta quatuor libras tres, & soldos decemocto. Domino Antonio de Bravis libras novemcentum ..... mille septemcentum viginti duas. Johanni Baptistæ Garimberto libras tres mille quinque centum nonaginta novem, & soldos sexdecim. Jacobino de Sgais libras tres mille trecentum sexaginta septem, & soldos duos. Rolando de Rubeis libras octocentum triginta septem, & soldos novem. Domino Ambrosio de Zandemariis
C libras novemcentum decem & novem, & soldos decem. Gasparino de la Cavana libras mille sexcentum septuaginta novem, soldos decem novem, & denarios sex. Dono Bartholomæo de Carissimis libras quatuorcentum septuaginta quatuor, & soldos quindecim. Leonardo Sallano libras centum septuaginta quinque. Petro Pisano libras octoginta. Johanni Antonio Socio libras ducentum quinque. Domino Nicolao Ravacaldo libras viginti tres. Dominæ Elisabet de Carissimis libras quinquaginta. Bernardo Scusono libras sexaginta novem. Domino Peregrino de Zenovesiis sexaginta. Reverendissimo Domino Johanni de Arcimboldis Cardinali libras mille sex-
D centum octoginta quinque. De qua quidem relatione, declaratione, condemnatione, & taxatione præfati condemnati, qui erant Mediolani in confinibus, permaxime doluerunt, & se gravaverunt, dicentes fore indebite condemnatos, & in nimia summa; & petierunt denuo revideri & velle probare se non fuisse culpabiles saccomani prædicti, & saccomanatos non perdidisse tot bona, quot in dicta continentur taxatione. Cumque res hæc proponeretur in Consilio Status, per aliquos de ipso Consilio, & maxime per Dominum Johannem de Scipiono, favebatur dictis condemnatis, & etiam ipse fuit causa reducendi dictam taxationem, quæ pro dimidia tantum
E solveretur à condemnatis. Tamdem vocato dicto Domino Branda coram Domina Ducissa, & per eam intellecto, quod juridice actum erat, ipsa declaravit dictam sententiam, & taxationem sine alia revisione debere sortiri effectum, memor promissionum factarum, & advertens, quod in materia saccomanorum proceditur summarie, & spoliatis de facto ita & de facto restitui debet. Quod quidem molestissimum fuit dictis condemnatis.

Latâ dictâ sententiâ Magnificus Dominus Petrus Maria Rubeus, qui erat in Mediolano deputatus pro primo ad regimen Status, infirmatus recessit ex Mediolano, & per aquam

venit

venit ad Castrum suum Rochæ blancæ, ubi in spatio paucorum dierum bene convaluit.

Eodem autem mense Decembris dicti anni 1477. Reverendus Dominus Ugolinus de Rubeis Abbas Sancti Johannis Evangelistæ de Parma renuntiavit dictam Abbatiam Societati, & Fratribus Sancti Benedicti in Polirono, sibi reservata pensione annua toto tempore vitæ suæ Ducatorum quingentorum auri. Qui Monachi, sive Fratres Observantiæ, intrarunt in dictam Abbatiam, ob quorum celebrationes divinas, tam morigeratas, dulces, & mellifluas, totus Populus Civitatis ad ipsum locum pro divinis audiendis confluebat, multique juvenes optimi, & divites Cives in eam professionem intraverunt.

Fuit mirum in Civitate Parmæ de mense Decembris dicti anni 1477. Nam quædam mulier paupercula habitans in capite Pontis uno partu produxit in lucem tres masculos infantes, qui infra triduum ex hoc seculo migrarunt salva genitrice eorum.

Hoc quidem mense Decembris ex gratia & clementia Dominæ Ducissæ reversi sunt à confinibus suis Parmam Comes Ludovicus de Valeriis, Petrus Paulus de Fulchinis, & Guielminus de Colla, de quorum adventu tres Squadræ gavisæ sunt.

Multa namque supradicti banniti à Civitate Parmæ hoc tempore moliti sunt, & tractaverunt contra Dominum Jacobum Bonarellum Gubernatorem Civitatis, cum quibus quidam Johannes Pellicia homicida & satelles Domini Johannis Francisci Cantelli, audax & pessimus, praticam & sermonem habuit in Terra Corrigiæ contra dictum Gubernatorem, cui nuntiata sunt hæc. Et cum ipse Pellicia secrete venisset in Civitate Parmæ, eum una nocte in lecto in domo propria capi fecit ipse Gubernator, ac fortiter tormentari, confessusque fuit, sexdecim ex dictis bannitis conjurationem intra se fecisse cum communicatione sanguinis proprii ad invicem occidendi dictum Gubernatorem. Qua ex causa Domina Ducissa hoc sentiens scripsit literas, quod ipse Pellicia suspenderetur per gulam, eaque dies qua ipsæ literæ portatæ sunt erat Vigilia Nativitatis Domini. Ob ejus reverentiam talis suspensio non fuit facta. Hoc medio per confinatos tantum praticatum fuit, quod Domina Ducissa vitam sibi condonavit, & eo potissime, quia in insultu Potestatis, de quo supra, se bene gesserat, ac etiam orationes & preces uxoris, quæ quotidie nuda pedibus cum sex virginibus etiam nudatis pedibus visitabat Ecclesias devotas, ac Corpora Sanctorum Civitatis; fuitque liberatus, & vocatus Mediolanum, ubi multa reprehensione, & exhortatione ad bene vivendum reversus est in Parmensi, & in ejus relaxatione pro ejus fidejussoribus de se præsentando Mediolanum intercesserunt sexdecim de tribus Squadris, ac si fuisset primus vir, & Caporalis omnium Civium Parmæ; pro cujus liberatione omnes tres Squadræ omnem operam impenderunt, & intra se posuerunt unam Coltam denariorum, cum quibus creditur aliquos ejus adjutores fuisse corruptos. Nam hic erat primus capister Civitatis. Aliàs commiserat homicidium Bononiæ, & genitricem propriam dejecerat ex quodam domus suæ ballatorio; interfuerat saccomanis, & judicatus est omnino male finiturus. Non tamen est ausus in Civitate morari.

Eodem mense Decembris dicti anni Domina Ducissa Mediolani misit tres suos Oratores, scilicet Dominum Brandam de Castiliono Episcopum Cumanum, Dominum Johannem Aloysium Bossum, & Azonem Vicecomitem, omnes de Consilio secreto, ad Regem Francorum cognatum suum pro inienda, & firmanda liga cum eo. A quo Rege benigne sunt suscepti, & visi. Attamen pro ea vice colligatio non fuit facta; nam Rex ipse pollicitus est in brevi se missurum Oratores suos Mediolanum ea pro colligatione fienda. Qui Oratores Ducales reversi sunt Mediolanum, dixeruntque vidisse in Curia dicti Regis dictum superius Dominum Robertum, cui nullatenus locuti sunt de mandato Dominæ Ducissæ, ac dixerunt ipsum venire in Italia cum triginta equis tantum.

Hoc toto anno supra expresso 1477. defunctæ sunt in Civitate Mediolani quam multæ, & innumerabiles personæ febribus acutis, phræneticis, & insanabilibus, quorum multi se dejiciebant à fenestris; & in aliqua domo accidit, quod omnes periere, & eundo per Civitatem non videbantur nisi Cruces, & Presbyteri; multique, ne terror fieret, & metus, sepeliebantur in nocte; ordinatumque fuit, ne sonarentur campanæ talibus mortuis; dictumque fuit per deputatos superinde, quod numerus mortuorum ipso anno fuit de personis viginti duabus millibus. Et multis diebus hoc duravit, quod sepeliebantur triginta ad minus singulo die.

Hyems dicti anni à medio Novembris usque ad Natale, & etiam à Natale per totum Martium anni secuti fuit sine nive & glacie.

Anno 1478.

Anno postea secuto 1478. hæc gesta sunt, de quibus infra, videlicet. Circa finem Januarii anni 1478. Dominus Robertus ex Sancto Severino, qui profectus ad Regem Francorum, credens stipendium consequi ab ipso Rege, eidem pollicitus est, quod per totum mensem Madii anni præsentis ex Italia duceret ad partes Franciæ ducentos armigeros Italicos, & more Italico, pro guerra, quam idem Rex movere intendebat contra Ducem parvum Burgundiæ, vociferansque, & prædicans se Capitaneum dicti Regis, ex partibus Franciæ secessit, & venit in Civitatem Asti, quam tenet Dux Aureliæ, gener dicti Regis, in qua Civitate multas fieri fecit cridas, ut ad suum stipendium conduceret gentes, ibique vivebat maximo cum timore Status Mediolani, guardias continuè pro tuitione suæ personæ fieri faciendo. Ex opposito vero Domina Ducissa Mediolani fieri mandavit proclamationes, ac inhibitiones, ne quispiam de Dominio Ducali auderet ire ad stipendium extra Civitates Ligæ suæ Italicæ, nec eques, nec pedes sub pœna rebellionis. Hoc idem jusserunt alii de colligatione cum Statu Mediolani, scilicet Veneti, Florentini, Bononienses, Marchio Mantuæ, & Dux Ferrariæ in eorum dominiis. Et hoc pacto idem Dominus Robertus delusus remansit, ad quem nullus armiger de Civitatibus, & dominio dictæ Colligationis accedere est ausus.

Eodem mense Januarii dicti anni 1478. Domina Ducissa Mediolani misit ad Imperatorem Dominum Guidonem Antonium de Arcimboldis unum ex Consiliariis Consilii sui Secreti pro obtinendis Privilegiis creandi primogenitum Ducis Galeaz, & ipsius Dominæ Ducissæ in

in Ducem Mediolani, à quo Imperatore id fuit benigne obtentum.

Eodem anno 1478., & mense Januarii accesserunt Oratores Regis Franciæ ad Dominam Ducissam Mediolani, qui inter alia eorum instructionis parte dicti Regis recommiserunt Excellentiæ suæ dictum Dominum Robertum, & se intromiserunt, ut ipsum cum Domina Ducissa pacificarent, & concordarent: quod locum habere non potuit.

Eodem anno, & mense Januarii cum in Terra Corrigiæ forent reducti banniti de tribus Squadris superius nominati, accidit quod inter Franciscum Sabadinum, & Franciscum Villanum *Mozonaso* ambos exules, & de quibus tactum est superius, orta fuit rixa, & ambo armati se invitaverunt ad spadazatas. Inito inter eos prœlio Franciscus Sabadinus occidit immediate dictum *Mozonaso*, quam multis vulneribus confossum. Ex quo lucratus est exemtionem, & gratiam ab exilio, & confiscatione bonorum suorum, & vigore proclamationum Domini Gubernatoris, de quibus supra, libere fuit reversus in patriam suam Parmensem. Et hoc fuit aliud judicium divinum, nam hic *Mozonaso* fuerat maxima causa multarum seditionum in Parma, & interfuerat deprædationi Abbatiæ, & Ecclesiæ Sancti Johannis.

Ut autem saccomanati de Squadra Rubea consequerentur satisfactionem suam juxta promissa Dominæ Ducissæ, & pro executione declarationis superinde factæ, miserunt de dicto mense Januarii ad Dominam Ducissam pro Oratoribus Gasparinum da la Cavana, & Johannem Baptistam de Garimbertis ambos de numero, & consortio saccomanatorum, qui quotidie aures Dominæ Ducissæ, ac Senatus sui Castri propulsabant, & infestabant pro eorum satisfactione juxta dictam primam declarationem. Ex opposito autem condemnati Mediolani relegati recusabant solvere, dicentes fuisse injuste condemnatos, & taxationem fore excessivam, petebantque revideri denuo; & ad hoc eis favebant Dominus Johannes de Scipiono, & nonnulli alii Consiliarii, tentaveruntque concordium, mediantibus Domino Augustino de Rubeis, & Domino Raymundo Lupo, ambobus Parmensibus, & de Consilio Secreto; sed quia volebant hos denarios saccomani librarum quadraginta mille solvi per Communitatem Parmæ, non potuit compositio fieri, & durarunt praticæ usque de mense Martii postea secuto, quo mense declaratum fuit per Dominam Ducissam, Cives de tribus Squadris superius nominatos solvere debere; & contra eos fuit commissa executio, factis sibi præceptis, quod infra unum mensem proximum solverent, & fidejuberent de solvendo ad id tempus. Tamen prius carcerati fuerunt, videlicet Mediolani in Castro illi, qui ibidem erant relegati, & hi qui erant Parmæ in carceribus Communis. Tamdem solverunt usque ad summam librarum decem septem millium, quæ distributæ sunt, & numeratæ in contantis saccomanatis pro rata uniuscujusque, & aliqui ex eis, maxime Jacobus Troyus, voluerunt à Thesaurario, cui nomine Cameræ numeratæ sunt pecuniæ, confessiones in charta membrana, dicentes eas velle ad memoriam filiorum suorum, qui haberent recordari se dictas pecunias solvisse Rubeis.

Eodem mense Januarii dum hæc executio peteretur, & tractaretur in Civitate Mediolani, Dominus Hieronymus Bernerius caput omnium, & qui erat Capitaneus Justitiæ Mediolani procuravit omni via qua potuit obviare, ne solveret condemnationem suam ducatorum mille auri, & operatus est cum Francisco Bajardo spurio, & licet Rubeo ab origine, tamen compatre, & conjunctissimo in amicitia dicti Domini Hieronymi, quod idem Franciscus, cui obvenerat ad sortem & brevia in Consilio generali Parmæ, Officium Aquarum, quod quidam alius incantaverat Mediolani, simulavit se supplicaturum Dominæ Ducissæ Mediolani, quod sibi injuria fiebat, & requisivit multos de Squadra Rubea, ad subscriptionem talis supplicationis in ejus favorem; & asserens non habere tempus notandi ipsam supplicationem, eis de Squadra Rubea exhibuit unum folium papyri album, in quo, & in prima facie apponi fecit nomina manu dictorum Rubeorum, eis dicens, quod describeret in eo folio dictam supplicationem postea, ad cujus subscriptionem intervenerunt triginta sex notabiles Cives de Squadra Rubea. Hoc folio scripto, Franciscus prædictus fecit post dictorum Civium nomina describi, Dominum Hieronymum Bernerium eorum Concivem fuisse condemnatum in mille ducatis auri pro saccomano Rubeorum, & quod valde admirabantur de tali condemnatione, quoniam ipse Dominus Hieronymus se optime gesserat in auxilium Rubeorum, & obviaverat, ne domus ipsorum Rubeorum saccomanarentur; & ideo deprecabantur Excellentiam Dominæ Ducissæ, quod faceret aboleri dictam condemnationem. Hancque literam Franciscus ipse direxit per viam caballariorum Mediolani. De quo quidem Domina Ducissa valde admirata est, & stabat in proposito revideri denuo faciendi dictam sententiam; & Deo permittente ea die, qua ipsa litera lecta fuit in Consilio Castri Mediolani, dicti Oratores saccomanatorum habuerunt audientiam ab ipsis de Consilio Status, intellectoque tenore dictæ falsæ literæ, dixerunt eam fore falsam, & dictos Cives scriptos in albo fuisse deceptos. Scriptum fuit Gubernatori Parmæ, quod se informaret ab ipsis Civibus de Squadra Rubea, quomodo processerat dicta eorum scriptio in albo, qui omnes cum juramento approbaverunt fuisse deceptos à dicto Francisco, modo, quo supra dictum est, & nullam vidisse literam, nec supplicationem; supplicaruntque ipsi Cives puniri debere dictum Franciscum bastardum. Tamdem veritate rei hujus detecta ex relatione dicti Gubernatoris, Domina Ducissa capi fecit dictum Franciscum in Mediolano, & illum carcerari in una Turri Castri Mediolani, in qua aderat Dominus Objectus de Flisco detentus, ibique stetit pluribus mensibus. Postea ex clementia Dominæ Ducissæ, obtentâ veniâ tanti delicti, liberatus fuit. Cum eo etiam in hoc particeps fuit Johannes Antonius de Berneriis nepos dicti Domini Hieronymi, qui hoc sentiens aufugit de dominio Ducali. Postea autem liberatus est.

Eodem mense Januarii factæ sunt duæ supplicationes in Parma opera Comitis Ludovici de Valeriis, qui gratiam habuerat repatriandi, & subscriptæ erant manu forte quatuorcentum Civium de Squadris tribus, quæ erant diversi tenoris. Sed altera earum continebat, qualiter Dominus Branda injustam tulerat sententiam, & quod fuerat frabutatus, & suppli-

ca-

cabant ipsam revideri. Hæ duæ supplicationes sic subscriptæ porrectæ sunt in dicto Consilio Castri, & in eo lectæ, nec repertus fuit, quis illas præsentasset. Re investigata præscitum fuit, quod fuerat inventor hujus negotii dictus Comes Ludovicus, & quod Cives subscripti fuerant decepti. Ac etiam Domina Ducissa intellexit, quod hic Comes minabatur dicendo, quod numquam solveret condemnationem suam; & si ipsam solutionem fugere non posset, quod daret tot ex suis bonis in solutum saccomanatis; postea videret, quis ex eis illa possideret. Dixitque etiam, quod in uno ictu unius schiopeti faceret pluere arma, & nasci ex terra in Civitate Parmæ. Ex quibus Domina Ducissa irata illum vocavit Mediolanum, & ibidem eumdem retinuit in confinibus, vocavitque Dominum Ludovicum Antinum relegatum Burgi Sancti Domnini, & eum voluit manere in Mediolano, & prædictis non obstantibus executa est sententiam supradictam.

Eodem anno 1478. & de mense Februarii, quoniam à Civitate Parmæ aberant multi Cives de omnibus Squadris absentati propter memoratas novitates, & Datia Cameræ deteriorabantur, parte Domini Gubernatoris ex ordinatione Ducali factæ sunt publicæ proclamationes, quod quilibet absentatus à Civitate deberet infra quindecim dies cum familia sua reverti in Civitate sub pœna rebellionis, ex quo omnes maxime boni Cives reversi sunt.

Eodem anno 1478. de mense Aprilis cum Dominus Robertus ex Sancto Severino in Civitate Asti esset, & consuevisset singulo die Missam audire in quadam Capella, fuit observatus à quatuor ballistariis Ducalibus, qui omnino illum sagittare volebant. Sed de hoc prævisus, eos capi, & furcis appendi fecit, à quo tempore citra semper stetit cum maxima guardia, sed nondum venerat tempus finis sui.

Eodem mense Aprilis adhuc durante officio Capitaneatus suprascripti Domini Hieronymi, cum cepisset quosdam Barros mortem promerentes, eos ipse liberavit, corruptus ducentis aureis. Quod delatum est Dominæ Ducissæ, quæ veritate comperta illico privavit vituperose ipsum Dominum Hieronymum à dicto officio, & ipsum duci fecit à nonnullis provisionatis per Civitatem in Castro. Dumque sic duceretur, artifices post ipsum clamabant! *appicca il ladro: dà al ladro*. Ductus in Castro detentus fuit, & præstitit fidejussorem de solvendo ratam sibi taxatam saccomani Rubeorum infra mensem. Dominus autem Johannes de Scipiono, qui sibi amicabatur, hoc ægre tulit, & in ejus defensione verba habuit cum aliquibus de Consilio Status, & ob hoc mitius actum est cum ipso Domino Hieronymo; sed deliberatum fuit amovere ipsum Dominum Johannem à dicto Consilio, propter ejus partialitatem, & ita amotus fuit, pro ut infra recitabitur. Dictus vero Dominus Hieronymus præstita fidejussione prædicta rediit domum in contrata Sancti Stephanini in Bregondia. Cumque vellet postmodum infra octo dies domum exire, in qua latuerat ob verecundiam, pueri illius regionis numero forte centum cum lapidibus ipsum insultaverunt, clamantes: *appicca, appicca il ladro: ammazza, ammazza il Barro*. Tamdem coactus est redire in domum, & ibi latere per menses circa quatuor, & hoc fuit aliud divinum judicium; sed nondum venerat hora sua perentoria; in cujus locum successit Comes Bartholomæus Zamfiliacius Florentinus Potestas Mediolani.

Aliud enim judicium fuit hoc mense Aprilis 1478. nam quidam Zinus de Parma unus ex bannitis homicida, quique aliàs ad mandata dicti Domini Hieronymi occiderat Possentium de Burciis maritum unius amasiæ dicti Domini Hieronymi, & fuerat in spoliatione & saccomano Ecclesiarum supra narratarum, absentatusque duxisset in Civitate Faventiæ quamdam meretricem, quam deviaverat Bononiæ cuidam lenoni, insecutus ab ipso lenone, & consociis, deprehensus in via insultatus, & multis lethalibus vulneribus confossus vitam ignominiose amisit.

Quo etiam tempore quidam Medicus frater Johannis Andreæ de Lampugnano interfectoris Ducis Galeaz fuit trucidatus Venetiis de die clara à nonnullis travestitis, & incognitis. Hic enim fuerat consocius occisionis dicti Ducis, & ea die, qua facta fuit, recessit clam ex Mediolano, & perrexit Venetias. Alius frater Princivallis de Lampugnano, qui in terra Spediæ Lunesanæ deputatus officium Capitaneatus gerebat illarum partium, levatus fuit, & relegatus Florentiæ. Hic enim erat sine culpa.

Eodem anno, & mense Martii Dominus Objectus de Flisco, qui ob tractatum Domini Roberti de Sancto Severino captus & inclusus fuerat in una ex turribus Castri Portæ Jovis, extractus fuit, & ibat per ipsum Castrum, associatus tamen continue à duobus provisionatis, se singulo die mutantibus, & cum eo aderat quidam suus nepos pari modo custoditus.

Eo etiam mense Antonius Tajaferrus unus ex confinatis Mediolani obtinuit literas patentes Ducales pro officio Referendariæ Laudæ, cumque in Kalendis Martii dicti anni vellet accedere ad ipsum officium, sibi fuit inhibitum, & sic delusus mansit in suo confinio.

De mense prædicto Martii ob quamdam litem motam contra Galvanum Cantellum, qui detentus observabatur in arce Tricii ob insultum Potestatis Parmæ, & ob saccomanum Rubeorum, & quia tractaverat contra Statum, relaxatus fuit, & ductus in Castro Mediolani, ut causam suam tueri posset, ubi pro certo tempore mansit, & postea præstita fidejussione trecentorum aureorum solvendorum pro restitutione saccomani, liberatus fuit ab ipsa detentione, sed tamen una cum aliis remansit relegatus in Mediolano.

Eodem anno 1478. capti sunt duo Cives Mediolani de parentela Johannis Andreæ de Lampugnano, qui erant advisatores, quando quondam Dux Galeaz exibat de Castro, & decimaquinta die Aprilis alter eorum fuit in publico in Broveto squartatus, alter vero per Civitatem ad caudam equi tractus, postmodum decapitatus publice.

Eodem anno 1478. die 22. Aprilis Magnificus Dominus Jacobus Bonarellus Gubernator Parmæ, capto in hospitio Bersili Gabriele de la Viride uno ex bannitis, & de squadra Pallavicina, ipsum in publico in hora Tertiarum, omni Populo vidente, appendi fecit laqueo per gulam ad colonellos Palatii Communis in plateis, ubi alii appensi sunt: quo appenso sonari fecit arengam, ut fit proditoribus. Hic etiam fuerat audax latro in saccomano Rubeo-

beorum, & in profanando Ecclesias. Et hoc fuit aliud divinum judicium. A

Eodem anno 1478. die 25. Aprilis, qua celebratur Festum Sancti Georgii, Illustrissimus, ac Excellentissimus Dominus Johannes Galeaz Maria Sforcia Vicecomes Ducalis primogenitus ætatis annorum novem cum Privilegiis Imperialibus creatus est Dux Mediolani loco quondam Genitoris sui, sumsitque Ducalia insignia maximo cum triumpho, associatus maxima gente armigera equestri, & pedestri, ut tali Principi convenit, in qua celebritate multos creavit milites, & multa pretiosa dona fecit. Posteaque ipsis armigeris benedicto prius vexillo, ut moris est, illud portari, & associari fecit per Civitatem in solito Zardino Castri. B Et pro quo in toto dominio Ducali factæ sunt triduanæ processiones cum Clero, & alio Populo, & cum Campanis à festo.

Eodem mense Aprilis circa finem dicti anni 1478. ortâ certâ rixâ in Terra Corrigiæ inter Andream de Mutina, & Johannem Varolum de Squadra Sanvitalis, ambos bannitos, & qui interfuerant saccomanis, & tractatibus, de quibus supra sæpius dictum est, ipse Andreas cum uno ense pluribus ictibus vulneravit dictum Johannem Varolum, qui illico vitam finivit sine confessione. Hic enim aliàs ut satelles Domini Hieronymi Bernerii occiderat in plateis Dominum Bartholomæum de la Lacta Doctorem, & militem Potestatis uno C die Jovis Sancti, eratque maximus latro, & homicida, & erat ballistarius eques Domini Roberti. Et hoc fuit aliud divinum judicium.

Eodem anno 1478. die 26. Aprilis in Civitate Florentiæ ordinatus fuit maximus & tremendus tractatus per nonnullos Cives Florentinos, mediantibus Domino Papa Sixto, Comite Hieronymo nepote suo, & Rege Ferdinando, misso Florentiam Domino Cardinali etiam nepote dicti Pontificis, ut negotium melius sortiretur effectum, ad hunc finem, quod dictus Rex posset de Florentia in suo libito disponere, & ut relegati reverterentur in patriam, ac etiam quod Julianus, & Lau- D rentius fratres de Medicis deponerentur, quorum consilio, & auctoritate tota Respublica Florentina gubernabatur, & ut ipsi Florentini se solverent à colligatione Status Mediolani, Venetorum, & Regis Franciæ. Dictoque die vigesimo sexto Aprilis in mane dum celebraretur solemnis Missa in Ecclesia Sanctæ Liberatæ Florentiæ, ad quam dictus Cardinalis aderat, nec non complices sui hujus proditionis, qui erant multi, & inter alios Dominus Jacobus de Paciis Miles, ac Civis potens, & qui erat hujus rei caput, in eaque Ecclesia forent dicti Julianus, & Laurentius hujusce negotii ignari, audiretque Missam flexis genibus Julianus ipse, essetque seorsum à dicto E Laurentio pererrante in Ecclesia, insultatus fuit à quibusdam Satellitibus cum gladiis, atque multis vulneribus confossus illico expiravit in terram cadens. Alter vero satelles cum pugione irruens in dictum Laurentium, illum in gutture vulneravit uno vulnere non tamen lethali. Ex novitate rei rumor per Populum, qui in Ecclesia aderat pro divinis audiendis, elevatus est. Hic Laurentius adjutus maximo cum labore & periculo se reduxit salvus de vita, & reclusit in Sacristia nova Ecclesiæ prædictæ, & adeo quod mortem evitavit. Omnes in Ecclesia existentes ad propria ivere, arma capiendo. Dictus vero Cardinalis illinc recessit, & domum rediit. Dumque hæc agerentur, Dominus Franciscus de Salviatis Archiepiscopus Pisarum, consocius dictæ proditionis cum viginti personis armatis sub chlamidibus accessit in Palatio Dominorum Florentiæ; & simulans aliqua importantia velle conferre cum Confalonerio justitiæ, ipsum adivit, dimissis famulis suis infra. Cœpit de variis cum eo loqui, spatiando per salam dicti Palatii, expectansque horam & tempus mortis dictorum duorum Fratrum de Medicis, ut posset dictum Palatium, ac Dominos, & Confalonerium capere, & eos à fenestris dejicere, Urbemque, & Rempublicam occupare.

Suspicans ipse Confalonerius, & audiens jam Populum ad arma currere, ignarus mortis Juliani, accersitis nonnullis ad custodiam dicti Palatii deputatis, hunc Archiepiscopum cepit, & in loco secreto ligatum clausit, dumque ejus famuli vellent desuper ascendere, cum lapidibus ab alto, & à ballatoriis dicti Palatii dejectis non potuerunt ascendere; multi ex eis capti sunt, & nonnulli evaserunt, clausæque sunt januæ ejusdem Palatii. Dictus vero Dominus Jacobus de Paciis, qui mortuo Juliano iverat domum, exivit cum forte centum armatis ex sequacibus suis, quos abditos in domo recluserat sub silentio nocte præcedente, & venit ad Plateam dicti Palatii, credens ipsum Palatium occupatum fore à dicto Archiepiscopo, clamando undique: *Viva il Popolo, e la Libertà*; vidensque dictum Palatium esse in potestate Confalonerii, & Dominorum, illinc fugiendo recessit, ad domumque perrexit, & equum ascendit, fugiens versus Portam, qua itur Pistorium, jam captam nomine suo, eamque exivit. Hoc medio tota Civitas fuit in armis, & ubique locorum clamabatur: *Palle, Palle*, quæ sunt insignia Medicorum. Insecuti, & persecuti sunt omnes complices dictæ proditionis, qui erant multi, & capti sunt tam ex Civibus, quam ex Perusinis, & Forasteriis in hoc participibus ad numerum forte centum, qui immediate appensi sunt per gulam ad Palatia dictæ Plateæ, & aliqui dejecti à fenestris. Liberata fuit dicta Porta ab obsidione; insecutus fuit, & captus dictus Dominus Jacobus de Paciis, & ductus in Civitate, ac immediate per gulam ad fenestras suspensus, semper in ejus auxilium invocans Satanam, & totam Curiam Infernalem. Dictus vero Archiepiscopus cum aliquibus suis sequacibus laqueo ad guttur appensus fuit ad fenestras dicti Palatii Dominorum; & quotquot haberi potuerunt ex his consciis tantæ proditionis, usque ad unum laqueo, sive ferro, ad mortem deducti sunt, omniaque eorum bona confiscata sunt. Dictus vero Cardinalis ductus fuit in Palatio Dominorum, & ibi custoditus, sæpeque ipsi Domini steterunt in opinione ipsum appendendi; sed reverentia Cardinalatus, ac Summi Pontificis vetantibus, infra mensem remissus fuit illæsus in Curia Romana.

Hac justitia eademmet die peracta Populus, qui erat in armis amicus Medicorum, accessit ad Ecclesiam Sanctæ Liberatæ, duxeruntque domum Laurentium Medicum, qui in brevi à dicto vulnere gutturis liber & sanus est effectus Dei gratia juvante. Cadaver verò Juliani sepultum fuit in Ecclesia Sancti Laurentii Parœciæ suæ. Multi etiam Cives positi sunt in Stinchis, ac multi sunt confinati, adeò

adeò quod Civitas mundata fuit his improbis. Cum autem cadaver Domini Jacobi insepultum fuisset, infiniti de Civitate parvuli se levaverunt, & cum laqueo existente ad gulam ejus, pro ut fuerat appensus, ipsum per totam Civitatem vituperosè traxerunt. Postea illud ad terralios sepelierunt, & sic sepultum per tres dies dimiserunt. Quibus elapsis, cum fama divulgaretur, quod Dæmones ipsum corpus observabant, ipsi pueri illud à sepulcro avulserunt, denuoque dicto laqueo illud trahentes per Civitatem, & demum ex Ponte in flumine Arni projecerunt, quod amplius à nullo visum fuit. Creditur enim corpus cum anima à dictis Dæmonibus deportatum fuisse. Laurentius prædictus multis diebus Populo ad ejus domum in auxilio concurrenti expensas cibarias publicè & abundanter fecit. Et jam multæ gentes veniebant à diversis locis in auxilium horum proditorum pro occupanda Urbe, quæ sentientes proditionem non habuisse locum, retrocesserunt. Hoc sentientes Bononienses, Veneti, & Illustrissimi Duces Mediolani, gentes subito miserunt in auxilium Laurentii Medici. Sed quia Civitas pacata est, & in ea nullus remansit ex adversariis suis, & complicibus dicti tradimenti, ulterius gentes ipsæ non progresserunt.

Summus autem Pontifex hæc gesta in favorem Laurentii Medici ægrè ferens, & maximè ob detentionem Cardinalis Nepotis sui, & ob mortem dicti Archiepiscopi, spoliavit bancha omnia Florentinorum existentia Romæ pecuniis eorum, & idem fecit Rex Ferdinandus in Civitate Neapolis. Romani autem maximè benivoli dicti Laurentii permolestum habuerunt id gestum Summi Pontificis, & tota Urbs sublevata erat in tantum, quod Pontifex se reduxit in Castro Sancti Angeli. Postmodum interdixit Civitatem Florentiæ, cui bellum indixit, & præparavit, ut infra dicetur.

Eodem anno 1478. de mense Junii Comes Ludovicus de Valeriis Mediolani relegatus, ægrè ferens talem relegationem, à qua semel liberatus fuerat, sed ob ejus demerita in eadem reversus fuerat, pro ut supra narratum est, culpam inferens Domino Gubernatori, quod causa fuerat talis reversionis, & jam solverat ratam sibi taxatam pro restitutione saccomani Rubeorum, accusavit dictum Gubernatorem, quod liberaverat Lazarum Fulchinum unum ex conspiratoribus contra eum, receptis ab eo trecentis aureis, ei etiam adscribens, quod in quibusdam aliis aberraverat, ad hoc etiam persuasus à Domino Johanne de Scipiono fautore trium Squadrarum. Ut autem Illustrissimi Domini Duces Mediolani negotii hujus veritatem dignoscerent, vocaverunt Mediolanum Sebastianum Bergonzium, qui causabatur dictos aureos persolvisse, & nonnullos alios Cives. Quibus examinatis, repertum est ipsum Gubernatorem esse insontem. Qua ex causa sub colore mittendi dictum Dominum Johannem de Scipiono in Castris Florentinis, quæ parabantur, ipsum venire fecerunt in Terra Burgi Sancti Domnini patria sua, ea tantum intentione, quod amplius non ingrederetur in Consilio Status ob ejus partialitates, & expressas temeritates. Qui videns se privatum tanto honore, ægrotavit multis diebus, & vix vitam evasit. Et jam gentibus Ducalibus transeuntibus Alpes versus Florentiam, ipse, & Dominus Johannes Jacobus de Triultio alius ex Consiliariis Status Mediolani, præfectus fuit dictis gentibus. Et cum postea essent in Civitate Cortonæ Tusciæ, iterum recidit in ægrotatione, vitamque ibi finivit vigesimo quinto Julii anni prædicti 1478. Et hoc fuit aliud divinum judicium, quia semper indebitè faverat dictis tribus Squadris, prohibendo justitiam fieri, & erat ipsarum trium Squadrarum columna & protectio, cujus mortem deploraverunt cum amaritudine. Uxor ejus post eum decessit, & Dominus Nicolaus frater suus in conflictu Januensi à quodam rustico decapitatus fuit, & sic domus sua præcipitavit.

Eodem anno 1478. de mense Junii, quoniam præfatus Dominus Jacobus Bonarellus Parmæ Gubernator, quem tres Squadræ omni via nitebantur amoveri à Parma, se optimè gesserat in dicta gubernatione, prout ex superius narratis intelligitur, Domini Ducissa, & Dux Mediolani pro aliqua remuneratione ejus scripserunt Antianis Parmæ, quod eidem providerent de aliquo dono, pro ut aliis suis præcessoribus provisum extiterat. Qui Antiani facto inter eos partito cum fabis & fasolis, sibi condonaverunt de intratis Communis libras mille quatuor centum Imperialium. Nam donaverant Domino Tristano Sfortiæ Ducatos trecentum, qui in hac Civitate nihil profecerat. Ideo huic sancto homini visum fuit æquum in pluri condonare, quod assecutus non fuisset, si repertus fuisset in barattariis, eidem ut supra adscriptis.

Fuit hoc tempore mirum in agro Mantuano. Apparuerunt ibidem per multos dies locustæ comedentes herbas, fructus, uvas, & alia virentia in tanto numero, quod occupabant versus Brixiam per milliaria triginta in longitudine, & in latitudine per milliaria quatuor. Nam & ova faciebant in terra, ex quibus si quis ea cum terra vel pulvere fricabat in manibus, subito oriebantur locustæ, alias *cavallette*. Etenim hoc fuit præsagium aliquod mali venturi in illis partibus. Ad quas expellendas Dominus Marchio Mantuæ Ludovicus deputavit cum salario infinitas personas, qui illas cum perticis longis in quibus ad punctam aliquid ligabant manipulorum, occidebant, post quarum discessum orta est in Mantua acerba contagio, quæ multis diebus viguit illic. Eoque mense Junii ex hoc seculo migravit dictus Dominus Marchio, in cujus locum successit Dominus Federicus ejus primogenitus.

Hoc etiam mense Junii aliud mirabile apparuit in Civitate Placentiæ. Nam sepultus fuit in Ecclesia Sancti Francisci dictæ Civitatis quidam Civis nomine Franciscus de Pizicardis, maximus & crudelis usurarius à multis exosus, & sepultus fuit cum veste beretina, & cordono Sancti Francisci, in eaque Ecclesia receptus nulla facta usurarum restitutione. Cum pluvia foret ingens, & continua per multos dies, orta est fama in Populo, quod dicta pluvia numquam cessaret, donec corpus dicti usurarii esset in sacrato. Pueri Civitatis quasi omnes, dicto corpore ab Episcopo requisito, eoque recusante velle dare, iverunt simul uniti ad dictam Ecclesiam, portas dejecerunt, ipsumque corpus ex sepulcro avulserunt, & dicto cordono, quo cinctus erat, appenso ad collum, illud per plateas, vicos, contratas Civitatis, & per totam ipsam Civitatem traxerunt, projectæque sunt in plateis per quemdam ab defuncto extortum tres

tres caviciæ, sive capistri ante dictos pueros, cum quibus rupto cordono illud possent melius trahere. Cumque applicuissent ante ostium cujusdam pauperculæ Viduæ, & vetulæ, hæc cum una stanga exivit domum, caput mortui cum ea pluries percutiendo, & dicendo: *rendimi le mie ove*: hæc enim vetula habuerat ab eodem unum ducatum ad usuram, pro quo singulo die dabat de interesse sive usura ova duo recentia. Tamdem ductus fuit extra Civitatem, & appensus per gulam ad quamdam salicem, postea dejectus in flumine Padi. Et fuit mirabile, quod illico pluvia cessavit.

In medio mense Junii prædicti Dominus Antonius de Tricio Orator Regis Ferdinandi, qui multis diebus steterat Mediolani, ubi etiam fuerant Oratores Regis Franciæ, Venetorum, Florentinorum, & Ducis Ferrariæ, tentaveratque, quod Domina Ducissa, & Dux Mediolani se dissolverent à colligatione Florentinorum, quibus ipse Rex Ferdinandus, & Summus Pontifex guerram minabantur ob gesta per eos, de quibus supra dictum est: cum talis dissolutio locum non posset habere, discessit à Mediolano, & caballarios, qui pro dicto Rege habebant postas in Lombardia, levavit, dixitque, ipsum Regem Status Mediolani hac de causa fore inimicum. Tunc autem multæ gentes armigeræ tam equestres quam pedestres missæ sunt à Statu Mediolani Florentiam in auxilio Florentinorum, quibus gentibus præfecti sunt, ut supra diximus, Dominus Johannes de Scipiono, & Dominus Johannes Jacobus de Triultio. Tunc dictus Rex perquisivit omnem viam quam potuit, ut Statum Mediolani subverteret, & ruinaret, immemor beneficiorum receptorum à quondam Duce Francisco, cujus favore in morte Regis Alphonsi obtinuit, & defensavit Regnum Neapolis, in quo intraverat Dux Johannes natus Regis Renati, & immemor parentelæ, & affinitatis dicti Domini Ducis parvi.

Eodem anno 1478. circa finem Junii Dominus Prosper Adurnus Januensis, qui deputatus fuerat Gubernator Januæ pro Statu Mediolani, instigatione dicti Regis Ferdinandi, receptis in portu Galêis sex, & tribus navibus grossis armatis dicti Regis, se rebellavit Dominis Ducibus Mediolani, nulla extante legitima causa, & totam Civitatem commovit ad arma nomine dicti Regis, illamque occupavit, portasque munivit, & omnia fortilitia, exceptis Castelletto, Lucullo, Castellatio, & Sancto Francisco, quæ firma remanserunt & munita pro Statu Mediolani, in eaque Civitate venit Dominus Julius Neapolitanus nomine dicti Regis, ac etiam Dominus Ludovicus de Campo Fregosio, & Dominus Johannes Aloysius de Flisco, qui expulsi fuerant à quondam Duce Galeaz. Officiales vero, qui erant ibi, se reduxerunt, & vix salvi, in Castelletto una cum Domino Episcopo Cumano illic existente pro Statu Mediolani, ut Civitas in fide remaneret, qui Officiales erant hi, videlicet: Dominus Nicodemus de Pontremulo consocius dicti Domini Prosperi ex Ducalibus Consiliariis Secretis eidem adjunctus, ut Cives Januenses in pace melius remanerent, quorum multi erant ex principalioribus ipsi Domino Prospero inimicantes, & ægrè ferentes ipsum, ut Civem, aliis Civibus prædominari: ac etiam ibi aderat pro Commissario, & Potestate Dominus Johannes Calzavacca Miles, & Doctor Parmensis, unus ex saccomanatis de Squadra Rubea, & qui paucis diebus ante hanc insperatam novitatem, dum una cum dicto Domino Prospero spatiaretur per Urbem, clamantibus multis, ut est moris in Civitate illa: *Adurno, senza la bissa*, quod erat dicere: Fiat Dominus Prosper Dux Januæ, expulso Duce Mediolani: quod audiens dictus Dominus Johannes Calzavacca, hos duos appendi fecit ad Palatium per gulam.

Facta dicta invasione, & occupatione Urbis Januæ, ut præfertur, postea de mense Julii secuto dicti anni 1478. Dominus Robertus ex Sancto Severino, qui in Civitate Asti aderat, & multis mensibus ibidem resederat, ut armigeros ad sua stipendia conduceret, audita novitate Januæ, ad hoc persuasus à dicto Domino Prospero Adurno, clam, & noctis tempore ex dicta Civitate Asti discessit cum peditibus centum vel circa, & Januam est ingressus, ut coadjuvaret dictum Dominum Prosperum, & consocios, noceretque Statui Mediolani sibi infesto. Ad quam Civitatem Januæ defendendam, & pro Statu Mediolani retinendam, missæ sunt innumerabiles personæ ex toto dominio Ducali fere ad numerum personarum viginti millium, inter quas aderat tota familia Ducalis, ac multi Svizari, quibus hi fuere præfecti, Comes Petrus de Verme, Sforcia naturalis, Dominus Petrus Franciscus Vicecomes, Comes Borella, & ZamPetrus Brigamini, secum adducentes spingardas, & munitiones in magno numero. In Castelletto autem aderant ad defensionem pro Statu Mediolani sexcenti provisionati optime armati.

Circa principium dicti mensis Julii Dominus Gubernator Parmæ videns muraleam ab antiquo factam circum circa Plateam Communis Parmæ esse in multis locis diruptam, ruinosam, & veterem, ac portas ejusdem diruptas, & non posse reserari, intelligensque quod in tumultibus ortis hactenus in Parma semper Platea ipsa capiebatur, & capiens victor remanebat, & ut Officiales intra eam existentes, & amici Status in omni adventu forent securiores, ordinavit, & sic principiatum fuit, ipsam muraleam fortificari, alzari, reparari, & portas cum portellis ferratas fieri, adeo quod claudi poterant, & reserari tam de die, quam de nocte, & ad portonos desuper fieri fecit guardiam, ex qua ipsi portoni possent defendi cum spingardis, & ballistis; fecitque ultra Pontem in capite Pontis prope flumen Parmæ murum veterem bassum, & in tempore Saccomani Rubeorum pro parte demolitum reædificari, fortificari, & alzari pro tuitione Civitatis. Et quia quando Citadella vetus de Porta nova cum via coperta, qua ibatur ad primum Pontem transeuntem in Capite Pontis, Turres dicti Pontis fortissimæ, quæ erant altera citra, & altera ultra ipsum Pontem, demolitæ fuerant ob constructionem alterius novæ Cittadellæ in Capite Pontis, ipse Dominus Gubernator aliquantulum erigi fecit, fortificarique ipsas Turres, & eis portas fieri clusorias, ad hoc ne in tempore tumultuum illi de Capite Pontis, baptizati *li Svizari*, possent citra ipsum Pontem transire: quæ quidem ædificia, antequam explerentur, duraverunt in eorum constructione à dicto mense Julii usque ad Natale exinde secutum. Quod quidem summe displicuit tribus Squadris, & super ea constructione deputati sunt quatuor Cives, unus pro singula Squadra, nec non Dominus Zaninus Barbatus

batus Officialis Bullettarum, homo solicitus, & expensa facta fuit de denariis Communis, exactis per dictum Officialem à debitoribus veteribus, retrogradis, & difficilibus in exigendo.

Eodem anno 1478. die penultimo Julii, Dominus Jacobus Bonarellus Gubernator Parmæ protector justorum ac oppressor malorum, cum facta fuisset Crida in toto Dominio Ducali, quod nullus auderet stipendium assumere extra Dominium Ducale, invenissetque quemdam armigerum de Casula de Squadra Pallavicina stipendium accepisse à Domino Roberto ex Sancto Severino, & quærentem alios armigeros deviare, ipsum capi, & tormentari fecit, ac in pleno Populo hora Tertiarum dicti diei appendi per gulam ad fenestras Palatii Communis Parmæ, eoque sic appenso sonavit arenga, ut fit proditoribus & rebellibus.

In fine dicti mensis Julii cum transiret per Civitatem Parmæ Comes Ugo de Sancto Severino Ducalis armorum ductor cum duabus Squadris armigerorum iturus Florentiam, quidam Teutonicus Staferius suus agilis ascendit Turrim Communis Parmæ, & capitelium ultimum, ubi est bandirola, absque aliqua scala, aut alio adjutorio, seditque super dicta bandirola, eam circum circa ducens, postea desuper se tornavit erectis ambobus pedibus in aërem. Exinde autem descendit, receptis à dicto Comite dono aureis tribus, ad quod videndum & admirandum multus adsuit Populus in plateis Parmæ.

In auxilium Florentinorum expectantium de die in diem exercitum in agro Florentino, Papæ, & Regis Ferdinandi, missæ sunt à Dominis Ducibus Mediolani Florentiam Squadræ armigerorum Ducalium bene ordinatarum numero viginti octo, ac multi pedites transeuntes partim per Civitatem Parmæ, & per Alpes Bononiæ, & partim per Alpes Berceti, & Pontremuli, ruptaque fuit, & principiata guerra in agro Florentino per gentes Summi Pontificis, & dicti Regis die XXV. Julii dicti anni 1478.

Dum paratus foret exercitus Status Mediolani equestrium & pedestrium personarum viginti millium, de quo supra narratum est, pro succurrendo, & invadendo Civitatem Januæ, in fine dicti mensis Julii 1478. gentes ipsæ transiverunt per Vallem Ponzeveræ, nemine obstante, deinde ulterius procedentes expugnaverunt in Alpibus duas fortissimas Bastias ad oppositum per Januenses erectas, & bene munitas, eas solo æquantes. Tertia restabat Bastia ad expugnandum, ut eâ obtentâ eis iter pateret expeditus ad Januam. Sequentes victoriam, & audaciores factæ, ullo sine dubio tertiam positam in loco dicto *il Monte di dui Frati*, credentes obtinere, ordinatis aciebus, & insultu in ea facto, & hac quasi victa, in qua aderat Dominus Robertus de Sancto Severino, & multi pedites Januenses, deficiente cibo, & victualiis præparatis pro earum nostrarum gentium victu, quæ exercitum sequebantur, & nondum venerant, gentes nostræ ob famem, sitimque, & ob victoriam aliarum duarum Bastiarum, & ob longum iter, & finistrum montem, fessæ, & fatigatæ, sentientes rusticos illius regionis tam amicos, quam inimicos furore in eas irruêre, clamantes *carne*, *carne*, dimissa obsidione dictæ Bastiæ distantis à Janua per milliaria quinque, se se in fugam retrofugiendo dedere, & in fuga à rusticis insultati sunt, ac denudati vestibus, armis, & equis, ac omnibus munitionibus ad pugnam deputatis; denariosque in ipso exercitu missos pro una paga amiserunt. Dumque fugerent, quammulti armis se exuebant, ea in terram projiciendo, ut in fugiendo agiliores & leviores fierent. Multi capti sunt, & ducti Januam, ac positi in Galeis, & inter alios ZamPetrus Brigamini, ac Montichius facti sunt captivi dicti Domini Roberti, multique occisi sunt. Salvi retrovenerunt Terdonæ cum maximo periculo Comes Petrus de Verme, Sforcia naturalis, ac Dominus Petrus Franciscus Vicecomes, qui præerant dictis gentibus. Hæc fuit maxima perdita pro Statu Mediolani.

Rex Ferdinandus stans in proposito Florentinos subjugare, vel saltem consumere, & ne possent se juvare gentibus Venetorum cum eis colligatorum, quæ jam paratæ erant in eorum succursum, operam fecit cum Rege Hungariæ suo genero, qui passum dedit Turcis intrandi denuo, prout anno proxime curso fecerant, in Foro Julii, & sic intraverunt in principio mensis Augusti dicti anni 1478. cum equis numero sexdecim millibus obsessuri Civitatem Cividalis. Et cum ibi reperissent Comitem Carolum de Montono ad obstaculum, & dicti loci defensionem cum tribus millibus equis, & inter eos facta una scaramucia, in qua Turci pejus habuerunt, videntesque totam illam Contratam desertam ob invasionem per eosdem anno curso factam ibidem, terga dederunt, ut in Bossinam reverterentur, in quam per aliam viam reversi sunt quam per eam, per quam huc venerant, & insalutato hospite transeuntes in Alamanniam, maximam prædam hominum & bestiarum ibidem fecerunt, eam in eorum patriam redigentes.

Quo quidem mense Augusti dicti anni 1478. coram Summo Pontifice in Roma se reperierunt, ordine sic dato, Oratores Serenissimi Regis Franciæ, Illustrissimorum Dominorum Ducum Mediolani, Dominationis Venetorum, Communitatis Florentiæ, Communitatis Bononiæ, ac Ducis Ferrariæ, omnium Colligatorum, requirentes primo à dicto Pontifice parte Dominorum suorum vindictam fieri contra Cardinalem Nepotem suum, & Comitem Hieronymum etiam ejus Pontificis Nepotem pro gestis per eos, & eorum opera contra Florentinos, & petentes ipsum Pontificem desistere à cœptis per eum in mittendo gentes suas armigeras in agro Florentino, comminando Oratores dicti Regis Franciæ, & offerendo Regem ipsum pro defensione Reipublicæ Florentinæ expenditurum usque ad propriam Coronam. Quod facere renuit idem Pontifex, immo respondit, quod dicti ejus Nepotes nullam habebant culpam, & quod Florentini incurrerant Censuras Ecclesiasticas propter occisionem Archiepiscopi Pisarum, & detentionem dicti Cardinalis, & ob hoc eos volebat punire. Tunc dicti Oratores videntes cor Pharaonis induratum, citaverunt ipsum Pontificem ad Concilium in Civitatem Leonis ultra montes in Gallia infra mensem cum dimidio. Et renuens Pontifex ad ipsum Concilium accedere, comminati sunt eidem, quod dicti Domini, & Communitates Ligæ prætactæ sibi acciperent obedientiam & reverentiam; ac etiam adiverunt omnes Prælatos existentes in Curia Romana habentes beneficia, vel digni-

gnitates in Terris dictæ Colligationis tam citra quam ultra montes, ad faciendam residentiam personalem in locis dignitatum & beneficiorum suorum infra mensem, sub pœna quod non gauderent eorum intratis. Unde ipsi Oratores recesserunt à Roma, & quilibet reversus est ad suum Dominum. Multi enim Ecclesiastici discesserunt à Curia Romana. Dictus vero Pontifex sentiens multas gentes jam ventas, & in dies venire in favorem Florentinorum, ipsos Florentinos, & quoscunque auxiliatores eorum excommunicavit, a qua excommunicatione ipsi Florentini appellaverunt ad dictum Concilium, & ea non obstante celebrarunt, & alia divina officia fecerunt, pro ut antea fecerant.

De dicto mense Augusti post prædicta Reverendus Dominus Sacramorus de Arimino Episcopus Parmæ, qui stabat Romæ pro Oratore Ducali, discessit à Curia Romana, vocatus à Dominis Ducibus Mediolani, pro observatione monitionis factæ, ut in alio capitulo dictum est, & venit in Civitate Parmæ, ubi benigne cum solita processione receptus fuit, qui immediate se adhæsit tribus Squadris, ut de parte Gibellina, & eisdem favere incœpit ultra modum, à quibus quotidie visitabatur, associabatur, & præsentabatur, & adeo quod visus est protector, & caput ipsarum trium Squadrarum. Nam dum Johannes Pellicia, de quo supra in alio anno facta extitit mentio, non auderet in Civitate Parmæ commorari ob ejus demerita, & ob periculum laquei, quod vix effugerat, reversus est in Civitate favore dicti Episcopi, exemplo cujus multi alii capistri venere.

Postea de mense Septembris dicti anni 1478. Serenissimus Rex Franciæ confirmavit Illustrissimum Dominum Ducem Mediolani in Ducatu Januæ, & Savonæ, quas ab eo tenebat in feudo, ac denuo confirmavit ligam cum Statu Mediolani.

Missi sunt hoc eodem mense Septembris in Civitate Parmæ à Mediolano centum provisionati pro custodia Civitatis, & Domini Gubernatoris, ultra eos alios centum, qui ibi firmiter stabant. Nam ob devotionem, quam hæ tres Squadræ habebant in Dominum Robertum, valde de aliqua eorum proditione timebatur.

Eoque mense Septembris pedites dicti Domini Roberti cum Aragonensibus, sive Catalanis, qui descenderant ex galêis, & erant in Janua, multis vicibus cœperunt scaramucias cum provisionatis existentibus in Castelletto pro Ducali Statu, & semper pedites Ducales obtinuerunt; unoque die dum dictus Dominus Robertus vellet expugnare dictum Castellettum, ordinatis pluribus aciebus gentis suæ Aragonensibus, præparatis multis spingardis, & ballistariis, hoc sentientes provisionati Castri, & fingentes nihil de hoc perpendere, ordinatis secrete suis aciebus optime armatis, ac spingardis, & bombardellis infinitis, cum prima acies, quæ fuit Aragonensium, cœpit insultare Castellettum, illi de Castelletto exiverunt Castrum, & dato igne bombardellis, & spingardis ad oppositum ordinatis, omnes dati sunt in fugam, plurimi mortui sunt, qui fuerunt ad numerum ex Aragonensibus forte trecenti, multique capti sunt, & insecuti à provisionatis Ducalibus usque ad plateam Januæ cum maxima nostrorum victoria. A quo tempore citra singulo die dicti provisionati

A Ducales exibant Castelletum, & intimos male tractabant, ibantque ad macella, & sumebant de carnibus, quas solvebant in contantis, postea redibant in Castelletto, multosque Cives capiebant, à quibus nil aliud quærebant quam vinum, carnes, oleum, vel similia, & his habitis, quidquid habuerant, solvebant. Continuoque tam de die, quam de nocte Castellanus cum mortario jaciebat in Civitate lapides, qui quasi totam Civitatem in tectos domorum devastabant. Misitque Rex Ferdinandus unam Bronzinam maximam cum bombarderio, qui multis vicibus jecit in muris Castelletti, parum, vel nil offendendo, & una die dum vellet ignem ipsi Bronzinæ imponere,

B Bombarderius cum una spingarda occidit dictum Bombarderium Aragonensem, & alia die cum sua bombarda rupit dictam Bronzinam Regis Ferdinandi. Maximus ob hæc erat terror in Janua; undique à populo maxime à mercatoribus, & artistis clamabatur. Multi à dicto mortario sunt ex improviso occisi. Nullus mercator ausus est merces suas in publico tenere, nec extra Civitatem ire. Multi in dies deprædabantur, & Janua non Civitas, sed latronum spelunca videbatur. Fertur domos devastatas esse in numero mille viginti quatuor.

Dominus Objectus de Flisco cum nepote suo, qui in Castro Mediolani detinebatur, ut

C se tamdem liberaret à dicta detentione, multa pollicitus est Dominæ Ducissæ, maxime quod si foret in Civitate Januæ cum partialibus & amicis suis, expelleret ex ea Dominum Robertum, & gentes Aragonenses, ipsamque Januam teneret in fide pro Statu Mediolani! Sed multum conquerebatur, quod indebite sic detinebatur; ductoque in Mediolano Donato Comitis carcerato in furno Modoëtiæ, ipse Donatus sibi in faciem dixit, ac probavit proditionem, quam insimul fecerant cum Domino Roberto contra dictum Statum: quod audiens ipse Dominus Objectus, veniam petiit, ac jure jurando affirmavit, se omni tempore fore fidum huic Statui, & iturum Ja-

D nuam, ut cum favore amicorum suorum expelleret Dominum Robertum, & consocios; sibique promisit Domina Ducissa, si hoc exequeretur, eidem reddere Burgum Vallis Tari, & omnia fortilicia, quæ fuerant sua, ac primum Episcopatum vacaturum in dominio Ducali eidem conferre. His omnibus hinc inde factis pollicitationibus, ipse Dominus Objectus perrexit in Civitatem Januæ, cum dicto Domino Roberto sæpius colloquium, & intelligentiam habuit, nihil juratum, promissumve more Januensi observavit.

Dominus Johannes Aloysius de Flisco frater suprascripti Domini Objecti de dicto mense Septembris cum auxilio amicorum suorum posuit castra ad Terram Varisii Januensis Diœ-

E cesis, quæ possidebatur à Comite Manfredo de Lando nobile Placentino, & quæ fuerat illorum de Flisco ab antiquo, & tamdem ipsam Terram obtinuit; qua obtenta, & munita suo nomine, collectis quot ex amicis suis potuit, ivit Januam in succursum Domini Roberti, ubi cum eo intelligentiam habuit, comminando imponere castra ad Burgum Vallis Tari.

Illustris Dominus Hercules Estensis Dux Ferrariæ de dicto mense Septembris anni 1478. creatus fuit in Civitate Ferrariæ ab Oratoribus totius Ligæ Mediolani, Venetorum, & Florentinorum Capitaneus Generalis ipsius Ligæ

Ligæ pro annis duobus cum provisione Ducatorum sexaginta millium auri singulo anno; baculumque dicti Capitaneatus cum vexillo suscepit, ivitque Florentiam in exercitu Florentinorum contra gentes Pontificis, & Regis Ferdinandi, quæ jam castrametabantur Castellinæ in agro Florentino existente ad confinia versus Senas, non obstante quod ipse Dux Hercules foret gener dicti Regis, secumque duxit mille equos, & pedites multos.

Bannitis de tribus Squadris quotidie aliquid molientibus contra Gubernatorem Parmæ, Domini Duces Mediolani deliberaverunt eis facere gratiam tam vitæ, quam confiscationis bonorum, ad hunc finem quod non possent se unire pro aliquo deliberando, aut ordinando, maxime eis residentibus in Terra Corrigiæ. Et hoc pacto ipsis gratiam fecerunt, scilicet quod venirent in dominio Ducali habitatum, excepto quod in Parma, nec in Parmensi possent accedere, & unus ab alio staret separatus in Civitatibus, & Terris pro confinio unicuique eorum assignandis, à quibus non possent discedere sine licentia Principum. Et quod bona eorum congauderent. Quam quidem gratiam hoc modo acceptare noluerunt, & ut antea exules manserunt, & jam literæ superinde ordinatæ fuerant de mense Septembris dicti anni 1478.

Timentes Domini Duces Mediolani, ne Dominus Robertus ex Sancto Severino, qui erat Januæ, veniret in partibus Terdonæ, deputaverunt Comitem Marsilium Torellum in Gubernatorem partium Terdonensium, Alexandrinarum, & totius illius Regionis versus Januam, cum amplissima potestate, & satis notabili comitiva peditum, cum quibus optime se gessit in illis partibus pro Statu Mediolani. Et hoc fuit de mense Septembris dicti anni 1478.

Minantibus Nobilibus de Flisco velle ponere castra Pontremuli, & Burgi Vallis Tari, quæ ad se spectare dicebant, de dicto mense Septembris electus fuit pro Gubernatore Pontremuli, & totius Lunesanæ pro Statu Mediolani Magnificus Miles, & Comes Dominus Guido Rubeus, qui cum amplissima commissione, & potestate, ac cum multis peditibus suis accessit Pontremulum, & optimam curam habuit dictarum partium, in quibus multum notabiliter, & cum benevolentia Nobilium, & aliorum de ipsis Contratis se gessit, cepitque una nocte quendam de Nola ferocissimum armigerum dicti Domini Roberti cum uno curserio pretii ducatorum ducentorum, & cum multis aureis, cepissetque Dominum Georgium filium dicti Domini Roberti allogiatum in Castro Petræ Sanctæ una nocte, nisi proditus fuisset à quibusdam rusticis illius regionis, qui notitiam fecerunt ipsi Domino Georgio.

Eodem anno 1478. de mense Octobris Dominus Baptistinus de Campofregosio Novarum Dominus, cujus pater fuerat Dux Januæ, nomine Dominus Perinus, tamquam amicus Status Mediolani, intravit una nocte in fortilicio Luculli desuper Castellettum Januæ cum ducentis peditibus bene armatis, ipsumque locum tam gentibus, quam victualiis munivit nomine dicti Status, & ibi stans multas quotidie faciebat praticas cum amicis suis, perquirens unire, & ad amorem Status Mediolani trahere illos de parte Oria, de parte Fregosia, de parte Grimaldorum, de parte Fli-

A scorum, & de parte Guercorum, ut auxilio eorum expelleret de Urbe Dominum Robertum, Dominum Prosperum, Dominum Julium, & alios Ferdinandiscos. Et dum hæc tractarentur, dictus Dominus Robertus appendi fecit nonnullos Cives notabiles de parte Oria, propter quod orta fuit in populo maxima divisio, deliberatumque fuit per dictas partes adhæreri dicto Domino Baptistino. Unaque die in ejus auxilio ad arma currentes, male tractarunt illos Domini Roberti. Dominus vero Objectus stabat de medio, & potius favebat Aragonensibus, & Domino Roberto, & Prospero, quam Domino Baptistino.

B De mense prædicto Octobris anni 1478. ex revelatione Facendæ filii naturalis dicti Domini Roberti, per literas Ducales Dominus Gubernator Parmæ capi & detineri fecit infrascriptos Cives Parmæ de tribus Squadris, quos valde curlari fecit, imputatos tractatum & colloquium habuisse de capiendo unam Portam Civitatis, videlicet de Bononia, & per illam introducendi Bannitos, & Civitatem ad arma commovendi. Qui sunt, hi videlicet, Hector de Grandis gener Conestabilis dictæ Portæ, Matthæus Pitocus mulinarius, Augustinus de Ferrariis, omnes tres de Squadra Sanctivitalis, Johannes Jacobus de Arzono, Dionysius de Gonzate, Petrus de Pegorariis fornarius; ipsi tres de Squadra Pallavicina.

C Marcus de Pezallis, quidam famulus Domini Johannis Francisci Cantelli, & quidam Mariscalcus de Columnio, ipsi tres de Squadra Corrigiensi. Pro quorum defensione tres Squadræ miserunt Mediolanum quatuor Oratores, qui ob imminentes guerras motas, cum nunc non videretur congruum tempus justitiæ, obtinuerunt gratiam ipsorum omnium, salvo quod Hectoris, qui ut caput hujus proditionis pœnas luit pro omnibus, ut infra dicetur.

Hoc enim mense Octobris transiverunt per Civitatem Parmæ equites quingenti, & trecenti pedites Domini Marchionis Mantuæ bene

D armati, quorum ductor, & caput erat Dominus Franciscus Siccus, iveruntque ad Terram Burgi Vallis Tari pro guardia ejusdem nomine Status Mediolani, fueruntque de ipsa Terra ex suspectis levati viginti quatuor ex principalioribus, & relegati in aliis Terris Ducatus Mediolani, quoniam multum amicabantur illis de Flisco, qui obtento Varisio minabantur ponere castra dicto Burgo.

Viguit hoc tempore in Castris Regis Ferdinandi, & Florentinorum maxima pestis, quæ primo incœpit in castris dicti Regis, & mortuæ sunt in utroque exercitu innumerabiles gentes, in quo exercitu Florentinorum iverunt quammulti pedites de Pedemonte, &

E de Svizaris, viguitque pestis Bononiæ, Romæ, Venetiis, Mantuæ, Mutinæ, Brixiæ, Pergami, & in Romandiola.

Quoniam Dux Hercules Estensis Capitaneus generalis dictæ Ligæ suscepit baculum dicti Capitaneatus, ac in Castris Florentinis animose intravit, Rex Ferdinandus Socer ejus id ægre ferens, expulit de Civitate Neapolis Dominum Albertum Estensem fratrem suum, ibidem relegatum, credens ipsum iturum Ferrariam, ut Populum faceret insurgere sibi amicissimum contra dictum Ducem, eumque recedere cogeret à tali impresa, & dignitate Capitaneatus. Sed spes sua eum fefellit. Nam hic

hic recto tramite accessit ad dictum Herculem in castris Florentinis, qui ab eo benigne visus fuit, & contentus remansit relegari Florentiæ, quod actum est.

Hi duo exercitus permaximi fuerunt; sed exercitus Regis simul cum exercitu Papæ fuit major in numero equorum, minor vero peditum. In castris dicti Regis affuerunt Squadræ equorum belligeratorum numero centum novem, conficientes equos numero octo mille, & peditum numerus quatuor millium. In castris Florentinis fuerunt squadræ equorum belligeratorum nonaginta quatuor, conficientes numerum equorum septem millium; peditum vero numerus sex millium. In quibus castris dicti Regis hi fuerunt præsidentes, ductores, & Squadrerii: videlicet, Dux Calabriæ, primogenitus Regis crudelissimus: Donus Federicus frater ejus: Dux Urbini, Generalis Capitaneus: Dominus Robertus de Arimino: Dominus Constantius Sfortia de Pisauro: Dominus Ursius de Ursinis miles Ursinus: Dominus Jordanus Ursinus: Dominus Matthæus de Capua: Dominus Camerini: Dominus Bernardinus Comes de Montono: Franciscus Torellus, & nonnulli alii. In castris vero Florentinis hi fuerunt, videlicet: Dominus Hercules Dux Ferrariæ generalis Capitaneus: Dominus Sigismundus Estensis: Dominus Marcus de Piis: Dominus Talianus de Piis: Dominus Johannes Jacobus de Trivultio: Dominus Albertus Vicecomes: Dominus Gallaottus de la Mirandula: Christophorus, & Ruffinus de Smeraldis de Parma: Johannes de la Giarolla: Comes Ugo ex Sancto Severino: Comes Guido Torellus: Dominus Laurentius de Quarteriis: Johannes Quilicus de Sancto Vitali: Comes Petrus de Gambara: Franciscus de Cillano: Dominus Johannes Baptista de Montono: Gibertus de Corrigia: Dominus Gallaotus de Faventia: Marchio Montis Florentinus: Comes de Pitiano: Jacobus de la Motella: Jacobus de la Saxeta: Comes Rizardus Brocardus: Bernardinus de Civitate Castelli: Domini Rodulphus, & Franciscus de Gonzaga: Duo filii Domini Roberti de Sancto Severino, ac etiam multi alii. Exercitus Florentinorum stetit super Monte Imperiali, spatio mensium trium, cum maximo sinistro, & in uno mense mortui sunt forte in eo duo mille personæ ex peste, & contagione. Multo plures mortui sunt in castris dicti Regis. Nam nullus erat cumulus letaminis, in quo non foret cadaver aliquod sive hominis, sive equi sepultum. Maximus inibi erat pro dicta causa fœtor, etiam propter stercora tanti exercitus. Et pro certo tempore utraque pars ibat longe ab exercitu per milliaria viginti, in quo itinere consumebatur una dies, & in reditu una altera, & continue cum maxima scorta pro stramo habendo pro equis. Ultimo ipsi duo exercitus numquam fuerunt ad manus, sed vix inter eos capiebantur aliquando nonnulli equi hinc inde, cum irent ad flumen pro equis potandis. Capta sunt infrascripta Castra Florentinorum per gentes dicti Regis, videlicet: *Rinzo*: *La Castellina*: *Rada*: *Cagnano*: *Briona*: *Monte Sansavino*: *Castellazzo*: Quæ omnia igne concremaverunt, ac saccomanaverunt, funditusque everterunt, salvo quod Castellinam, & Sansavinum.

Supervenientibus post hæc de mense Decembri nivibus, glacie, & frigore in agro Florentino, ubi erant dicti ambo exercitus, Gentes

A tam equestres, quam pedestres utriusque partis iverunt ad alloggiamenta, scilicet gentes Regis, & Papæ in territorio Senensi, & aliis Terris Ecclesiæ, munito optime dicto Castro Sansavini, & Castellina. Gentes vero Florentinorum iverunt in agro Pisano, ibi requiescituræ hac hyeme, & refecturæ equos macilentos, & infirmos. Dux vero Ferrariæ reversus est Ferrariam.

In principio mensis Novembris dicti anni 1478. cum Rocha oppidi Spediæ, quæ est in litore maris Januensis in Lunesana teneretur pro Statu Mediolani, quia homines Terræ expulerant Commissarium dicti Status, una die cum unus ex famulis Castellani dictæ arcis

B exivisset arcem, ut emeret carnes recentes à beccario, uti solitus erat, carnes ipsæ à beccario venenatæ fuerunt dormia, quibus coctis, & comestis per dictum Castellanum, & consocios, omnes dormentati sunt. Ascalata fuit, & derobata Arx ipsa, nemine ex Deputatis ad ipsam custodiam sentiente, vel vidente, quam Arcem homines de la Spedia muniverunt nomine Januensium.

Cimbri, sive Svizari, qui alias & anno proxime curso, recepta à Statu Mediolani certa quantitate aureorum, promiserant, & juraverant amplius non insurgere contra Dominos Duces Mediolani, de dicto mense Novembris absoluti, & habilitati à dicto juramento per

C Summum Pontificem, instigatione Regis Ferdinandi, studentis & invigilantis toto posse suo subvertere Statum Mediolani, iterum arma ceperunt, & in maximo numero insurrexerunt contra Bellinzonam, maximam prædam ibidem, & mortalitatem faciendo. Ad quos sedandos, & propulsandos Domini Duces Mediolani miserunt multas gentes undique ex Dominio Ducali recollectas, quibus præfectus fuit Comes Marsilius Torellus, & cum eo aderant Ambrosius de Luzagnano, Zampetrus Brigamini, Dominus Petrus Franciscus Vicecomes; Quod sentientes hi perfidissimi Teutonici, sive Svizari, retrogressi sunt in confinibus Territorii eorum.

D Die vigesimo quinto Novembris dicti anni 1478. quo erat festum Sanctæ Catharinæ, omnes amici, benivoli, & sequaces Domini Baptistini de Camposfregosio, qui erant in fortilitio Luculli, de quo supra dictum est, nolentes arma capere, nisi ipse Dominus Baptistinus haberet Castellettum Januæ in dominio suo, videntes ipsum esse in ipso Castelletto cum voluntate Dominorum Ducum Mediolani, dato signo cum bombarda omnes ad arma cucurrerunt, & ipsum Dominum Baptistinum duxerunt in Palatio solito Ducis Januæ, ipsumque elegerunt, ac constituerunt in Ducem. Deinde totam Civitatem discurrentes, ipsam Plateam, portasque Civitatis nomine dicti novi Ducis muniverunt, licentiaveruntque Dominum Prosperum, & alios Ferdinandi Regis.

E Qui Dominus Prosper hoc sentiens, cum ea omni, qua potuit, artellaria aufugit ad galêas, in una quarum dum vellet intrare, assis pontis protendens à ripa maris ad galêam decidit in mari, & vix vitam evasit, quin in aqua mergeretur. Dominus vero Robertus cum salvo conductu Domini Objecti intravit in Palatio Carignani extra & prope Civitatem, qui locus est Abbatia dicti Objecti, ipseque Dominus Baptistinus munivit Castellettum cum licentia & beneplacito Dominorum Ducum Mediolani, & cum certis pactis, & capi-

pitulis ad invicem initis. Facta sunt fallodia, & sonitus campanarum à festo in Janua, ob novum Ducem creatum, ut supra. Officiales vero, ac Dominus Christophorus Cumarum, nec non Nicolaus Albanesius cum sexcentis provisionatis, qui erant in Castelletto pro Dominis Ducibus Mediolani recesserunt, & venerunt in Civitate Mediolani; dictusque Dominus Objectus, qui ad hoc habuit intelligentiam cum præfato Domino Baptistino, fulcivit, & in sua potestate retinuit Lucullum. Ad quod sic fiendum inducta est Domina Ducissa Mediolani, cum aliter non posset retinere Castellettum jam victualiis exhaustum, nec ei succurrere poterat.

Anno prædicto 1478. die primo Decembris in hora tertiarum Magnificus Dominus Jacobus Bonarellus Ducalis Gubernator Parmæ, facto debito processu, in publico, & populo spectante, appendi fecit per gulam ad colonellos Palatii Communis Hectorem de Grandis detentum, ut supra narratum est, ob tradimentum tractatum cum Bannitis. Hic enim confessus est, se locutum fuisse cum aliquibus ex dictis Bannitis tam in Villa Lentesoni ultra Hentiam, quam in Civitate Mutinæ, de dando eisdem Bannitis Portam Civitatis Parmæ, nuncupatam de Bononia, in nocte Sancti Francisci quarto Octobris proxime cursi, hoc modo. Nam ipse Hector habebat in uxorem unam neptem uxoris Conestabilis dictæ Portæ, qui erat de Orta Civitate Marchiæ, & ab eo multum diligebatur, & de eo confidebat. Cum dormiret, volebat cum tenaliis aperire pontem extrinsecum dictæ Portæ, & per eum introducere dictos Bannitos, qui intrantes Civitatem, adjuti à quibusdam Civibus, maxime ab olim detentis, & liberatis, de quibus supra dictum est, debebant per Civitatem discurrere, clamare *Ruberto, Ruberto*; & cum eis esse debebat Facenda filius naturalis Domini Roberti, irritare tres Squadras ad arma, Palatium Gubernatoris invadere, ipsum occidere, Civitatem occupare, & Rubeos maletractare. In cujus rei præmium Dominus Borsius de Corrigia eidem donare debebat mille ducatos auri, & unam pulchram possessionem in Territorio Corrigiæ. Sed quia antea fuerant detenti nonnulli suspecti hujus proditionis, maxime dictus Pitocus Mulinarius, hic Hector aufugerat, ob quam fugam reversus postea non ita practicabat ad dictam Portam, prout antea. Et sic non potuit tractatum complere. In cujus, & aliorum consociorum suorum captione multi alii aufugerunt, qui habiti sunt suspecti rei hujus, & inter alios Johannes Antonius Bernerius, qui numquam sunt in Urbem reversi, donec aliis detentis facta fuit gratia.

Cum Comes Marsilius Torellus cum gentibus Status Mediolani hoc mense Decembris missus fuisset ad Terram Bellinzonæ pro expellendis Svizaris, ipsi Svizari reversi sunt in partibus suis, quos cum insequeretur, captis multis bestiaminibus per nostros illarum partium, insurrexerunt nonnulli rustici Svizari, qui nostros & prædam insequentes, nedum prædam, & bestiamina recuperaverunt, verum etiam quammultos pedites Ducales occiderunt, & alios in fugam dederunt, victores remanentes. Et mirum fuit, quod nullus ex nostris ausus est se volvere, sed in fugam dati reversi sunt Mediolanum.

Eodemque mense Decembris, dum Gentes Ducales vacarent circa Bellinzonam, Domi-

A nus Robertus ex Sancto Severino, qui erat prope Januam in Carignano, venit una cum Domino Objecto ad Terram de Chiavaro prope litus maris Januensis versus Lunesanam, cum paucis tamen gentibus, ut ibi pro hac hyeme quiesceret, multa tamen comminans, & maxime de ponendo castra Pontremuli, pro cujus defensione Domini Duces Mediolani illuc miserunt multos pedites, multasque munitiones, regimen cujus loci & partium illarum commissum erat Magnifico Domino Guidoni Rubeo, tamquam hujus Status fidissimo.

Die 28. Decembris anni prædicti transiverunt per Civitatem Parmæ trecentum pedites bene armati ex gentibus Domini Ducis Ferrariæ, qui transiverunt Alpes Berceti, & iverunt Pontremulum, ob guerram minatam Do-
B mini Roberti, & qui dicebatur jam habere in exercitu suo quinque mille pedites.

Qua etiam die apparuit in Civitate Parmæ quoddam designum missum à partibus Græciæ, scilicet Constantinopolis, pictum, unius Cometæ, quæ dicebatur apparuisse illis in partibus, & erat multum terribilis in aspectu, & judicatione, habens ad principium tres Lunas, una ad parum, sive prope alteram. Quæ de medio erat, habebat crines pallidos, & erat ambabus aliis duabus major. Aliæ vero duæ erant rubicundæ. Longitudo ejus erat in modum unius corni partim albi, & partim
C rubei, cum tribus lineis successivis corniculatis in medio, una post aliam per modicum intervallum, tenentibus album, & rubeum. Et prima erat major, aliæ duæ semper minores, & post eas quasi in calce aderat una falx sanguinolenta. De quo monstro omnes admirabantur, eratque rumor, hoc significare pestem, & mortalitatem hominum.

Tres Squadræ Parmæ simul unitæ, prout sæpius narratum est, cupientes confinatos, & bannitos de ipsis Squadris in patriam redire, nec aliam habiliorem viam videntes, quam quod prius restum taxationis pro rebus Rubeis saccomanatis persolveretur, sub ficto pacis colore, licet tot jam factæ fuissent, fautæ ab Episcopo, jamque in Parma singulo die
D prædicante venerabili, ac famosissimo Prædicatore Fratre Antonio de Vercellis Ordinis Observantiæ Sancti Francisci in Ecclesia Sancti Francisci, ordinaverunt continue prædicari de pace, tranquillitate, & concordia omnium Squadrarum Civitatis Parmæ, & superinde factis multis Prædicationibus totum Populum ad hoc hortantibus, in quibus etiam declarabatur ex sacris Scripturis bona saccomanata restitui debere, & quemcumque conscium, participem, & auxiliatorem ipsius saccomani teneri in consolidum; convocatisque Antianis, & Credentiariis, ordinatum fuit eligi duos probos Viros pro singula Squadra, qui hanc rem ventilarent, maturarent, con-
E sultarentque. Et fuerunt electi pro Squadra Rubea Dominus Johannes Andreas de Zandemariis Juris utriusque Doctor: Dominus Bartholomæus de Anselmis Physicus. Pro Squadra Ducali, sive Corrigiensi, Genesius de Nazariis, & Petrus Paulus Fulchinus. Pro Squadra Sancti Vitalis Dominus Bartholomæus de Gabriellis, & Dominus Ludovicus de Tajaferris, Doctores. Pro Squadra Pallavicina Andreas de Arzono, & Ludovicus Baldechinus. Hi multis vicibus fuerunt in colloquio ad invicem. Cum à Rubeis peteretur primo, & ante omnia satisfactio saccomani, alii re-

cusabant, hoc in medio deducentes, quod erant contenti dictum restum persolvi, sed volebant Civibus taxatis in sententia Domini Brandæ de Castiliono, qui jam solverant unam partem, scilicet libras decemseptem mille Imperialium, illis etiam eas restitui una cum expensis hoc modo, videlicet quod Illustrissimi Domini nostri mutuarent Communitati Parmæ libras quadraginta mille Imperialium, & cautionem sumerent à Communitate pro annis decem, in quibus fieret eis Dominis restitutio super dictis additionibus Communitatis Cameræ obligandis, & ex quibus posset utrique parti satisfieri, volebantque scribi per totam Communitatem, quod relegati & exules facta pace reverterentur: pro qua pace observanda volebant obligari nonnullos Cives de Squadris eorum ad certam pœnam. Quibus pro parte Rubeorum fuit responsum, quod quo ad bannitos, & confinatos non spectabat ipsis Rubeis se intromittere, cum esset negotium Status Ducalis. Quantum ad denarios mutuo à Camera petendos, hoc etiam durum, & difficile erat, cum Domini Duces essent undique guerris circumdati, & expensis frustrati, ac etiam quod ipsi Domini Duces nollent expectare per decennium, quodque etiam non erat opus alia pace, cum jam tot factæ fuerint, quæ per ipsas tres Squadras minime fuerant observatæ. Et si pure vellent aliam pacem fieri, hoc summe eis placebat, dummodo accederet consensus Principum nostrorum, fieretque animo volente & sincero; sed duo potissimum requirebantur pro parte Rubea, quod statim fieret integra saccomani restitutio, quodque pro pace perpetuo observanda ipsæ tres Squadræ fidejuberent in Mediolano de quadraginta millibus aureis non offendendi Squadram Rubeam, nec offendi faciendi. Super quibus factæ sunt multæ collocutiones, practicæ, & consultationes per ipsas tres Squadras. Attamen nullus est adhibitus finis, etiam se interponentibus Episcopo, & Gubernatore. Cumque viderentur verba ipsa trium Squadrarum ad Ephesios & Collossenses sine ullo fundamento, superinde positum fuit silentium, nec ulterius super hac materia progressum est.

Die trigesimo Decembris dicti anni 1478. transiverunt per Civitatem Parmæ quingenti pedites Venetorum missi in subsidium Status Mediolani, qui iverunt Pontremulum bene armati propter comminatam guerram Domini Roberti de Sancto Severino.

Hyems anni hujus 1478. usque ad Calendas Januarii alterius sequentis anni fuit sine glacie, & sine nive. Multæ tamen ultra solitum factæ sunt pluviæ.

Anno 1479.

Facta fuit in Civitate Parmæ de mandato Illustrissimorum Dominorum nostrorum die primo Januarii 1479. publica Crida, quod quilibet posset conducere victualia quæcumque in partibus Pontremulensibus sine solutione alicujus tractæ, ut gentes, quæ illuc ibant pro Statu Mediolani, & pro guerra mota per Dominum Robertum ex Sancto Severino, vivere possent. Nam etiam illi Marchiones Lunesanæ deviabant à fide dicti Status, intelligentiam habentes cum dicto Domino Roberto, & Domino Objecto de Flisco, & propterea huc concurrebant multæ gentes ad defensionem.

Eadem hac die prima Januarii 1479. spectabilis Miles, & Doctor Dominus Johannes Calzavacca Parmensis, qui iverat anno proxime curso pro Potestate, & Commissario Januæ, & ob novitates ibi ortas se reduxerat in Castelletto, nec potuerat officium finire, deputatus pro satisfactione sua intravit pro Commissario, & Potestate Civitatis Papiæ pro anno uno, & honorifice.

Qua quidem etiam die intravit pro Potestate Parmæ spectabilis Miles & Doctor Dominus Johannes Augustinus de Hisimbardis de Papia cum maximo honore, & pro uno anno. Et recessit ab ipso officio Albertus Comes de Bononia, & ivit pro Potestate ad Burgum Vallis Tari.

In principio dicti mensis Januarii anni 1479. se reperierunt in Civitate Mediolani octo Oratores Regis Franciæ notabiles viri cum equis ducentis, quorum duo illic remanserunt, alii sex transiverunt per Papiam, duo ex quibus remanebant Florentiæ, duo ibant, & permanebant Romæ, alii vero duo Neapoli, & hoc ut tractarent pacem cum Summo Pontifice, & Rege Ferdinando, & inter Florentinos.

Eodem anno 1479. die septimo Januarii factum fuit Consilium generale Parmæ de centum personis, scilicet de vigintiquinque pro singula Squadra, duraturum uno anno, nam prius durabat sexdecim mensibus, & fiebant in eo Consiliarii ad beneplacitum Antianorum ultimæ mutæ. Nunc vero fit singulo anno Mediolani, & mittitur Parmam. Et hoc pro sedandis multis differentiis, & rixis, quæ oriebantur inter quamlibet Squadram. Et duravit multis annis hæc corruptela, quod multi singulo anno efficiebantur de Consilio. Et ad faciendum hoc novum Consilium se interposuerunt Dominus Episcopus Parmæ, Dominus Johannes Comes, & Gubernator.

Eodem anno 1479. die 14. Januarii Dominus Robertus de Sancto Severino, qui erat in partibus Lunesanæ citra flumen Macræ cum multis peditibus, volens guerram movere contra Florentinos in partibus Sarzanæ ad petitionem Domini Ludovici de Campofregosio, qui Sarzanam vendiderat Florentinis, & eam gratis redimere volebat, facto transitu dicti fluminis cum uno ponte bagarum inflatarum, super quibus transibant pedites, fecit unam curreriam ex improviso ad dictam Terram Sarzanæ, munitam multis peditibus, & equis, qui exiverant Terram, & commisso prœlio ad invicem, multi tam equestres, quam pedestres dicti Domini Roberti occisi & vulnerati sunt, ac dati in fugam, & pejus habuerunt. Captus fuit in hoc prœlio nobilis Miles armorum ductor pro Florentinis Dominus Antonius Caldorius, & ductus in terra Spediæ, qui bene visus fuit, ac condonatus à Domino Roberto, liberatus, & relaxatus rediit Sarzanam. Et qui Dominus Robertus nihil pro hac vice lucratus fuit, sed amisit aliquos bonos armigeros, & pedites in pugna obtruncatos.

Hoc eodem anno & mense Januarii Magnificus Eques Dominus Johannes Bentivolus Bononiensis, & primus Civis Bononiæ, & amicus, & attinens Dominorum Ducum Mediolani, proposuit, ac petiit in Senatu Dominorum Bononiensium nomine Status Mediolani, qualiter ipsi Domini Duces requirebant alloggiamenta in Bononiensi pro equis duobus millibus, & salmas duas mille frumenti. Quod præsentiens Locumtenens Legati similem requisitionem fecit pro Summo Pontifice, sed abanditus fuit, eique responsum datum fuit, quod

quod nisi foret ob reverentiam Summi Pontificis, ipsum dejicerent à Palatio, obtentaque fuit gratiose petitio dicti Domini Johannis Bentivoli pro Statu Mediolani.

De mense prædicto Januarii dicti anni 1479., & in principio mensis captus & detentus fuit in Civitate Florentiæ Dominus Talianus de Piis de Carpo, qui erat Squadrerius Florentinorum, ex eo quod intelligentiam habebat cum Duce Calabriæ prodendi, & occidendi Laurentium de Medicis, & revelatus, accusatusque, fuit decapitatus Florentiæ.

Eodem anno 1479. die vigesimo Januarii. Vertente jam diu maxima controversia inter Comitem Bartholomæum Scottum nobilem Placentinum, ac Comitem Jacobum, & fratres de Scottis nepotes suos, pro Castro Viguleni Placentinæ Diœcesis, quod per ipsum Comitem Bartholomæum tenebatur emtum à Duce quondam Galeaz, & per ipsum acceptum dictis Comiti Jacobo, ac Fratribus, ob nonnulla eorum demerita: scalata, & derobata fuit Arx dicti Castri nomine Nepotum præfati Comitis Bartholomæi per nonnullos bannitos Placentinos, qui clamabant continuè *Ruberto, Ruberto*. Ad cujus Castri obsidionem Illustrissimi Duces Mediolani miserunt aliquas gentes equestres, & pedestres, quæ infra tres dies Castrum ipsum obtinuerunt, muniveruntque nomine Status Ducalis, & dictos bannitos numero triginta expulerunt.

Quoniam Domina Violanta uxor Antonii Tajaferri relegati in Mediolano in fine mortis jacebat, ipse Antonius obtentâ licentiâ per quindecim dies venit ex Mediolano Parmam suprascripto die vigesimo Januarii, die vero vigesimo secundo dicti mensis hæc exspiravit; altera vero die post dictum obitum secunda, Dominus Ludovicus de Antinis gener dictorum Antonii, & defunctæ, cum licentia ex Mediolano, ubi relegatus erat, Parmam venit ob dictam causam, qui ambo tamquam duo capita trium Squadrarum, continue & cum frequentia visitati sunt ab illis tribus Squadris, ac si fuissent Domini, & quidquid potuerunt, operati sunt, ne amplius reverterentur Mediolanum, ad quod tamen iverunt, reversique sunt die nona Februarii secuti.

Eodem anno 1479. die 27. mensis Januarii fama vulgarissima venit in Civitate Parmæ, quod Dux Barri, Dominus Ascanius Protonotarius, & Dominus Ludovicus fratres quondam Ducis Galeaz, qui confinati fuerant, pro ut sæpius narratum est, ruperant ipsos eis datos confines, & ab eis sine licentia Dominorum Ducum Mediolani discesserant, venerantque in partibus Lunesanæ, ubi aderat Dominus Robertus de Sancto Severino, cum quo se unierunt pro guerra facienda dictis Dominis Ducibus Mediolani, & hoc ad persuasionem Regis Ferdinandi, ac dicti Domini Roberti, veneruntque in Terra Corrigiæ nonnulli armigeri dicti Domini Roberti cum aliquibus bannitis pro conducendis, & assoldandis gentibus ad eorum petitionem & stipendium.

Hoc etiam mense Januarii firmata fuit, ac publicata in Civitate Januæ liga, & confœderatio inter Summum Pontificem, Regem Ferdinandum, ac Dominum Baptistinum novum Ducem Januæ cum reservatione, & sine præjudicio Capitulorum initorum per ipsum Dominum Baptistinum cum Statu Mediolani, A & factæ sunt solemnitates festivæ ob hoc in Janua, & Riparia sua.

Circa medium dicti mensis Januarii omnes gentes armigeræ Status Mediolani, quæ erant in agro Pisano ad alloggiamenta, reversæ sunt in Lombardia male ordinatæ cum equis macilentissimis, claudicantibus, & vix cruribus hærentibus. Gentes vero armigeræ Marchionis Mantuæ, quæ erant ad custodiam Burgi Vallis Taronis hoc tempore, dimissis illic peditibus, reversæ sunt ad sua vetera alloggiamenta in agro Mantuano satis bene & optime stantes.

Eodem anno 1479. die tertio Februarii transivit per Parmam Dominus Johannes Angelus de Florentia Mediolanensis de Consilio B Secreto, qui vadit Romam pro Ducali Oratore, & dixit, quod Mutinæ debent ipse Orator Venetus, & Ducis Ferrariæ se unire, & ire insimul Bononiam, & exinde Florentiam cum Oratore Bononiensi, & ex Florentia Romam cum Oratore Florentino pro concludenda, sive vastanda pace tractata inter eos & cum Rege Ferdinando.

Tertio die Januarii dicti anni 1479. Magnificus Dominus Gubernator Parmæ fecit in prima guardia noctis sequentis reserari & clavari Portas ferratas cum ostiis noviter factas in murata Plateæ Communis Parmæ, de quo insolito tres Squadræ admiratæ sunt, deputa- C tique sunt provisionati ad custodiam singulæ portæ.

Quarta die Januarii dicti anni in executione literarum Ducalium mandatum fuit omnibus Armigeris de Familia Ducali in Parmensi alloggiatis, & similiter in toto dominio Ducali, quod se reperiant cum eorum equis & armis in loco Abbatiæ Claraevallis Placentinæ Diœcesis, illic pecunias recepturi, & ituri què eis mandabitur per Comitem Borellam, & Michaëlem Battaliæ Commissarios super Ducali Familia.

Eodem anno 1479. die octava Februarii, quoniam Fratres quondam Domini Ducis Galeaz superius expressi ruperant confines, & se D adhæserant in partibus Lunesanæ Domino Roberto ex Sancto Severino, guerram minantes Statui Mediolani, tres Squadræ Parmenses unitæ insimul multum sunt visæ lætari, & vociferare hunc Statum periclitaturum, multa comminantes. Ideo facta fuit, & convocata coram Domino Gubernatore una Credentia duodecim Civium ex optimatis cujuslibet Squadræ ultra Antianos, quibus lectæ sunt Ducales literæ continentes, qualiter Illustrissimi Domini nostri præsenserant hos Cives timere ob dictas confinium fractiones, & uniones factas per antedictos ejus cognatos, & ideo hortabantur omnes Cives ad tranquille vivendum, beneque sperandum, quod hic Sta- E tus foret victor, commemorantes habere in auxilium Venetos, Ducem Ferrariæ de proximo cum toto posse suo equitaturum, Marchionem Montisferrati noviter ad nostra stipendia conductum, Marchionem Mantuæ, Ducem Aureliæ, Regemque Francorum, & nullo pacto velle Florentinos derelinquere, & his omnibus minis & præparamentis adversariorum præparasse optimum & grande obstaculum.

Eodem anno 1479. nono Februarii in mane transivit per Parmam Dominus Albertus Estensis frater dicti Ducis Herculis Ferrariensis pergens ad Terram Castrinovi Terdonensis, ibi-

que

que mansurus in confinio, & quam Terram dictus Dux sibi condonavit. Hic enim in morte Ducis Borsii Estensis germani sui se reperiens in Castro veteri Ferrariæ, illud consignavit in manibus & potestate dicti Domini Herculis, cui in dominio contradicebatur per Dominum Nicolaum Estensem nepotem suum, in dicto Ducatu merito & jure succedere debentem. Quo Castro habito, medio dicti Domini Alberti, ipse Dominus Hercules Principatum obtinuit. Postmodum cum idem Nicolaus intrasset Ferrariam, ut illa potiretur, captus, & decapitatus fuit cum suis quammultis sequacibus. Et quoniam idem Albertus à toto Populo Ferrariensi multo plus dicto Domino Duce diligebatur, non obstante quod idem Dux potitus fuisset dominio eo medio, quadam die captata occasione, licet levi, ipsum Dominum Albertum confinavit Neapoli, à quo propter susceptum Capitaneatus generalis baculum per ipsum Ducem contra Regem Ferdinandum socerum suum, ab ipso Rege expulsus fuit, eo tamen fine quod guerram faceret dicto Duci, à quo Florentiæ benigne fuit receptus, pro ut supra narratum est, & ex gratia hæc confinia, & donationem Castrinovi suscepit.

Hoc etiam mense Februarii cum se reperirent in Curia Romana Oratores Regis Franciæ, Ducum Mediolani, Marchionis Mantuæ, Ducis Ferrariæ, Venetorum, Bononiensium, Florentinorum, ac Regis Ferdinandi, multa inter eos tractata sunt coram Pontifice pro pace & quiete Italiæ: & ut finis imponeretur, electi sunt novem Cardinales superinde, medio quorum speratur pax habere debere locum, quo etiam tempore tractata fuit pax à Svizaris, & Statu Mediolani.

Cum applicuissent in castris Domini Roberti de Sancto Severino in partibus Lunesanæ Dux Barri, & Dominus Ludovicus Sfortiæ Vicecomites, paucis tamen cum gentibus transgressis confinibus eorum, exhibuerunt in eorum castris unum vexillum pictum Vipera Vicecomitum cum breve dicente: *Mora te tasse de' Cavalli, e la leva del Sale*, credentes Populos Ducatus Mediolani sublevare, & eos insequi hac via; ac dicentes, se velle venire Mediolanum ad defensandum, & manutenendum Dominum Ducem eorum Nepotem parvum in Statu Mediolani, & multis vicibus ipse Dominus Robertus in factis armorum habuit agere cum gentibus Ducalibus prope Castrum Sancti Stephani, quod est in Lunesana, & custoditur pro Statu Ducali, semperque habuit pejus. Et loca omnia illarum partium, quæ pro ipso Statu tenentur, munita sunt fortiter pro eorum locorum & passuum defensione, & taliter quod per illas vias & aditus non potuerunt transire, ut veniant citra Alpes dicti Dominus Robertus, Dux Barri, & Dominus Ludovicus. Dictumque fuit, ipsum Ducem Barri vendidisse dictum Ducatum reditus annui decem mille aureorum Regi Ferdinando, & væ sibi. Idem Dominus Robertus hoc medio maximam practicam habuit cum Venetis, ut se cum eis conduceret pro Capitaneo contra Turcos, ad hoc consentientibus Ducibus Mediolani; quid autem sequetur, ignoratur.

Die decimo Februarii dicti anni 1479. captus fuit in territorio Burgi Sancti Donini, & carceratus in arce Florenzolæ per Comitem Borellam de mandato Ducali, Morellus de Belvedere Tertiorum, armiger valens & audax de Familia Ducali, ex eo quod se transtulerat ad Dominum Robertum, & cum eo certam fecerat practicam contra proclamationes Ducales, cujus Domini Roberti erat amicissimus. Et postea relaxatus fuit, propterea quod multa manifestavit utilia Statui Mediolani.

In mense Februarii dicti anni 1479. ductus fuit à partibus Indiæ majoris in Italia unus Elephas permaximus, primo Venetiis per viam maris, deinde in Civitate Ferrariæ, ad quem videndum multæ confluxerunt gentes, tam ob ejus magnitudinem, quam ob monstrum hactenus, & à tempore Romanorum, scilicet Scipionis, & Hannibalis, in partibus Italiæ citra numquam visum.

Repertæ sunt quammultæ literæ projectæ in diversis hospitiis Episcopatus Parmæ hujus tenoris, videlicet: *Sforcia Dux Barri, & Ludovicus Sforciæ Vicecomites* &c. *Deliberamo andare a Milano per intrare in casa nostra a defendere in lo Stato il Duca picinino, e preservarlo da quelli lo vogliono consumare, maxime da Cecho. Unde richiediamo ajuto, e favore da ciascuno, alli quali promettemo redurre le Tasse de' Cavalli, & il Sale ad uno quarto di quello pagano di presente*. Ex quibus literis credebant populos sublevare, quod efficere non potuerunt. Et factum fuit hoc mense Februarii publicum proclama in Pontremulo parte Magnifici Domini Guidonis Rubei, Ducalis partium illarum Commissarii generalis, quod nullus auderet sub pœna rebellionis nominare dictos Ducem Barri, Dominum Ludovicum, & Dominum Robertum, à quibus multi pedites aufugerunt, cum eis non solverent, & victualiis ab equis indigebant. Miserunt quoque literas Duci Januæ, quod eis præstaret auxilium contra Florentinos: quod facere noluit. Petierunt quoque ab eodem passum pro transeundo in Lombardiam, sibi aliter guerram minantes: hoc minus facere voluit. Ortaque est multa dissensio inter Dominum Objectum de Flisco, & Dominum Ludovicum Fregosium, ex qua speratur eos in fœderatione, & colligatione non duraturos. Nam Januenses sunt & volubiles, ac truffatores.

Ejusdem anni 1479. decimo septimo Februarii captus fuit in Furnovo per Potestatem illic quidam explorator Domini Roberti de Sancto Severino, qui fuerat in Parma, & revertebatur ad dictum Dominum Robertum, ductusque fuit per provisionatos usque prope Civitatem, ut examinaretur à Gubernatore; & cum fuit prope Portam Sancti Francisci, dixit se velle cacare, & intrans in quodam fossato, simulans cacare, aufugit per ipsum fossatum, qui erat profundus, & capi amplius non potuit, sicque hoc pacto vitam evasit, & furcas evitavit.

Hoc quidem mense Februarii Dominus Jacobus Bonarellus Gubernator Parmæ infirmatus est, & multum institit, ut ab hoc officio amoveretur, iturus ad patriam. Sed quia optime res Parmæ composuerat, & ab omnibus formidabatur, ne res in deterius procederent, cum omnia in motu persisterent, & hac futura æstate de guerris suspicabatur, Illustrissimi Domini nostri nullo pacto suæ requisitioni annuere voluerunt, quinimmo sibi condonavit brachia viginti panni aurati pro una veste, item ducatos quinquaginta auri pro suffultura.

Quo

Quo etiam tempore dum Magnificus Dominus Petrus Maria Rubeus mutasset Castellanum in arce sua Rochæleonis, una nocte tentatum fuit illam ascalari; sed Castellanus id præsentiens, prohibuit tantum facinus sortiri effectum; inculpatique sunt de hoc filii Domini Nicolai Pallavicini de Varrano.

Cum dubitarent Illustrissimi Domini nostri de Domino Federico Pallavicino Domino Ravarani, ipsum citarunt Mediolanum, qui nullo pacto voluit comparere. Hic enim locus alias rebellavit Duci Philippo Mariæ, cum illi de Flisco tenerent Pontremulum.

Ut autem Illustrissimi Domini nostri ob minatas guerras possent melius de pecuniis sibi valere, fecerunt omnia officia incantari, quæ gratis nunc dabantur, solita tamen vendi.

Quoniam Svizari multa minabantur adversus Statum Mediolani, licet antea se cum ipso Statu composuissent, & fidem, ac jusjurandum violassent, mediante Episcopo Coriæ duæ partes ex tribus totius eorum Ligæ se composuerunt cum Statu prædicto Mediolani, ex quo speratur reliquum quieturum, & ab offensionibus cessaturum; hacque de causa gentes armigeræ, quæ pro eorum obstaculo præparatæ erant ultra Padum, citra profectæ sunt juxta Srtatam Claudiam in partibus Terdonensibus, Placentinis, & Parmensibus. Venitque Dux Ferrariæ cum armigeris suis tam equestribus, quam pedestribus in Civitate Regii. Venit quoque Marchio Mantuanus cum stipendiariis suis Vitalianam Ripæ Padi, ut promtiores celerioresque forent, si Dominus Robertus, Dux Barri, & Dominus Ludovicus transitum jam comminatum facere vellent citra Alpes. Et multum hoc tempore mensis Februarii dubitabatur de Parma, scilicet de tribus Squadris, amicantibus dictis Dominis Roberto, ac consociis; in agmine quorum continue clamatur *Parma*, *Parma*. Ob quod carceratus fuit in Cittadella Parmæ quidam Cancellarius Domini Roberti nomine Tomasinus, qui acceperat in uxorem quamdam de Domo Rubeorum Sancti Vitalis Bagantiæ, & in fuga dicti Domini Roberti alias detentus fuit Mediolani, & relaxatus in Parma postea mansionem faciebat, repertusque fuit equitare noviter travestitus.

Vigesimo quarto Februarii dicti anni 1479. de mandato Ducali fuit per Commissarium Taxarum equorum præceptum omnibus Armigeris de Ducali familia in Parma & Parmensi alloggiatis, quod pro quanto cari pendunt gratiam Ducalem, debeant stare provisi equis & armis, equitaturi, pro ut requisiti fuerint ab Illustrissimo Duce Ferrariæ Capitaneo Ligæ in Regio nunc existenti.

Die 27. Februarii dicti anni 1479. scriptæ sunt literæ Ducales Commissariis Pontremuli, quarum copia transmissa fuit in Parma, denuntiantes pacem contractam fuisse, & firmatam inter Venetos, & Turchum in Constantinopoli. Et qualiter ipsi Veneti obtulerunt pro defensione Status Mediolani, & totius Ligæ, totum ejus posse per aquam & per terram: quod quidem cessit lætitiæ amicis dicti Status, tristitiæ vero inimicis.

Hac etiam die venerunt nova in Civitate Parmæ, qualiter Dominus Constantius Sforcia Pisauri Dominus, ac Dominus Robertus Malatesta Arimini Dominus, facti sunt ductores armorum Ligæ nostræ; nam prius erant pro Rege Ferdinando, & uterque eorum habebat equos quingentos.

A Suprascripta die 27. Februarii Dominus Robertus ex Sancto Severino, Dominus Ludovicus, & Dux Barri sæpe dicti cum personis forte quinque millibus, & potissime pedestribus, cum scalis, gattis, & multis aliis instrumentis ferreis ad dejiciendum, & fodiendum muros venerunt ad terram Ponzani Lunensis Diœcesis, ut illam in dominio potirentur. Missisque illico multis nunciis ad Marchionem Jacobum Ambrosium dictæ Terræ Dominum, & Ducalem Feudatarium, illi multa pollicentibus, & eo omnia præter fidem erga Statum Mediolani abnuente, pugnam & prœlium incœperunt maximo cum impetu ad mœnia Ponzani irruentes, quam ingredi circumquaque cum dictis scalis, & muro in locis sex jam perforato, tentaverunt. Cumque
B viriliter eis ab intra responderetur, ignominiose ac multo cum incommodo fugam dare coacti sunt, relictis ibidem scalis, machinis, & ferramentis prædictis; mortuusque tantum unus, ac sex homines, & duæ feminæ vulneratæ ex intrinsecis; ex vero inimicis inter vulneratos & occisos fuere circiter centum quinquaginta. Pugna autem fuit asperrima, duravitque per sex horas. Equi vero dictorum Dominorum Roberti, & consociorum illis in partibus male vivebant, nam sarmenta, & folias olivarum solum comedebant.

C Publicatique sunt hoc tempore in Civitate Mediolani, ac in Pontremulo Dux Barri, & Dominus Ludovicus prædicti pro rebellibus, & hostibus Status Mediolani; factumque fuit publicum edictum, quod quilibet de Ducali Dominio cum eis, & cum Domino Roberto commorans, deberet infra octo dies proximos reverti ad propria sub pœna rebellionis.

Hoc etiam tempore Dux Hercules Estensis generalis Capitaneus Ligæ nostræ, existens in Regio, describi fecit in terris suis, & territorio Regii, & Mutinæ quoscumque habiles ad portationem armorum, qui multi fuerunt, ex quibus quingentos ex melioribus elegit, ac eisdem stipendium congruum, & pro singulo eorum corazinam unam dedit restituen-
D dam, cum illa uti non foret necesse; mandans eosdem provisos stare, si, & quoties ab eodem requirerentur pro tuitione dicti Status, contra quem dubitabatur multos in fide deviare.

Prima die Martii dicti anni 1479. Magnificus Dominus Gubernator Parmæ in executione literarum Ducalium sub campana Communis in plateis cum quatuor tubis publicari fecit prænominatos Dominum Ludovicum, ac Ducem Barri in rebelles & publicos inimicos Dominorum Ducum Mediolani tam propter machinata per eos anno curso 1477. contra Statum Mediolani, quam ob confines fractos, & colligationem per eosdem factam cum Domino Roberto ex Sancto Severino. Manda-
E tumque fuit quibuscumque Ducalibus Feudatariis, armorum ductoribus, ac stipendiariis Ducalibus sub pœna rebellionis, quod non audeant cum eis practicare, aut illis auxilium, consilium, vel favorem præstare, quodque singuli de Dominio Ducali cum eis existentes sub antedicta pœna debeant infra quindecim dies proximos accedere ad Illustrissimos Dominos nostros, liberam gratiam ob præterita recepturi, ac in propriis laribus mansuri. Qui autem inobedientes fuerint, pœnas dictæ proclamationis & decretorum Ducalium incurrant, ac censeantur pro rebellibus & inimicis Ducalis Status. Super quibus omnibus data fuit

fuit ampla auctoritas Ducalibus Commissariis & Officialibus exequendi proclama prædictum.

Eodem hoc anno 1479. sexto Martii de mandato Ducali ob novitates alias factas per homines Scurani, qui soliti sunt subesse Nobilibus de Corrigia, & qui alias guerras & correrias fecerunt contra Civitatem Parmæ, licet locus ipse Scurani teneretur pro Statu Mediolani, dubitante de fide ipsorum Hominum, mandatum fuit Turrem Vallis Scurani fortissimam demoliri, & funditus eradicari; & sic eradicata fuit infra octo dies.

Gentes Domini Roberti, & Consociorum existentium in Lunesana, quæ simul unitæ erant ad numerum circiter quinque millium personarum, non habentes victualias, curreruat ad Castrum Bullani, credentes illud armata manu occupare, & depopulari, & in quo aderant ad custodiam pro Statu Ducali pedites treceuti; qui cum vidissent inimicos ad mœnia propinquos exiverunt, quammultos trucidarunt, vulneraverunt, & ceperunt, qui omnes fuere circa centum quadraginta. Unus valens Squadrerius Domini Roberti ab una spingarda perforatus vitam in instanti amisit. Dominus Objectus, qui in hoc prœlio & insultu venerat, vix evasit. Et hic fuit secundus Domini Roberti conflictus, multa deteriora expectantis, antequam partes Lunenses effugiat.

Die nono Martii 1479. unus Squadrerius armorum Cremonensis, qui alias fuerat de comitiva Domini Roberti, & quidam ejus consocius etiam Cremonensis, & ambo boni Cives, & Gibellini, & qui verba habuerant cum Potestate dictæ Civitatis, ipsumque in Palatio voluerant interficere ob detentionem cujusdam ragazii, in executione Ducalium literarum furcis appensi sunt prope Castrum dictæ Civitatis.

Dicta die Dominus Robertus cum Domino Ludovico, & Duce Barri, intraverunt mare ad Spediam, nec scitur quo iter tendant cum gentibus suis. Quo Domino Roberto recesso ex partibus Lunensibus, Dominus Guido de Rubeis, & Dominus Johannes Comes cum gentibus Ducalibus, quas habebant Pontremuli, iverunt ad Castrum Villæ Dominæ Theodorinæ, quod prius habitum fuerat per Dominum Robertum de plano, & cum beneplacito Hominum dicti Castri; ipsumque Castrum obsederunt, & cum bombardis turrim Arcis dejecerunt. Dictus vero Dominus Robertus per ripariam Maris ivit in Valle Serchii in Territorio Pisano, ubi clandestine cepit multa bestiamina, & quoddam Palatium Archiepiscopi dictum *Filleto*.

Die decimonono Martii anni 1479. Dominus Dux Hercules Estensis Capitaneus generalis Ligæ, qui erat Regii, recessit ex Regio cum multis peditibus iturus ad Castrumnovum suum Grafagnanæ, & exinde in agro Pisano ex opposito Domini Roberti, quo etiam ire debet Dominus Johannes Bentivolus Bononiensis, se juncturi cum Domino Guidone Rubeo, & Domino Johanne Comite, & qui omnes ducere debent cum eis in castris circiter octo mille personas.

Hoc etiam tempore idem Dominus Robertus credens ex improviso intrare Castrum Libræ-factæ Florentinorum, iterum partes illas discurrit, & multa Pisanorum molendina vastavit, & igne cremavit, nec potuit dictum Castrum obtinere, quod immediate à Florentinis succursum fuit. Ipse vero Dominus Robertus in castris suis pane indigebat, & carens pecuniis, stampari faciebat monetas falsas, quæ ab omnibus respuebantur, sibique videbatur rebus suis male consuluisse; nam undique ad ejus oppositum validissimus præparabatur exercitus, & nihilominus Romæ de pace tractabatur, quæ sperabatur succedere.

Cum autem quammultæ gentes Frugonenses se insimul unirent, ut Castro Villæ, quod ut supra obsidebatur, succurrerent, ne aliud bellum in Lunesana & Riparia oriretur, deliberatum fuit, quod præfatus Dominus Guido de Rubeis ab inde Ducalia castra amoveret, sicque rediit ad custodiam Pontremuli.

Circa finem Martii dicti anni 1479. præfatus Dominus Robertus multas curreriæs fecit, pauci tamen lucri, in agro Pisano, & Pistoriensi, capiendo multa bestiamina sylvestria, & bufalos. Ad oppositum cujus intravit in Pisis Dominus Sigismundus Estensis una cum multis armigeris Florentinorum etiam ad obviandum, ne ipse Dominus Robertus transiret flumen Arni; super quo persæpe tentavit pontem ædificare, ut se jungeret cum Duce Calabriæ in Senensi, quem pontem construere non valuit, seque infirmavit ad Sanctum Julianum intra Pisas, & Lucas per milliaria quinque, confidens in galeis Regis Ferdinandi illic prope in mari existentibus. Dati enim sunt hoc tempore Domino Marchioni Mantuæ aurei septuaginta mille, ut in agro Pisano nomine Ducalis Status se transferat cum helmettis quatuorcentum, & peditibus octocentum, ad quem infiniti armigeri concurrebant, quibus dabat Ducatos centum auri pro singula lancea. Conductusque etiam fuit pro alio Capitaneo pro Statu Ducali Dominus Guielmus Marchio Montisferrati.

Die quinto Aprilis 1479. factum fuit publicum proclama sub campana Plateæ Communis Parmæ, quod ex quo hi, qui erant ad servitia Ducis Barri, Domini Ludovici Sforciæ, & Domini Roberti ex Sancto Severino, de Ducali Dominio, non redierant, pro ut in proclamate facto sub die prima Martii anni præsentis continetur, prorogabatur eis tempus usque ad diem Paschatis Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi ad redeundum, & quod nullus de Dominio Ducali auderet ad eos accedere, vel cum eis practicari sub pœna rebellionis, & confiscationis bonorum suorum, super quo committebatur executio quibuscumque Ducalibus Officialibus, in manibus quorum hi inobedientes pervenirent, dataque fuerat commissio & onus bona talium Ducali Cameræ applicandi Domino Michaëli de Cremona; & Domino Antonio de Marliano ex Ducalibus Magistris extraordinariis, ac Domino Johanni Antonio de Sparavaria ex Vicariis generalibus. Nam multi de Civitate Parmæ, qui erant cum Domino Ruberto, noluerunt reverti, & multi ad ipsum accesserunt, qui erant de tribus Squadris eidem amicantibus.

Eodem anno 1479. die quarto Aprilis, quo benedicebantur Palmæ, & Olivæ, existentibus Romæ Oratoribus Dominorum, & Comitatuum Italiæ pro pace tractanda, Summus Pontifex, qui hujus guerræ fuerat auctor, & causa, cuique ab omnibus Italis imputabatur, vocari fecit coram se dictos Oratores, ac etiam Oratores Regis Franciæ in Liga Status Medio-

diolani existentes, ac totum Collegium Cardinalium, inter quos tractatum fuit de pace fienda in tota Italia, & omnes concordes remanserunt, quod pax ipsa fieret. Una tamen restavit sola differentia. Nam Rex Ferdinandus volebat pacem ipsam, & ejus Capitula concludi in Neapoli, alii vero Romæ. Speratur tamen quod cito omnia concludentur, sed Romæ. Et ob hoc Marchio Mantuæ, & Marchio Montisferrati Capitanei Status Mediolani, quibus pro ipso Statu numerati fuerant aurei sexaginta mille pro singulo eorum, non curabant cum celeritate armigeros ad eorum stipendia conducere.

His pendentibus, Dominus Dux Ferrariæ Capitaneus Ligæ intravit in Pisis cum multis gentibus ad oppositum Domini Roberti de Sancto Severino, qui fieri fecit unam Bastiam ad Pontem lapideum existentem super flumine Serchii intra Filletum, & Sanctam Malgaritam prope Pisas per quinque milliaria; nam detecta fuit quædam proditio in Pisis, & hac de causa dictus Dominus Robertus maximo cum sinistro stabat in loco prædicto cum maxima penuria panis & vini; & licet à Lucensibus concederentur ei victualia, non sufficiebant. Ob quam causam Florentini deliberabant castra sua ponere dictis Lucensibus, eis inimicantibus, sed pace prædicta succedente omnia pacabuntur.

Quoniam una pars Svizarorum restabat habere concordium cum Statu Mediolani, & quotidie minabantur guerram facere Mediolano versus partes Bellinzonæ, parabatque Marchio Montisferrati gentes suas pro Statu Mediolani, ut dictis Svizaris obstaret, tamdem in principio mensis Aprilis anni 1479. facta fuit Treuga usque ad Pascha Madii proximi, compromissaque extitit hæc differentia per partes in Regem Franciæ.

Dubitantibus Illustrissimis Dominis nostris de fide Comitis Petri de Verme, & de Sforcia naturali cognato suo, & fratre quondam Domini Ducis Galeaz, maxime ne intelligentiam haberent cum Domino Roberto, & cum Domino Ludovico, & Sforcia Vicecomitibus, neve eis darent transitum in Lombardia citra Alpes in agro Placentino, in quo multum potens erat ipse Comes Petrus, ambo vocati sunt Mediolanum, quo dictus Comes numquam voluit accedere, simulans se infirmum. Dictus vero Sforcia libere accessit, & detentusque fuit, ne posset ex Mediolano discedere. Hoc idem fecissent dicto Comiti Petro, si Mediolanum accessisset. Post hæc tamen dictus Comes Petrus de Verme accessit Mediolanum, & deputatus in Consilio Status illic mansit firmus.

Duodecimo die Aprilis 1479. secunda die post Resurrectionem Domini nostri Jesu Christi Dux Hercules Estensis Capitaneus dictæ Ligæ cum aliquibus Squadris armigerorum & peditum exivit Pisas, ut Dominum Robertum de Sancto Severino, & conscios reperiret, cum eisque in re militari ageret, applicuitque juxta pontem constructum super flumine Serchii prope Pisas per milliaria quinque, ubi repertis ultra ipsum Pontem versus Pisas nonnullis Squadris, & peditibus Domini Roberti, illico eas aggressus est; quas in cura habebat Comes Julius Neapolitanus, quæque devictæ, ruptæ, & conflictæ sunt à dicto Duce Hercule, & vix ullus ex eis evasit, quin aut captus, aut mortuus, aut vulneratus fuerit. Percussus quoque fuit dictus Comes Julius in uno crure cum spingarda, & delatus in Lucana Civitate tamquam mortuus. Dumque Dominus Marcus de Piis de Carpo de comitiva dicti Ducis, sequens victoriam, intrasset super dicto Ponte, remansit captivus. Dictus vero Dominus Dux cum comitiva sua illæsus reversus est in Civitatem Pisarum, & alius quispiam ex suis non fuit læsus, captus, nec occisus. Nam si Dominus Robertus, qui remanserat citra Pontem versus Lucas cum reliquo exercitu, ipsum Pontem pertransisset, procul dubio aut captus, aut profligatus fuisset, sed timens, quod de facili venturum perspicabatur, in tuto voluit remanere.

Summus enim Pontifex, qui Civitatem Florentiæ interdixerat, in die Resurrectionis Domini antedictæ concessit Florentinis confessiones, atque communiones.

Cum enim Dominus Robertus de Sancto Severino cum comitiva sua non posset habere victualias per viam maris, & galearum Regis Ferdinandi ibi existentium, ob passus captos, & munitos per Florentinos, jamque ipse Dominus Robertus reductus fuisset in loco & passu arduo, ita quod evadere non poterat, quin aut caperetur, aut profligaretur, Summus Pontifex Sixtus, ut ipsi Domino Roberto viam daret abeundi, & in tutum proficiscendi, scripsit Breve Apostolicum Duci Herculi Capitaneo generali Ligæ Status Mediolani, quod sub pœna excommunicationis latæ sententiæ non deberet cum dicto Domino Roberto guerram facere, dictoque Domino Roberto aliud Breve destinavit, quod cessaret ab offensione, & ex agro Pisano Florentinorum discederet, credens hac via salvum facere dictum Dominum Robertum. De quo prævisus Dominus Dux Hercules parere noluit, & ut à dictis partibus expelleretur, aut in totum profligaretur ipse Dominus Robertus, paratæ sunt multæ aliæ gentes armigeræ pro Statu Mediolani in agro Pisano facto Festo Sancti Georgii XXIV. Aprilis anni præsentis 1479. equitaturæ.

Ut autem Pontifex prædictus amoveret à servitiis Status Mediolani Dominum Johannem Comitem de Valmontono, armorum ductorem sagacissimum, & Romanum, idem Pontifex cum Breve Apostolico, & sub pœna confiscationis bonorum suorum in agro Romano existentium ipsum monuit ad revertendum cum gentibus, & comitiva sua armigerorum in patriam. Qui quidem Dominus Johannes Comes parere noluit, se excusans, non inferre guerram Pontifici, sed tantum esse in defensione Ligæ, & quod Statui Mediolani obligabatur per biennium jam stipendio præhabito, à quo nullatenus discedere poterat; quodque existens ad stipendia dicti Pontificis, cum licentia ipsius, & Collegii Cardinalium, completâ ejus firmâ, discessit, & cum eorum beneplacito, participatione, & consensu se firmavit cum dicto Statu; nec potuit, nec potest comprehendi ipse in Edicto generali subditorum suorum ad aliena servitia, maxime dictæ Ligæ, existentium, reverti ad propria debentium. Quodque ipse, nec antenati sui umquam degeneraverunt, nec fidem alicui violaverunt, sique ipse Pontifex contra eum aliquid attentaret in assumendo ei Castra sua, quod ejus in Pontificatu successor ea illi restitueret.

Dumque hoc tempore, & citra medium

Aprilis hæc fierent, Florentini armaverunt multas galêas in portu Pisano ad obstaculum galearum dicti Regis, & ne dicto Domino Roberto succurrere, aut victualia præbere possent; & dum quædam naves appellatæ Sayctæ ex Plumbino ibi prope litora maris Pisani navigarent onustæ victualiis, captæ sunt duæ ex dictis navibus à Florentinis onustæ fellis, ferris, & chiodis ab equis, & aliis similibus in maximo damno dicti Domini Roberti.

Hoc etiam tempore missus fuit per dictam Ligam Magnifico Domino Roberto de Arimino ad hæc stipendia conducto baculus Capitaneatus in partibus Romandiolæ, & ut ibidem Ecclesiæ guerram inferret, quo etiam profectus est Comes Carolus de Montono Capitaneus Venetorum, & ut Terras suas, quibus ab Ecclesia privatus fuerat, redimeret, brachio dictæ Ligæ. Et nihilominus his sic exstantibus, in Roma de universali pace Italiæ tractabatur.

Ob quod Edictum Summi Pontificis Dominus Jacobus Bonarellus in Parma Gubernator, ne bona sua, quæ notabilia habêbat in Ancona, confiscarentur Cameræ Apostolicæ; licentiam petiit in patriam remeandi ab Illustrissimis Dominis Ducibus Mediolani, qui male libenter, sed coacti, illam sibi concesserunt.

Vigesimo septimo Aprilis 1479. Magnificus Dominus Jacobus Bonarellus Gubernator Parmæ in mane associatus centum peditibus, & sexaginta notabilibus Civibus equestribus de Squadra Rubea, recessit à Civitate Parmæ cum sonitu tubarum, & tamburini, omnibus videntibus; & exivit per Portam Bononiæ, ivitque Bersillum, ubi navem præparatam ascendit navigando per Padum, ut in patriam reverteretur; honorificeque discessit, nec ad eum associandum fuit aliquis de tribus Squadris, qui de dicto recessu congratulati sunt, Rubei vero tristati.

Die vigesimo octavo Aprilis Michaël Battalia, qui cum centum armigeris Ducalis Familiæ alloggiabat in Parmensi, credens Florentiam proficisci, cum tota ejus comitiva discessit ex Parmensi, vocatus ad vetera alloggiamenta ultra Padum, cum jam pax crederetur effectum sortiri.

Prima die Maji 1479. intravit pro Commissario Parmæ loco Domini Jacobi Bonarelli Magnificus Eques Dominus Antonius Trottus de Alexandria, armorum ductor, & aliàs Capitaneus Bononiensium, qui Bononiæ morabatur, & intravit per Portam Sancti Michaëlis in hora vigesima secunda cum sonitibus campanarum, & tubarum, & tamburinorum, associatus à Reverendo Domino Episcopo Parmensi, Magnifico Domino Fratre Rolando Rubeo, Domino Potestate, peditibus centum armatis, & cum comitiva equorum ducentum notabilium Civium de qualibet Squadra. Nam illi de Squadra Rubea erant multo plures aliis; & in eundo ei obviam usque ad flumen Hentiæ Dominus Episcopus erat associatus tantum ab illis de tribus Squadris, & Dominus Rolandus à Rubeis. De adventu cujus dictæ tres Squadræ permaxime lætatæ sunt, & in ingressu Civitatis aderant forte centum pueri cum fraschis in manibus, clamantes: *Trotto, Trotto*, euntes ante se.

Ea quidem die prima Madii pueri antecedentes cum fraschis, & sic etiam altero sero secuto, tamburino provisionatorum eunte, & sonante per Civitatem, pueri illum sequentes, qui omnes erant de tribus Squadris, inducti à quibusdam de ipsis tribus Squadris inimicantibus Domino Jacobo Bonarello, clamabant: *Trotto, Trotto con amore. Mora il Guercio d'Ancona traditore.*

A

Die prædicta prima Maji equitavit Illustrissimus Dominus Federicus de Gonzaga Marchio Mantuæ Capitaneus Status Mediolani cum equis duobus mille, ac peditibus quinque centum, ut iret versus Florentiam ad oppositum Ducis Calabriæ in Agro Florentino, venitque Regium, & ex Regio transivit Saxolum, & exinde Alpes per Agrum Pistoriensem.

B

Vento Parmam Domino Antonio Trotto pro Commissario, hic enim à primariis quatuor Squadrarum Parmæ visitatus fuit, & primo à Squadra Rubea, antecedente Domino Fratre Rolando Rubeo, deinde Doctoribus numero octo, & aliis primariis ipsius Squadræ bene & laute indutis. Alia vero die ab aliis aliarum Squadrarum visitatus fuit, sed non tam honorifice, quam à Rubeis. Hic enim Commissarius omnes benigne vidit, & hortatus est ad bene vivendum, jussitque per publicum proclama arma deponi. Cumque à multis de Squadris tribus quodammodo fastidiretur, eum ad Missas, & per Civitatem associantibus, & cum eo fraterne vivere monstrantibus, ipse cupiens omnibus æqualem in jure se demonstrare, inhibuit omnibus tales associationes, & familiaritates, præterquam horis audientiæ, quod permoleste cessit tribus Squadris; ceteris morigeratis, & juris amatoribus placitum fuit.

C

Quarto Maji 1479. Dominus Robertus de Sancto Severino cum Domino Duce Barri, ac Domino Ludovico Sforciis, & cum toto eorum exercitu, non valentes amplius morari in loco, ubi se posuerant intra Filletum, & Sanctam Malgaritam, & jam Alpes transeunte Domino Marchione Mantuæ supra Mutinam, ut se jungeret cum Domino Duce Ferrariæ, ex eo loco recessit, & venit in loco Lavenciæ prope litus maris in Lunésana, credens capere Fivizanum, & Castionum, quæ sunt duo Castra in Lunensi Florentinorum, in quibus, & Carraria, tractatum & proditionem habebat. Qua detecti, & nullum sortitâ effectum, castra sua ibidem Lavenciæ firmavit, jussumque fuit Marchioni Mantuæ jam Alpes cum gentibus suis transeunti, ne ulterius progrederetur. Cupiebat enim idem Dominus Robertus, obtentis dictis duobus Castris, cum toto suo exercitu Alpes transire, & per viam Terrarum Militum in Parmense pertransire. Dictumque fuit, ipsum habere circiter decem mille personas. Quod jamdiu timentes Illustrissimi Domini Duces Mediolani muniri fecerunt Castra Belvedere, & Tizani, ac demoliri Turrem Scurani, cum hæc possent nocere Statui Mediolani, si dictus Dominus Robertus per eam Villam transitum faceret, pro ut sæpe comminatus est. Ex quo Commissarius Parmæ duplicavit guardias ad Portas Plateæ, & Civitatis Parmæ.

D

E

Septimo Maji capti sunt duo ex principalibus Castri Carrariæ Lunensis Diœcesis, principales dicti tractatus, & furcis appensi in Terra Pontremuli, nam hi Terram ipsam Carrariæ promiserant proditione dare dicto Domino Roberto, ob quod illuc prope venit cum

cum toto suo exercitu; sed detecta proditione, & captis proditoribus, ipse Dominus Robertus delusus remansit, nec ad optatum, & designatum finem suum pervenire potuit. Squartatusque fuit in Pontremulo quidam de Curia Raygusii dictæ proditionis particeps, quique homines ipsius Curiæ in Terris Militum animaverat, ut transitum darent Domino Roberto.

Recesso Domino Roberto à partibus Pisanis, & vento Lavenciam, Dux Hercules, qui Pisis erat, loca, & alloggiamenta dicti Domini Roberti, quæ in agro Pisano obtinebat, intravit, & occupavit. Comes Carolus de Montono Capitaneus Venetorum cum exercitu suo valido, & Dominus Marchio Mantuæ cum suo intraverunt in Agro Lucano, obviantes per eam viam victualia dari ipsi Domino Roberto, & ordinantes eum insequi, qui totam ejus spem inde evadendi posuerat in galêis in portu Lavenciæ existentibus, sive se transferendi ad Portum Spediæ. Hoc etiam tempore medii mensis Maji anni 1479. ipse Dominus Robertus tentabat quasdam seditiones seminare in Januensi contra Dominum Ducem Januæ, ut illic adversariis dicti Ducis receptum haberet, utque Dominos Duces Mediolani in laboribus & expensis fatigaret. Jamque Dominus Objectus de Flisco colligatus ipsi Domino Roberto tentavit Ducem Januæ occidi facere, de quo prævisus, Lucullum alias sibi concessum eidem Domino Objecto abstulit, & pro se munivit, qui locus permaxime obesse poterat dicto Duci. Sperabat quoque idem Dominus Robertus consequi à Rege Ferdinando aureos quinque & vigintimille sibi pro stipendio promissos, quibus stipendiariis posset subvenire, & novos milites conducere, & sub tali spe gentes suas hortabatur, & sub spe retinebat; à quo quammulti fugerunt, non habentes pecunias, & videntes dictum Regem aureos prætactos nullatenus mittere. Et his stantibus idem Dominus Robertus dubius & incertus restabat, quo iter suum dirigeret; sed tota ejus fides restabat ad mare per viam galêarum confugere.

Quintadecima Maji anni 1479. appensus fuit per gulam sono arrengheriæ ad glareas Fluminis Parmæ quidam Johannes Maria de Brixia famosus latro ex sequacibus Domini Hieronymi Bernerii tempore saccomani Rubeorum in ejus domo morantis. Et hoc fuit aliud miraculum pro bonis saccomanatis.

Circa dimidium dicti mensis Madii Dominus Robertus ex Sancto Severino una cum exercitu suo alloggiatus in planitie Laventiæ prope litus maris, multis modis atque viis tentavit capere Laventiam, Castrum bene munitum, ad cujus custodiam erant deputati tercentum provisionati, quorum caput erat Balzarinus de Laude, fecitque ibi conduci unam bombardam fingens illam ibi plantare; & vocato per eum dicto Balzarino, multis tentavit pollicitationibus corrumpere, quibus nihil proficientibus, eidem minatus est vitam arripere laqueo; & cœpto prœlio dictis pollicitationibus minisque nihil operantibus, multi ex suis ad mortem dati sunt, & multi vulnerati, ex quo onustâ bombardâ Dominus Robertus ab obsidione dicti Castri cum dedecore discessit; constituique ordinavit super Flumine Macræ pontem ligneum, per quem evadere posset, timens insultari à Dominis Duce Hercule, & Marchione Mantuæ, qui simul juncti cum eorum maxima comitiva, & obtentis loco Filleti, & Sanctæ Mariæ in Castello, castra sua firmaverunt prope Petram Sanctam, se appropinquantes dicto Domino Roberto, ut illum aut rumperent, aut fugarent. Hocque tempore Lucenses se concordaverunt cum Florentinis, & amplius victualia non porrigebant dicto Domino Roberto, pro ut antea fecerant; persolveruntque, ut fama fuit, dictis Florentinis aureos viginti mille, ne eis damnum in agro Lucano facerent propter receptationem dicti Domini Roberti, & victualia ei impensa per eos.

Hoc quidem tempore Maji dubitantibus Illustrissimis Dominis nostris, ne Dominus Robertus pertransiret Alpes, & veniret ad Civitatem Parmæ sub fiducia amicorum, quos in ea habebat, scripserunt ipsi Domini Duces Domino Gubernatori novo Parmæ, quod confidentes de fide Magnifici Domini Petri Mariæ Rubei, tamquam de personis propriis, ipse Gubernator tam de die quam de nocte eidem aditum daret in ipsa Civitate, cum quot, & quibus personis vellet, nec non in ejus potestate daret quæ ipsius Civitatis fortilicia requireret. Quod quidem idem Dominus Gubernator manifestavit nonnullis capitibus trium Squadrarum, de quo tristati sunt, & pavefacti, animadvertentes fidem, & spem, quas dicti Domini Duces habebant in dicto Domino Petro Maria, & Squadra Rubea, ac periculum, in quod ipse tres Squadræ incurrere poterant, memores injuriarum per ipsas illatarum Squadræ Rubeæ hactenus, & multis vicibus, ne nunc vindictam sumerent contra easdem. Et ob hoc timidi, & dubii stabant. Sed Dei gratia proditiones ordinatæ per dictum Dominum Robertum nullum fortitæ sunt effectum. Peroptabat enim, statueratque, obtento Fivizano, & aliis Castris existentibus in Lunensi, in quibus tractatum habebat, Alpes transire, ut Parmam occuparet, spem omnem suam ponens in tribus Squadris.

Scripserunt quoque ipsi Domini Duces dicto Domino Petro Mariæ, quod si dictus Dominus Robertus Alpes Parmenses transiret, cum omni suo posse intraret Civitatem Parmæ ad illius defensionem, quam in ejus potestate, & tuitione ponebant, de eo ut persona propria confidentes, pro cujus Civitatis aditu opportune scribebant Gubernatori Parmæ, cum quo intelligentiam haberet super hoc.

Dominus Robertus de Sancto Severino videns non posse aliquid obtinere, timensque invadi à Dominis Duce Ferrariæ, & Marchione Mantuæ, se levavit à Laventia, venitque transacto flumine Macræ in loco de Ciparana desubtus Bullanum, ut insultatus, ad Spediam, vel alia illius regionis loca versus Januam se tutius transferret. Prædicti vero Dux, & Marchio ultra progredientes, & insequentes Dominum Robertum, se firmaverunt cum omni eorum exercitu super plano Sarzanæ.

Comes autem Carolus de Montono cum alio Florentinorum agmine discurrit in Senensi Agro usque in Burgis extra Civitatem, quos hostiliter igne cremavit, multam prædam hominum, & bestiaminum cepit, incommoda permaxima illic inferens, firmis manentibus, nec se de alloggiamentis moventibus gentibus Domini Papæ, ac Regis Ferdinandi, nec audentibus se movere.

Et quoniam ad expeditionem tractatæ Pacis non deveniebatur per Summum Pontificem, Do-

Dominus Robertus Malatesta de Arimino, & Dominus Constantius de Pisauro, Ductores armorum, & conducti à Florentinis, insimul juncti castra posuerunt Oppido munitissimo, & diviti Sancti Archangeli Vicariatus Arimini, quod ab Ecclesia tenebatur, & alias Domino Arimini sublatum fuerat per Dominum Papam Pium, volentes ipsum Dominum Arimini reintegrare, & sibi vendicare omnia Castra, quæ sibi ab Ecclesia detinebantur simul cum Civitate Fani, & Vicariatu omni suo.

Hoc quidem mense Maji venit Venetias quidam Ambasciator magni Turchi maximæ staturæ, cum magna ac superba hominum Turchorum societate, & magnæ staturæ, indutorum more eorum vestibus longis, ac portantium in capite involutam telam Turchensem subtilem, levemque ad mensuram duorum linteaminum. Qui huc profectus est, ut Dominum Ducem, & Dominationem Venetiarum visitaret, stabiliretque pacem initam cum Turcho, de qua superius narratum est. Detulit quoque cum eo pretiosissimam cincturam adamantibus, & aliis magni valoris lapidibus munitam, quam nomine Turchi dicto Duci condonavit, per eum cinctam portandam ea lege, quod quando Turchus sibi illam miserit requisitum, teneatur illam ei remittere; tuncque facta ea requisitione intelligatur rupta omnis pax, omniaque pacta, & conventiones initæ inter ipsos Turchum, & Venetos. Portavit quoque unam cuppam auream massiciam, cum qua ipse Ambasciator insimul cum dicto Duce, & duodecim ex principalioribus Consilii bibere debent, quousque illic steterit, & quam in recessu suo referre debet secum ad Turchum: & hæc omnia in fidem, & demonstrationem veræ pacis. In qua pace Veneti dederunt ipsi Turcho Scutrum cum certis pactis, & conventionibus, & inter alia, quod ad omnem requisitionem ipsorum Venetorum Turchus eis dare deberet pro guerra centum mille equos belligeratores, illosque ipsius Turchi expensis manutenere durante tali guerra. Et è converso dicti Veneti tenentur dare, & manutenere propriis expensis ipsi Turcho centum galeas armatas pro guerra fieri obveniente per ipsum Turchum. Hic quoque Ambasciator est tantæ superbiæ atque arrogantiæ, quod eo sedente, & apud ipsum transeunte Duce, & illi honorem, & reverentiam faciente, pro nihilo assurgit, nec honorem reddit. De cujus adventu tota Civitas Venetiarum congratulatur, illi maximos honores faciens, quod Deo dante in futurum, fructum & utile sit.

Circa finem Maji dicti anni 1479. Dominus Dux Ferrariæ, & Marchio Mantuæ cum toto eorum exercitu se levaverunt ex agro Sarzanæ, ubi aliquibus diebus morati sunt cum squadris quadraginta quinque equorum, & tribus millibus peditum, insequentes Dominum Robertum, qui se reduxerat citra Macram versus Spediam in loco de Ciparana in Januensi; castraque sua firmaverunt prope Castrum Sancti Stephani, quod à nostris tenetur, animo insequendi Dominum Robertum usque ad ultimum. Sed quia necesse erat transire in Januensi, scripserunt Januensibus, quod excomiarent de eorum Territorio dictum Dominum Robertum, aliter eis necesse foret transire in Januense; hoc juridice facere valentes, quoniam ipse Dominus Robertus in agro Pisano castrametatus est, & multas prædas fecit, quem ubique locorum licet insequi impune. A quibus Januensibus responsum expectabatur. Et hoc interim ipse Dominus Robertus se fortificabat in quadam Valle, & se gentibus muniebat, timens justitiam divinam.

Recesserunt ab obsidione Sancti Archangeli Domini Arimini, & Pisauri, venerunt quoque ad Civitatem Castelli, quæ ab Ecclesia tenebatur, & illi nomine Florentinorum castra imposuerunt, ad quæ Domini Dux Hercules, & Marchio Mantuæ profecti sunt, dimissis ad oppositum Domini Roberti in Sancto Stephano ad Macram tribus millibus peditum, & quatuorcentis Armigeris ex melioribus totius exercitus.

Propter pacem tractatam Romæ, de qua fienda tamen sperabatur, dicti Dominus Dux Hercules, & Marchio Mantuæ, cœpto itinere ut discederent à Sancto Stephano, ituri ad Civitatem Castelli, ut jam dictum est, reversi in locum primum prope Macram deliberaverunt obsidere illic Dominum Robertum reclusum in quadam Valle sub Castro Vazani, in quo diutius stare non poterat ob victualium indigentiam, & quia obsidebatur ut supra.

Quoniam Illustrissimi Domini nostri nolebant ob has guerras manus ponere in diminutione thesauri repositi ab Duce Galeaz, & ut armigeris & provisionatis stipendia persolverent, fecerunt subhastari, & vendi quæcumque Datia totius Dominii Ducalis pro uno anno, scilicet 1480. in contantis de præsenti solvendis. Ex quibus maximam pecuniam exegerunt de mense Maji 1479.

Secunda die Junii anni 1479. parte Illustrissimorum Dominorum nostrorum facta fuit publica Crida in Civitate Parmæ, quod quilibet posset ducere Pontremuli quæcumque victualia sine solutione alicujus Datii, ut exercitus noster posset vivere, & triumphare.

Timens dictus Dominus Robertus de adventu Ducis Ferrariæ, & Domini Marchionis Mantuæ cum tanto exercitu, tentavit omni qua potuit via se eisdem recommittere, tamquam desperatus; & una dierum de mense Maji stans citra Flumen Macræ super ripa, & Dominus Marchio citra, ad invicem sibi locuti sunt. In quo sermone idem Dominus Robertus multum se condolebat, quod à Rege Ferdinando deceptus & illusus fuerat, quoniam eidem promiserat gentes & pecunias mittere, quorum neutrum fecerat, asserens hanc guerram movisse pollicitationibus & persuasionibus dicti Regis, & male contentum fore. Ex opposito Dominus Marchio respondebat, quod male ipse Dominus Robertus consuluerat rebus suis, & sibi compatri suo parceret, quoniam obedire volebat, & Statum Mediolani, ac ejus Ligam defensare, sed quod oportebat insimul in factis armorum agere, quem exhortabatur factis suis, & saluti propriæ providere, & sic à colloquio discesserunt.

Captus fuit in principio Junii dicti anni 1479. in loco de Bonportu districtus Mutinæ subtus Civitatem Franciscus del Carretto ex primariis Domini Roberti, transitum illinc faciens trasvestitus, & ductus in Castro Mutinæ, ut examinaretur. Hic enim simulaverat se expulsum à dicto Domino Roberto, & illum voluisse venenare. Et propterea huc & illuc discurrebat modo ad unum, modo ad alium Principem, & armorum Ductorem, simulans stipendium quærere. Et sic multas machinationes

tiones tractabat contra Ligam Ducalem, & de quo condignas luet pœnas.

Quo etiam tempore lata sunt nova Parmæ, quod multi ex his, qui interfuerant saccomanno Parmæ Cives, appensi sunt per gulam, dum stipendium habuissent à Florentinis, & aufugerent, posítique sunt in Galêis Castellanorum multi alii Juvenes de dicta Civitate, qui interfuerant profanationibus Ecclesiarum, & dicto saccomanno, inter quos adsuit quidam nominatus Labronus de Cavalletto de Squadra Corrigiensi. Et hoc eis evenit ex divino Judicio tantorum scelerum.

Venit in Civitate Mediolani tempore proxime dicto pro Oratore Svizarorum quidam maximus & pulcher Svizarus nepos Ducis Austriæ, dives atque potens, cui Magnificus Dominus Cichus copulavit unam ejus filiam in uxorem, quam Mediolani maximo cum apparatu & triumpho desponsavit. Hic enim multum poterat in illo genere Svizarorum, ex qua affinitate speratur eos in quiete & pace mansuros.

Mirabantur multi, quod Dux Hercules Estensis, qui erat gener Regis Ferdinandi se opponeret contra ipsum Regem. Nec mirum; nam idem Dux fatuus fuisset tantam Capitaneatus dignitatem abnegare, quam quispiam alius de genere suo non est assecutus, nec similem præterea. Rex idem voluerat medio filiæ suæ uxoris dicti Ducis illum venenare, quod ipsa veniens anno curso Neapoli manifestavit; & cum in Castris Florentinis foret æstate proxima præterita, iterum tentavit illius occisionem. His igitur de causis Dux ipse in Socerum animosior factus est, inter quos pauca exstitit semper benivolentia; & licet ad invicem contraxerint parentelam, attamen odium sibi habebat Rex ipse, & via dictæ parentelæ sperabat animum suum complere ob veterem inimicitiam. Dicebatur enim, ipsum Dominum Herculem, & Dominum Sigismundum fratres, dum alias forent ad stipendia ipsius Regis, & in ejus Aula, ab eo aufugisse. Cumque Rex ipse promisisset filiam nuptui tradere Sforciæ Vicecomiti tunc Duci Barri, & germano Ducis Galeazii, orta inter eos seditione, fœdera rupit, illamque dicto Domino Herculi creato Duci, ob despectum dicti Ducis Galeazii, nuptui tradidit. Factumque est taliter, quod inter ipsos Regem, Ducem Herculem, & Dominum Ducem Mediolani perpetuis temporibus nullus amor, nulla pax, nec tranquillitas inveniretur. Fuit enim ipse Rex origo & causa, Statui Mediolani tot impedimenta, & guerras, ac incommoda inferre, ut ingratus, non obstante duplici affinitate contracta cum ipso Duce Mediolani; nam Dux Calabriæ primogenitus ejus, & qui in Regno succedere habet, in uxorem accepit Dominam Hippolytam, sororem Ducis Galeaz, amitam novi Ducis, ex qua plures procreavit filios, ac filias, alteram quarum in matrimonio tradidit ipsi nostro parvo Duci ob conjunctionem & conservationem amicitiæ. Ex alio capite una soror dicti nostri parvi Ducis nupta est in primogenitum Ducis Herculis. Cupiebat attamen Rex ipse in veterem amicitiam redire, pacem affectans, cum ex guerra superlucrari aliquid non posset. Potentiæ autem Ligæ nostræ nolebant, ipsi Regi omnia adscribentes, & petentes primo restitui Duci Mediolani Januam amissam, Florentinis damna illis obventa, Venetis Scutrum datum Turcho, & damna à Turchis in Foro-Julii passa, nec non damna habita à Svizaris, culpa & tractatu dicti Regis. Et his stantibus, de pace parum speratur. Sed pro hoc anno omnino pecuniæ & stipendia armigeris soluta sunt à Liga Mediolani.

Quoniam Domini Oratores totius Ligæ Romæ existentes non valuerunt coram Pontifice pacem concludere, ipsi omnes ab Urbe discesserunt, quilibet ad Dominum suum rediens, sicque de guerra hoc anno acerrime fienda publice ferebatur, & jam gentibus Regis Ferdinandi venientibus in agro Florentino, tentantibusque occupare Montem Imperialem Florentinorum, qui est supra Pozibonizum versus Senas, & in Strata Claudia, in quo Florentini ipsi anno præterito eorum exercitum posuerant, construi fecerunt fortissimam Bastiam. Revocaverunt quoque à partibus Lunensibus Dominos Ducem Herculem Capitaneum, & Marchionem Mantuæ cum gentibus suis, qui ad obstaculum Domini Roberti dimiserunt nonnullos armigeros & pedites, viaque recta perrexerunt ad ipsum Montem Imperialem, quod totum fuit actum circa octo dies Junii 1479.

Recessis à Lunesana Dominis Duce Hercule, & Marchione Mantuæ, Dominus Robertus de Sancto Severino, qui se recluserat intra certos montes, & unam paludem, exivit discurrendo in regione illa in territorio Amicorum Status Mediolani. Dominus vero Objectus de Flisco castra, cum paucis tamen gentibus, posuit Oppido Callisi juris Status Mediolani. Ad quorum oppositum missi sunt quinquaginta provisionati, & viginti quinque ballistarii ex his, qui deputati erant ad custodiam plateæ Civitatis Parmæ. Et nihilominus platea ipsa custodiebatur, & cum portis claudebatur, pro ut antea solitum est tempore Bonarelli; & ultra id erectum fuit fortilicium ab utraque parte pontis Doni Ægidii, quod antea demolitum fuerat, cum dejecta fuit Citadella de Porta nova, factusque fuit à parte citeriori pons unus levatorius cum uno revelino, & ab alio latere versus caput pontis apposita est janua pro claudendo ipso ponte; & ad pontem lapidis de medio positæ sunt clavatoriæ, & ipsis ambobus pontibus deputatæ sunt custodiæ, & omni nocte claudebantur, ita quod in omnem eventum illi de Capite Pontis baptizati Svizari non possent citra venire.

Hoc etiam tempore & circa medium Junii 1479. Comes Carolus de Montono intravit in agro Perusino, & multa cepit Castra sibi amicantia: qua ex causa Rex Ferdinandus misit in agro Senensi versus Florentiam multas squadras, ut iterum Florentinis guerram faceret, qui optime parati erant ad Status eorum defensionem, & melius quam anno proxime curso.

Die 18. Junii 1479. transiverunt per Civitatem Parmæ venientes à Roma Oratores Regis Franciæ, & Ducis Mediolani ad patriam remeantes, quoniam pax tanto tempore tractata locum habere non potuit.

Dicta die 18. Junii cum Dominus Robertus ex Sancto Severino castra sua posuisset, & bombardas Castro Ponzani, & illud eo credente occupare, Gentes Ducales contra eum insurrexerunt, & illum cum bombarda, & cum suo dedecore, damno, & plurimorum de ejus comitiva cæde, discedere velo levato coëgerunt.

Mor-

A Mortuus quidem est naturali morte Comes Carolus de Montono in agro Perusino, in quo multa obtinuerat Oppida, post quem remansit filius suus strenuissimus Ductor comitivæ suæ.

Vigesimo Junii 1479. apparuerunt in Platea Parmæ melones maturi contra consuetum; nam aliis retroactis temporibus non maturabant usque ad medium Julii, sicque alii fructus in tempore apparuerunt.

Die 24. Junii in sero ductus fuit à Civitate Mutinæ Parmam ab extra Franciscus del Carretto, de quo supra dictum est, ut Mediolanum ducatur ligatus, & custoditus per quadraginta ballistarios Ducales equestres, à quo multa secreta Domini Roberti scientur, cujus

B hic erat primarius homo.

Eodem anno 1479. 23. Junii existentibus Dominis Duce Hercule Estensi, & Marchione Mantuæ cum eorum gentibus circa Castrum Casalis Vulteri Senensium, homines dicti loci se dederunt dicto Marchioni, & Castrum ipsum, salvis bonis, & personis eorum. Quod sentiens Dux Hercules, misit multos de comitiva sua in eo Castro, qui tum invidia tum cupiditate ducti cœperunt saccomanare nonnullas domos, de quo Marchio Mantuæ advisatus, volens fidem suam observare, ne bona dictorum hominum saccomanarentur, fuit ad manus cum gentibus dicti Ducis, ex quibus quammulti interfecti fuerunt, & sic inter prædictos maxima orta est seditio.

C Ut autem seditio prædicta tolleretur, quæ Statum Ducalem, & illius universam Ligam premebat, Illustrissimi Domini Duces Mediolani miserunt Florentiam Dominum Johannem Aloysium Bossum de Consilio Ducali Justitiæ in Oratorem, ut placaret, & ad concordiam deduceret prætactos Ducem Ferrariæ, & Marchionem Mantuæ, quos Laurentius Medicus jam concordes fecerat, persolveratque dicto Domino Herculi decem mille aureos pro damno suo. Et sic quietatis animis prædictorum, rursus in castris redierunt, ut de hostibus triumpharent. Dux autem Calabriæ, Cognatus dicti Domini Herculis, ut seditionem prædictam augeret, misit comminatum dicto Marchioni Mantuæ, quod se pararet, quoniam

D vindictam sumere volebat de gestis per eum contra Dominum Herculem. Qui Dominus Hercules hoc audiens, scripsit dicto suo Cognato, quod se pararet ad defensionem sui, nec curam sumeret talis ultionis, quoniam ipse, & dictus Marchio amici & attinentes erant, ac bene concordes, & in brevi ipsum visitarent. Dictus vero Dominus Marchio respondit, quod aliud quæreret, & quod amicitia ipsius & parentela cum Domino Hercule diuturnior foret, quam sua, & quod in brevi hoc sentiret.

Vigesimo septimo Junii dicti anni 1479. Magnificus Dominus Robertus Malatesta de Ari-

E mino Florentinorum Capitaneus, existens in agro Perusino cum gentibus suis, & sentiens quod gentes Ecclesiæ ibi prope existentes se ordinabant, ut ipsum Dominum Robertum insultarent, summo mane ordinatis aciebus suis, dictas gentes Ecclesiæ insultavit, quarum caput erat Dominus Marcus de Capua, easque vicit, fregit, & profligavit ad numerum Squadrarum triginta quinque. Multos cepit, permaxime lucratus est, & maxime . . . . . . ac circa mille carriazios, cepitque vigintiquinque carriazios Ducis Urbini in dicto exercitu Ecclesiæ pergentes. Maxima fuit victoria, & de quo facta sunt solennia festa in toto Ducali, & Ligæ Dominio ad honorem Dei.

Hoc sentiens Rex Ferdinandus misit Ducem Calabriæ filium suum cum sexaginta Squadris in agro Perusino, sed tamen longe ab exercitu dicti Domini Roberti Malatestæ, qui Dominus Robertus Malatesta castra sua pro Florentinis fixit prope Perusium per milliaria duo; dumque dictus Rex mitteret dicto filio suo in castris decem & octo mille aureos cum scorta quinquaginta equorum, hoc sentiens dictus Dominus Robertus Malatesta, cepit denarios, & scortam in itinere.

Dum enim Domini Dux Ferrariæ, & Marchio Mantuæ existentes in agro Florentino vellent castra ponere ad certa loca Senensium, sæva pestis incœpit vigere in ipsis castris, & etiam in castris dicti Regis, & Ecclesiæ, adeo quod multi se absentabant, castraque ipsa Florentinorum, & inimicorum ab invicem ob dictam pestem se dislongaverunt, Summusque Pontifex petiit à Florentinis treugam mensium sex, quam facere noluerunt, asserentes hoc non esse in eorum potestate, & advisare velle prius Dominos Venetos, & Statum Mediolani Colligatos suos.

In fine dicti mensis Junii 1479. Dominus Robertus ex Sancto Severino cum Domino Objecto de Flisco castra posuit Arci Montanani ultra montes prope Varisium in Januensi agro ad confinia Placentini, ut habilius possent citra Alpes transitum facere.

Circa dimidium Julii anni præsentis obtenta fuit Rocha prædicta Montanani per Dominum Robertum de Sancto Severino, & Dominum Objectum de Flisco ex accordio, & ad pacta, salvis bonis, & personis existentium in dicta Rocha. Qua habita ordinaverunt venire ad Castrum Burgi Vallis Taronis, quod ad se spectare asserit Dominus Objectus, & tenetur pro Statu Ducali. Ad cujus defensionem ivere innumerabiles personæ armigeræ tam equestres, quam pedestres pro Statu Mediolani.

In hoc tempore ob pestem sævientem in Castris Florentinis ad Montem Imperialem, Dux Hercules illinc recessit, & venit in Garfignana ultra & prope Alpes in agro Lucano, sed immediate retrogressus est in agro Senensi, ubi cepit Senensibus tria Castra, scilicet Insulæ, Montis Regioni, & Abbatiæ, quæ duo Castra prima saccomanavit, & Abbatiam ad pacta obtinuit, distantibus inimicis, scilicet gentibus Papæ, & Regis per milliaria triginta, ac existentibus ultra Cortonam in agro Perusino prope quemdam padulum, & citra existentibus Domino Marchione Mantuæ, & Domino Roberto de Arimino cum gentibus suis versus Perusium; & sic prosperantibus ipsis duobus exercitibus Florentinorum. Dominus vero Robertus de Sancto Severino, obtento Montanano, se firmavit in monte altissimo centum Crucum longe à Burgo Vallis Taronis per milliaria octo. Nostri vero prope Burgum ipsum.

Die vigesimo tertio Julii dicti anni 1479. Dux Calabriæ, qui erat in agro Perusino, ut obstaret Domino Marchioni Mantuæ, & Domino Roberto de Arimino, illic castrametantibus, vocatus à Senensibus venit cum gentibus suis in agro Senensi, ut obviaret damnis, quæ ibi inferebantur per Ducem Herculem. Quod sentiens idem Dux Hercules Castra tria, quæ in ipso agro obtinuerat, combuissit, sacco-

comanavit, & in totum devastavit. Deinde venit ad Montem Imperialem agri Florentini, seque ibi firmavit in loco tutissimo cum toto exercitu suo.

Vigesimo septimo die dicti mensis Julii Jacobus de Plaza de Squadra Corrigiensi unus ex confinatis Mediolani aufugit de Civitate Parmæ, & de Dominio Ducali, cum habuisset licentiam standi in Parma duobus mensibus, ut res suas componere posset. Duoque sui filii similiter aufugerunt, & iverunt ad Dominum Robertum, & Dominum Objectum contra proclamationes & ordines Ducales.

Eodem anno 1479. vigesima septima Julii Dux Barri olim frater Ducis Galeaz, qui ruperat confines, & venerat in auxilio Domini Roberti, & Domini Objecti, existens in Varisio ultra Alpes, obtento anno proxime curso per Johannem Aloysium de Flisco, in nocte oppressus catarro vitam finivit: quod fuit malum præsagium ceteris inimicis Status Mediolani.

Sexto Augusti 1479. venerunt in Civitate Parmæ de improviso trecenti pedites bene armati missi ex Mediolano per Illustrissimos Dominos nostros, qui alloggiaverunt omnes in circuitu plateæ. Venerunt quoque quingenti equi, scilicet centum viginti quinque armigeri de familia Ducali, qui alloggiati sunt in Civitate, & ad Monasteria, videlicet in Capite Pontis in domo mansionis Domini Fratris Rolandi de Rubeis, in domo mansionis Fratris Christophori de Zabollis, in Monasterio Fratrum Humiliatorum, & citra Pontem in Monasterio Sancti Petri Martyris, Fratrum Sancti Francisci de Prato, Fratrum Servorum, & Fratrum Eremitarum. Caput peditum erat Travalia de Fontaneto, Armigerorum Michaël Battalia; & super omnes deputatus fuit Dominus Zampetrus Panigarola Ducalis Secretarius, de quo adventu Cives multum payefacti remanserunt, & varii varia loquebantur. Portaverunt quoque secum multas spingardas cum ballottis plumbeis, pulverem à bombardis, & sagittamina. Ex quibus portas, & pontes de medio Civitatis munierunt, guardias ad ipsos pontes duplicarunt, & omnia fortilitia peditibus fulcierunt. Cum autem varie loqueretur per Civitatem, factæ sunt duæ Credentiæ Civium de qualibet Squadra, quibus notificatum fuit per dictum Secretarium, & Dominum Gubernatorem, quod non timerent, quia hæc provisio fiebat ob minas Domini Roberti de Sancto Severino, & Domini Ludovici Sfortiæ, dicentium se velle in brevi accedere in Parmensi.

Die nono Augusti præfatus Dominus Zampetrus Panigarola existens in Palatio Domini Gubernatoris, vocavit coram se Dominum Episcopum Parmensem, scilicet Dominum Sagramorum de Arimino, cum quo certa negotia Status conferre asserebat, ad quem ipse Dominus Episcopus cum multa comitiva Canonicorum & aliorum Presbyterorum accessit; & cum ibi fuit, ubi aderant ceteri Officiales, ipse Dominus Zampetrus multum redarguit ipsum Dominum Episcopum dicendo, quod favebat inimicis Status, & pro eis intercedebat, & quod Status male se contentabatur de eo, & quod erat ingratus; & habebat Presbyteros male morigeratos. Qui Dominus Episcopus quantum potuit se excusavit, petens punitionem, si erraverat. Ceteri Presbyteri affirmarunt se fore puniendos, si in aliquo fefellissent, inter quos fuit Donus Antonius de Colla Canonicus de Squadra Corrigiensi, & Donus Antonius Banzola de Squadra Sancti Vitalis, quos ambos ipse Dominus Zampetrus detinuit una cum Deiphobo Burallo, etiam Corrigiensi, Hilario Begarino de parte Sancti Vitalis, & Andrea de Colla fratre dicti Doni Antonii, quos quinque nocte secuta associari fecit in Castro Cremonæ; dixitque Domino Episcopo, quod in futurum studeret melius se deportare, quam antea: de quo multum timuerunt tres Squadræ, & maxime de adventu tot gentium, & de dicta detentione.

Domini Veneti colligati cum Statu Mediolani, & Florentinorum, hoc tempore Augusti miserunt in agro Perusino duo mille equos in succursum Florentinorum ibidem castrametantium, ex eo quia pestis magna vigebat in castris Marchionis Mantuæ, qui etiam se febribus infirmaverat, deliberabatque se portari facere Mantuæ.

Decimonono Augusti dicti anni 1479. Dominus Robertus de Sancto Severino, qui cum suo exercitu erat apud Burgum Vallis Taronis per milliaria duo, se levavit combustis alloggiamentis, & ivit in Valle Sturli. Dominus Johannes Jacobus de Triultio, qui erat in dicto Burgo pro Statu Mediolani, fecit proclamari, quod omnes Parmenses, qui erant cum Domino Roberto venirent ad eum, quibus gratiam fieri faceret.

Recesso præfato Domino Roberto à loco præfato, Gentes Ducales, quæ erant ad Burgum Vallis Taronis, insurrexerunt contra homines decem Villarum, qui faverant, & victualia dederant ipsi Domino Roberto, licet forent ad obedientiam dicti Burgi. Saccomanaverunt quoque omnia bona ipsorum hominum, domos igne concremaverunt, ac diruerunt, multos appenderunt, multos quoque ligatos duxerunt Mediolanum deviantes à fide recta dicti Status. Multa quoque bestiamina ducta sunt in Parma per Armigeros Parmenses, capta in dicta præda & saccomano.

Die vigesimo tertio Augusti præfatus Dominus Robertus de Sancto Severino fingens & demonstrans aufugere, recto tramite perrexit Terdonam, in qua proditionem habebat, eamque cepit, & cum gentibus suis intravit, quo intrante in meridie, sibi aperta porta citeriori per nonnullos capistros Terdonenses Guelfos, Dominus Episcopus, ac alii Officiales cum aliquibus Civibus illico se reduxerunt in Citadella, & Arce dictæ Civitatis. Munitæ sunt portæ dictæ Civitatis nomine Domini Roberti secum habentis circa personas duo mille; quibus munitis ipse Dominus Robertus se reduxit in montibus supra, & prope Castrum Terdonæ, ne ipsi Castro posset succurri, tentans ipsum habere. Obtinuit quoque Castrum Pontis Coronæ distans à Terdona per quinque milliaria, quod alias fuerat suum; nam homines ipsius loci illud sibi dederant, in quo nulla arx aderat. Ut autem expelleretur ipse Dominus Robertus ab obsidione prædicta, pro parte Status Mediolani paratus fuit maximus exercitus, altum faciens Viqueriæ equestrium & pedestrium ad numerum personarum duodecim mille. Nam hi proditores Terdonenses alias capti sunt volentes similem proditionem facere, ordinatumque fuit illos decapitari, qui adjuti à Domino Johanne de Scipiono uno ex Consiliariis Status Mediolani, vitam evasere. Nunc autem ut ingrati gratiæ eis factæ in

in dictam proditionem prorupere. Exercitus, qui erat ad Burgum Vallis Taronis, profectus est Viqueriam, quo etiam profectus est exercitus Marchionis Montisferrati Capitanei Status Mediolani.

Hoc enim mense Augusti 1479. cum ducti fuissent in Castro Cremonæ quinque Cives Parmæ de tribus Squadris accusati à Francisco de Ricciis de Squadra Sancti Vitalis pro imputatione contra eos facta, quod voluerant prodere Civitatem Parmæ, capere duas Portas, scilicet Sancti Michaëlis, & Sancti Francisci, ac introducere Dominum Ludovicum Sforciam, & Dominum Robertum, fuissentque examinati per quemdam Vicarium Ducalem de Florentia, negarent quoque omnia, ductus fuit ad parangonum Cremonæ dictus Franciscus, qui hoc detexerat, ac ut dicebat, illis ambasciatas fecerat parte dicti Domini Roberti, & è contra parte eorum, literasque portaverat: quod confessus est de plano, & manu propria hæc detentus scripsit.

Die vigesimo sexto Augusti prædictæ gentes Ducales, quæ se univerant in Viqueria pro succurrendo Terdonæ, ceperunt & intraverunt Castrum Pontis Coronæ, quod Dominus Robertus obtinuerat ex gratia hominum ut supra, illudque in totum saccomanaverunt, & igne & ferro devastarunt ad exemplum aliorum Populorum & terrorem.

Obtinuit quoque idem Dominus Robertus Castrum Viguzolli territorii Terdonensis, quod tenebatur per Dominum Ludovicum de Foliano, illudque habuit ex beneplacito hominum, quibus non amovit Potestatem, sed solum illis detulit juramentum, quod essent fideles Illustrissimo Domino Duci Mediolani Johanni Galeaz, eisque promisit, quod non solverent amplius taxas equorum, nec salem. Et dicebat, quod ipse, & Dominus Ludovicus Sforcia volebant esse defensores dicti Ducis, & hoc ut Populus deviaret à fide Status, & sibi amicos redderent; cum quo Domino Roberto aderant dictus Dominus Ludovicus, Dominus Objectus, & Johannes Aloysius de Flisco.

Præfatus Dominus Robertus cum Domino Ludovico Sforcia ea die, qua ceperunt Terdonam, obtinuerunt etiam Cittadellam, & Castrum Terdonæ proditione Castellani. Deinde discurrentes illas partes, omnia Castra Terdonensia, ac etiam Castrumnovum, Sallas, quæ erant Domini Cichi, Pioppam, Bassignanam, Valentiam, & Burgum Bassignanæ, dicentes ea loca capere nomine Domini Ducis, & Dominæ Ducissæ Mediolani, & tamquam eorum tutores, & defensores, præstantes hominibus ipsorum locorum juramenta fidelitatis prædictis Dominis Ducibus, ac eis levantes taxas equorum, & Salis, nec removentes Officiales. Fabricarique fecerunt super flumine Padi prope Bassignanam unum Pontem super navibus, & molendinis, deinde recto tramite perrexerunt ad Portam Alexandriæ, exhortantes Cives ad præstandum juramentum fidelitatis, & ad acceptandum eos in Civitate. Quibus Alexandrini responderunt, hoc nolle facere, nisi haberent literas à Dominis Ducibus, & quod irent pro factis suis. Qui Cives miserunt quatuor Oratores Mediolanum, ut hæc notificarent Dominis Ducibus, & eorum fidem demonstrarent, à quibus benigne visi sunt, ac liberati Datio imbottaturæ, quod Alexandrinis erat maximum Datium.

A Castellanus Viglevani Status Mediolani fidissimus, simulate & sub duplici tractatu vocavit Dominum Robertum, cui pollicitus est arcem, ut illum caperet, & tantis malis finem imponeret, de quo idem Dominus Robertus prævisus noluit retia subire.

Die secundo Septembris 1479. Illustris Dominus Dux Hercules Estensis generalis Capitaneus Ligæ existens in agmine Florentinorum ad Montem Imperialem, vocatus à Ducibus Mediolani intravit Parmam cum quatuorcentis equitibus, & ducentis peditibus, associatus ab Episcopo, & Gubernatore Parmæ, à Domino Sforcia naturali, & Domino Raymundo Lupo, & à multis peditibus, &

B armigeris alloggiatis ad custodiam Parmæ, ad quem visendum totus Populus cucurrit in strata de Sancto Michaële. Sonatæ sunt campanæ de festo; alloggiavit in Palatio Gubernatoris, maneque sequenti similiter associatus ivit ad Burgum Sancti Donini, iturus in agmine Ducali Viqueriæ ad oppositum Domini Roberti, factæque sunt sibi & omni suæ comitivæ expensæ nomine Dominorum Ducum.

Præfatus Dux Hercules cum applicuisset Placentiæ, iter suum direxit Papiæ, ut cum exercitu Ducali, qui transiverat Padum, se jungeret, & iret ad Burgum Bassignanæ cum bombardis, ubi Dominus Robertus aderat cum suo exercitu; & antequam illuc applicuisset,

C gentes Domini Marchionis Montisferrati, etiam Capitanei Ducalis, insurrexerunt contra Dominum Robertum cum suo exercitu alloggiatum in agro Burgi Bassignanæ, cum quo agere habuerunt. Nostri autem fugarunt Dominum Robertum intra mœnia Castri, alloggiamenta omnia sua cremaverunt, ceperuntque prœlio unum ejus filium naturalem postea redemtum à suis peditibus.

Die sexto Septembris scriptæ sunt literæ Ducales, & publicatæ in Antianatu, & magna Credentia Parmæ cum una copia literarum Dominationis Venetiarum scriptarum Mediolani, qualiter sentientes Veneti disturbum datum Statui Mediolani, paraverunt gentes suas

D in auxilium nostrum, parati omnes eorum facultates expendere pro defensione nostra, & nunc mittentes mille equos, & duo mille pedites in succursum Ducum Mediolani.

Eodem anno 1479. octavo Septembris, quo celebratur Nativitas Beatæ Virginis Mariæ, Dominus Ludovicus Sforcia malecontentus de gestis per eum, operâ Domini Ducis Herculis perrexit Mediolanum ad Illustrissimam Dominam Ducissam, cui veniam petiit, & ab ea benigne obtinuit, pollicens se velle esse fidum hujus Status, de quo Illustrissimi Domini nostri scripserunt Officialibus Parmæ literas tanti novi publicatas in pleno populo decimo Septembris, & exhortantes Cives ad bene spe-

E randum, quod in brevi omnia male composita ad pacem & quietem reducerentur, quo iterum levatæ sunt offensiones in utroque exercitu.

Undecimo Septembris 1479. publicatæ, & lectæ sunt literæ Ducales in Parma coram Officialibus, Antianis, & multis Civibus, qualiter Domini nostri susceperant Illustrissimum Dominum Ludovicum Sfortiam fratrem quondam Ducis Galeaz in eorum gratiam, ac ipsum una cum aliquibus de Consilio suo deputaverant pro Gubernatore generali totius sui Dominii, detinuerant quoque Dominum Cichum, Dominum Antonium filium suum, &

& aliquos alios pro eorum demeritis; dictumque fuit, quod erant Dominus Orphæus de Ricavo unus ex Consiliariis Castri, Dominus Johannes Simoneta frater Domini Cichi, Alexander Collecta Cancellarius, Alexander de Fulgineo Commissarius Provissionatorum, & Dominus Johannes Bottus, cujus filius Episcopus Terdonæ in captione Civitatis fuit detentus, & positus ad taleam de Ducatis quatuor millibus; dictumque fuit, quod aliter non poterat fieri, si guerra incœpta in Terdonensi, & Papiensi debebat finiri, sic etiam instante maxima parte Populi Mediolani; deputatique sunt ad novum regimen cum dicto Domino Ludovico Comes Johannes Bonromæus, & Dominus Petrus de Pusterla.

Hac enim die publicationis literarum prædictarum reperti sunt quamplures bollettini appensi ad valvas, & Palatia hujus effectus: *O vos de Civitate jubilate, & letamini. Sol vester incipit elucescere, & in brevi super æmulos vestros obscurabitur.*

Qua etiam die Comites Marsilius, Jacobus, & Amoratus Fratres de Torellis, auditis prædictis, & qui videbantur suspecti Statui Mediolani, nec umquam voluerant accedere Mediolanum, habitis literis à Domino Ludovico prædicto, transiverunt per Parmam alacres & læti, euntes Mediolanum. Suspicio hæc causabatur, quia Dominus Baptistinus de Campofregosio Dux Januæ erat eorum cognatus, ac Franciscus de Torellis naturalis ad stipendia Regis Ferdinandi militans erat eorum frater; maleque contentabatur de Statu Mediolani ob eorum stipendium, & de eo se conquerebantur, dicebaturque eos habuisse stipendium à dicto Rege.

Cum enim depositi, capti, & detenti fuissent antedicti Dominus Cichus, & alii, Populus Mediolani cucurrit ad domos Domini Cichi, Domini Johannis fratris sui, Domini Orphæi, & Fabricii de Ancona, quas in totum saccomanaverunt; & procedere volentes ad alias domos forensium, facta proclamatione Ducali, destiterunt. Ambrosinus quoque de Lugagnano, qui alias remotus fuerat à Capitaneatu Castri Portæ-Jovis, restitutus fuit ad pristinum locum. Intraverunt quoque in Mediolano Dux Hercules, & Dominus Robertus bene visi à Populo. Licentiati pariter sunt Cives Parmæ alias relegati in Mediolano, ut venirent Parmam ad eorum libitum. Vocatus etiam fuit Mediolani Episcopus Parmensis. Requisiverunt etiam Zaninum Barbatum, quod iret ad Principes nostros. Causa fuit, quia Cives pridie capti, & ducti in Castro Cremonæ, negabant se nihil proditionis commisisse; & Franciscus de Ricciis de Parma illorum accusator dicebat, eos accusasse instigatione dicti Zanini, & non propter veritatem: ob quæ tres Squadræ de Parma lætæ & hilares stabant, Rubeis minantes, & continue opprobriantes ob Solem eos illuminantem.

Scripserunt Illustrissimi Domini nostri Gubernatori Parmæ, qualiter die tertia decima Septembris anni prædicti 1479. Dominus Robertus de Sancto Severino accesserat ad eos cum tanta reverentia, & effectuali demonstratione fidei & devotionis versus Statum Ducalem, quantum dici possit, & quod ipsum viderant læto animo propter quietem secuturam dicto Statui, & ob ejus cum Duce affinitatem: quæ literæ lectæ sunt in publico.

Restituerunt quoque Illustrissimi Domini nostri ipsi Domino Roberto omnia Castra, quæ sibi abstulerant, ac eidem refecerunt damna quæcumque per eum passa ex bonis sibi ablatis; & dum pro eo acciperetur tenuta domus suæ sitæ prope Sanctum Antonium, uno sero concurrit illic multa turba juvenum festa, & lætitiam facientes cum schiopettis, & fallodiis ad fenestras, clamantes *Ruberto*, *Ruberto*, & cum trombettis, & tamburinis.

Reversi sunt in Parma omnes Banniti alias ob tractatam mortem Domini Jacobi Bonarelli, & similiter alii capistri, qui non audebant repatriare, minantes quotidie Rubeis. Reversi sunt quoque à relegatione & confinio Sertorius Biliardus, & Lucas de Ferrariis. Rediit quoque Jacobus de Plaza, qui aufugerat, ut supra dictum est. Alii vero confinati remanserunt Mediolani, tentantes, atque instantes sibi restitui denarios, quos solverant saccomanatis, ob quod vocati sunt Mediolani quatuor Cives de Squadra Rubea pro pace tractanda cum aliis Squadris, & pro modo adhibendo satisfactioni saccomanatorum, & dictorum Civium, qui solverant partem dicti Saccomani. Et hi fuerunt Cives, scilicet Dominus Magister Bartholomæus de Anselmis Physicus, Dominus Aloysius de Borris, Dominus Petrus Antonius Centonus Doctores Legum, & Johannes Baptista Garimbertus unus ex saccomanatis.

Recesserunt vigesima octava Septembris è Parma illi trecenti pedites, qui huc venerant cum Domino Johanne Petro Panigarola, qui Dominus Johannes Petrus, & Michaël Battalia cum gentibus armigeris, quæ huc venerant ob tractatum, de quo supra, recesserunt à Parma. Reversique sunt Parmam illi, qui ducti fuerant in Castro Cremonæ ob dictum tractatum, scilicet Dominus Antonius de Colla, Dominus Antonius Banzolla, Hilarius Begarinus, Andreas de Colla, & Deiphobus Burallus. Visaque sunt omnia revoluta in brevi momento. Et hi, qui habebantur pro rebellibus, visi sunt meliores & probiores ob mutationes prædictas; & in omnibus literis Ducalibus scriptis Parmæ fiebat mentio, quod Dominus Cichus, Dominus Orphæus, & Johannes Bottus fuerant causa totius mali, & quod ob eorum detentiones Status Mediolani magis quiescebat, quorum trium domus existentes in Papia cum omnibus bonis illic existentibus à furore Populi saccomanatæ sunt.

Quo etiam tempore posita sunt castra per Dominum Robertum Castro Sartirani juris Domini Cichi, & saccomanatum fuit, in quo aderat Dominus Johannes, & Jacobus filius Domini Cichi, qui una nocte exinde aufugit, & ut dictum est, cum triginta millibus aureis, iturus versus Svizaros, ubi Cognatum habebat divitem & potentem. Amotus etiam fuit ab Arce Modoëtiæ unus frater suprascripti Domini Cichi ibi Castellanus: & sic Dominus Cichus cum omni progenie sua dati sunt in dispersionem.

Dum prædicta sic fierent, scripserunt Magnifico Domino Petro Mariæ de Rubeis Dominus Ludovicus Sforcia, & Dominus Robertus de Sancto Severino, quod volebant ipsum pro fratre, & pro primis ad regimen Status ob ejus fidem, & integritatem versus Statum Mediolani, & sic etiam amare, & cari pendere amicos suos; ordinaverunt quoque nullam fieri novitatem in Parma.

Eunte Petro Johanne Calzavacca uno ex sac-

saccomanatis à Parma Mediolanum, & veniente Cornachia armigero alias de comitiva Domini Roberti, nunc autem Domini Johannis Bentivoli cum Squadris Parmam prope flumen Taronis, is Cornachia insultavit, & percussit dictum Petrum Johannem, ab eo petens trecentos aureos, quos solverat pro saccomano; & nisi à stipendiariis dictæ comitivæ adjutus fuisset, morti tradebatur: de quo conquestus fuit Mediolani, ob quod idem Cornachia vocatus fuit ad nostros Principes.

Cum Dux Hercules Capitaneus Ligæ recessisset à Monte Imperiali Florentinorum, exercitus Regis Ferdinandi ex improviso insultavit agmen Florentinorum ad ipsum Montem, & rupit multas Squadras, ac cepit multos armorum Ductores.

Post habitam victoriam à Ferdinandi gentibus, & Ecclesiasticis in Monte Imperiali contra Florentinos, Dux Calabriæ primogenitus Regis cum toto suo exercitu posuit castra & bombardas Oppido Collis Florentinorum fortissimo, ac munito pro defensione gentibus, ac munitionibus. Hi autem, qui intus erant, die ac nocte foras mittebant bombardellas, spingardas, & sagittas venenatas, conjurati omnes potius de uno in unum vitam emittere, quam se reddere Regi Ferdinando, quorum existentium intus caput erat Comes Pitiani strenuissimus, qui multos & infinitos ex inimicis, & squadreriis mactari fecit, unoque ictu unius spingardæ mortui sunt triginta armigeri. Hoc enim Castrum erat unus ex primis passibus agri Florentini. Dumque hæc agerentur, Magnificus Robertus Arimini insultavit agmen dicti Regis, cui maximam stragem dedit. Et ut melius posset Florentinis noceri, & ut eorum agmen minueretur dictus Rex vocavit gentes Domini Roberti ex Sancto Severino, Comites Torellos, & Nobiles de Corrigia, qui ad ejus stipendia conducti erant, quod pergerent cito in Romandiola. Sicque discesserunt de Lombardia cum Squadris sedecim, videlicet tres filii Domini Roberti, qui voluit ipse remanere in regimine Mediolani, cum Squadris decem, Comites Torelli cum Squadris quatuor, & illi de Corrigia cum Squadris duabus. Transiverunt quoque Territorium Ducis Herculis noctis tempore, nullam ibi facientes moram; dumque dicti de Corrigia ducti essent in Valle Lamonis agri Faventini, à rusticis sunt insultati, & male tractati, reliqui vero perrexerunt in castris contra Florenzolam Florentinorum.

Reversi sunt hoc tempore circa dimidium Octobris omnes banniti, & capistri, qui recesserant ex Parma, arma deferentes in publico, minantes Rubeis, ac multos vulnerantes, & euntes in nocte armati in numero maximo, nec verentes Officiales, justitiamque, tamquam qui essent in libertate, ac dicentes comminantesque iterum Rubeos saccomanare, & mactare, ac de eis vindictam velle sumere ob eorum exilium. Reversi sunt quoque alii confinati omnes in patriam. Ob quod reclamatio Rubeorum porrecta est Principibus nostris, qui fecerunt fieri publicum proclama in Plateis Parmæ, quod erant contenti, quod confinati possent repatriare hac lege, quod exercitiis eorum, ac ad bene vivendum, & nemini nocendum vacarent; aliter iterum exularent, & haberentur pro rebellibus. Sicque per aliquos dies quieti manserunt; videntesque maximum habere favorem Mediolani ob mutationem novi regiminis Status, iterum arma capiunt, vadunt de nocte, ac minantur pro ut antea; sentientesque adventum armigerorum Domini Roberti in Parmensi, ut transirent in Romandiola, alacriores efficiuntur, & ob id magna pars Rubeorum exivit Urbem vitæ suæ præcaventes.

Facientibus illis de tribus Squadris, qui fuerant confinati, & condemnati ad restitutionem Saccomani Rubeorum, eis restitui, quod solverant, & ad hoc maximos habentes fautores, vocati sunt Mediolani quatuor Cives de Squadra Rubea pro re componenda, & pace tractanda. Qui existentes coram Illustrissimis Dominis nostris, Rubeorum causam tutati sunt, pari modo petentes solvi saccomanatis restum saccomani de libris viginti millibus. Tamdem audita utraque parte, cum illic adesset Dominus Episcopus Parmensis, licentiati sunt hi omnes Cives, & ipsi Domino Episcopo commissum fuit, quod veniret Parmam, Cives convocaret, hortaretur ad bene vivendum, & inter eos tractaret pacem, & concordiam. Sicque ipsi Cives Rubei, & Dominus Episcopus reversi sunt Parmam. Solus remansit Dominus Hieronymus Bernerius Mediolani infirmus.

Causa autem infirmitatis dicti Domini Hieronymi Bernerii ducis & capitis confinatorum, processit, quoniam facta remotione, & detentione Domini Cichi, & ventis in Mediolano Dominis Ludovico Sforcia, & Roberto, quorum ipse Dominus Hieronymus erat amicissimus, is cum eis conquestus est, quod anno præterito indebite amotus fuerat, & vituperose ab officio Capitaneatus Justitiæ Mediolani, de qua remotione superius narratum est, facta tamen juste & clementissime, cum is fuisset primus & potissima causa seditionum & novitatum Parmæ. Petiit quoque se restitui ad id Officium. Factæ sunt ei literæ opportunæ per Deputatos ad regimen Status. Quod cum relatum fuisset Dominæ Ducissæ, ipsa memor vitæ hujus hominis, illico revocavit dictas literas, & non est passa, Dominum Hieronymum intrare ad dictum Officium, quod ipse ægre, & ad sempiternum vituperium ferens, dolore percussus in lecto se prosternavit, æger animo, & ægrotans corpore.

Dum maxima foret disceptatio Mediolani pro hoc novo regimine, illuc concurrerunt Oratores Regis Ferdinandi, Papæ, Florentinorum, Venetorum, & Svizarorum, ubi etiam aderat Dux Hercules, qui ab omnibus reputabatur detentus ad instantiam Regis Ferdinandi; erantque nonnulli optantes, & perquirentes, Ligam Venetorum, & Florentinorum dissolvere. Svizari autem ægre ferebant detentionem & amotionem Domini Cichi; nitebantur quoque guerram inferre Statui Mediolani; nam quidam nobilis Svizarus caput eorum, & potens, erat gener Domini Cichi. Tamdem res concordatæ sunt; nam Dux Hercules rediit Ferrariam per aquam, ut firmam Capitaneatus sui Ligæ compleret, qui in itinere munivit Bersillum cum Bazano, & Scurano, & Castrum novum Parmense, scontro Castrinovi Terdonensis restituti Domino Roberto, de quo pars Corrigiensis mœsta & dolens remansit, optans ea loca Corrigiensibus dari, quorum alias fuerant. Et pro eis habendis profectus fuerat Mediolanum Dominus Nicolaus de Corrigia. Et tenetur, ea loca sic data

data fuisse, ut supra, ne Corrigienses ea obtinerent, quia fuerant inimici Ducis Philippi Mariæ, & Ducis Francisci Sforciæ. Quam tenutam dictus Dux Hercules accepit decimo octavo Octobris 1479. Et cum fuit in arce Bersilli dixit: *Io ho cambiato oro in rame*. Dominus vero Robertus ire debebat cum suis gentibus contra Florentinos ad servitia Regis, & similiter Comites de Torellis. Et est sciendum, dum dictus Dominus Nicolaus de Corrigia venisset Parmam, ut iret Mediolanum ex causa dicta, alloggiavit in domo illorum de Ballestreriis, & per Civitatem associabatur per Cives de sua Squadra cum infinito numero, nec aliud clamabatur per Civitatem, quam *Ruberto, Ruberto, Correza, Correza*.

Dominus autem Cichus prætactus ductus fuit in Castro Papiæ, ubi optime, & sine compedibus, vel alia restrictione observabatur cum omnibus suis deliciis, præterquam quod Castrum exire non poterat. Uxor autem ejus de Domo Vicecomitum præ dolore insana est effecta. Cui Domino Cicho una dierum dicti mensis Octobris Illustris Dominus Ludovicus Sforcia effectus Gubernator generalis Status Mediolani misit quemdam ejus nuntium, hac cum ambasciata: quod si sibi donare volebat denarios, quos Florentiæ habebat, qui erant aurei quinquaginta mille, ipsum relaxare faceret. Hæc fuit ejus responsio: *Ego indebite carceratus, saccomanatus, & vituperatus fui immerito, cum semper laboriosus, & vigilans fuerim ad regimen Status fidele Mediolani. Hæc sunt munera, & remunerationes mei? Si enim in aliquid deliravi, me puniant. Denarios vero meos, quos tanto cum labore lucratus sum, volo sint filiorum meorum. Deo multum debeo ob tantam vitæ meæ diuturnitatem. Mortem non timeo: nil magis opto quam hac vita privari. Vale*.

Eodem hoc mense Octobris 1479. decimo nono die Reverendus Dominus Episcopus Parmæ ex impositione Ducali, coram se, & aliis Officialibus Parmæ, in suo Palatio convocari fecit multos Cives de omnibus Squadris, scilicet viginti pro singula Squadra de melioribus, & prudentioribus, ac etiam de infimis, seditiosis, & male compositis, quos omnes parte Ducali monuit ad recte & in pace vivendum, sicque fore de mente Status Mediolani: aliter quod atrociter, & sine ulla remissione punirentur. Cum autem multi de tribus Squadris maxime ex his, qui persolverant pro rebus saccomanatis, vociferarent, & clamitarent, indebite persolvisse, & velle restitui nunc & de facto, comminantes multa mala facere: Dominus Episcopus, & Gubernator Parmæ, eos multum redarguerunt, & monuerunt ad deponendum, & quietandum eorum animos, quoniam tam ipsis quam saccomanatis provideretur. Et quoniam, ubi est multitudo, solet permaxima fieri confusio, ordinaverunt eligi duos pro singula Squadra, cum quibus hæc tractarentur. Multi etiam dixerunt, quod eis placebant pax, & concordia, & quod vivere volebant in tranquillo.

Ob hoc quietati fuut paululum animi horum de tribus Squadris, sed vix una die hoc duravit: altera vero die denuo hi cum bannitis adiverunt Dominum Episcopum dicentes: *Nunc nunc volumus à Rubeis nobis restitui, quod solvimus, ac damna nostra, & incommoda bannitorum*, minantes Rubeos saccomanare; & licet ab Episcopo admonerentur, & exhortarentur, attamen arma portabant, & quotidie aliquid innovabant contra Rubeos.

Quinta decima die Octobris Magnificus Dominus Guido Rubeus cum honorabili comitiva accessit Mediolanum, ubi ab Illustrissimis Dominis nostris, & Dominis Ludovico, & Roberto visus est læto animo, vultuque hilari, & ab eis positus est loco patris ad sedendum in Consilio Status in sede tertia, in qua pater sedet, cum est Mediolani, & ab omnibus aliis visus est cum gaudio. Et quousque illic stetit, semper in Consilio sedit tertius, reversusque est in patriam infra octo dies.

Præfatus Dominus Robertus solitus esse æmulus Magnifici Domini Petri Mariæ de Rubeis scripsit eidem literas tenoris hujusmodi, videlicet.

Magnifice, & præstantissime Domine, Frater, & Amice Honorande.

Per relazione del nostro Johannepetro Panigarolo, & altri assai, ma prima del Magnifico nostro Conte Johanne Bonromeo ho inteso l'animo vostro dispostissimo & benevolentissimo verso mi. Che certo ne ho havuto piacere assai, recordandome l'antiqua amicizia, che fu de le prime, ch' io avessi in Lombardia. Et mi sono doluto, che la iniquità de' tempi, o maligni omini, avessero gittate in la nostra mutua benivolentia semenze di male impressioni, o dato causa di alcuna alienazione de l'animo l'uno de l'altro. Come si sia inteso, che Vostra Signoria ha tal bono animo verso di me, qual si conviene al vero amico verso l'altro, io, che non patisco essere vinto di amare l'amico, ma facilmente patisco essere vinto, che altrui più odii me, che io altro, mi dago coll' animo mio benivolentissimo alla Signoria Vostra; E così quando a quella piace, recipo il suo, & già l'ho receputo per le optime relazioni predicte, apparecchiato a tutti i tempi per tutti li beneplaciti di Vostra Signoria, & de' suoi amici. Bene valete.

Mediolani XII. Octobris 1479.

Robertus San Severinus de Aragonia Comes Cayatiæ Regius Locumtenens generalis.

A tergo. *Magnifico, & præstantissimo Domino Petro Mariæ de Rubeis, Comiti, Marchionique, amico, & fratri honorando.*

Cui Domino Roberto responsum datum fuit condignum, ac reciproci animi sibi quidem carissimum.

Ob novum regimen dicti Status Mediolani, cui præfecti sunt dicti Dominus Ludovicus, & Robertus, & tres Gibellini, & tres Guelphi Mediolanenses, qui tamen nihil importantis deliberabant sine participatione Dominæ Ducissæ, multa sunt innovata, & immutata, multi elevati, & multi depressi. Dictus vero Dominus Ludovicus Sforcia mortuo ejus fratre Duce Barri, creatus est à Rege Ferdinando in Ducem Barri, & ab eo donatus est Ducatu Barri.

Antequam Domini Ludovicus, & Robertus, rediissent in gratiam, & ad servitia Status Mediolani, claudebantur Pontes lapidis, & Doni Ægidii, super flumine Parmæ cum portis ferratis, & custodiebantur tam de die, quam de nocte, à provisionatis, quæ fortilicia erecta fuerant ob metum trium Squadrarum, & similiter Pontes plateæ. Successit autem post novum hoc regimen, quod amplius non claudebantur, nec custodiebantur; unaque nocte una pars portarum, & scalarum dictorum Pontium dejecta est in flumine &

omnes munitiones ibi deputatæ derobatæ sunt; tantaque crevit audacia tribus Squadris, quod eis videbatur licere impune quidquid mali facere volebant, nam multos obtruncaverunt, multos quoque percusserunt.

Die vigesimo quarto Octobris prædicti Reverendissimus Dominus Ascanius Sforcia, qui erat Perusii relegatus, effectus Episcopus Papiæ, revertens Mediolanum, ingressus est Parmam, comitatus Clero, duobus Episcopis, Episcopo Parmensi, & aliis Officialibus, ac multis Civibus Parmæ. Hi autem Banniti reversi, captis armis, ipsum etiam associaverunt, dispositi ipsi assumere mulam, quam similiter provisionati ibi existentes accipere deliberabant. Cum autem ipse Dominus Ascanius applicuisset in Palatio Episcopali, videns tot gentes armatas, timuit, claudique fecit Portas Palatii. Hi autem Banniti cupientes mulam, cum armis insultaverunt dictos Provisionatos, ex quibus novem vulneraverunt. Insultaverunt atque alios Juvenes de Squadra Rubea, qui sociaverant prætactum Dominum Ascanium, & atrociter vulneraverunt Andream de Bajardis. Totaque Civitas fuit in motu, ubi per hos capistros clamabatur *Carne*, *Carne*: totaque ea nocte Civitas stetit in armis. Mane facto præfatus Dominus Ascanius vocavit ad se multos de tribus Squadris, quos ob novitatem prædictam redarguit, monuitque ad bene vivendum. Vocavit quoque nonnullos ex primis de Squadra Rubea, quibus pollicitus est taliter referre Mediolani, quod his insolentiis provideretur. Dumque se prepararet ascensurus equum, ut iter suum faceret Mediolanum, dicti capistri & banniti in maximo numero, armati corazinis, spetis, & celadinis, seriatim se apposuerunt super plateale dicti Palatii, expectantes Dominum Ascanium, quem comitari volebant. Qui cum hoc præsensisset, eos omnes excomiavit, eisdemque minatus est ob hæc; sicque recessit, & una cum eo Dominus Antonius Trottus Gubernator Parmæ. Ob cujus Gubernatoris recessum, & ob minas dictorum Bannitorum provisionati, qui erant numero centum, & eorum Capitaneus Marchinus de Abiate, se reduxerunt in Cittadella, & Cives quasi omnes Rubei exiverunt Civitatem, quæ remansit in manibus horum Bannitorum. Sicque Civitas repleta est homicidiariis, capistris, & advenis ribaldis, discurrentibus die ac nocte Civitatem cum armis, & comminantibus Rubeos saccomanare. Ipsa Civitas probis viris vacua remansit, sed plena his pessimis discolis, ad quam infiniti concurrebant, credentes facere saccomanum Rubeorum.

Fuerunt autem causa novitatum prædictarum, & amotionis Domini Cichi, Comes Johannes Bonromeus, & Petrus de Pusterla Mediolanenses ambo Gibellini, & inimicantes Domino Cicho, ad quod etiam se intromisit Domina Beatrix soror Ducis Herculis, & uxor quondam Domini Tristani Sforciæ, persuadens Dominæ Ducissæ remotionem Domini Cichi, ac acceptationem in gratiam Dominorum Ludovici, & Roberti.

Decessit in furno Modoëtiæ Donatus del Comite, de cujus morte Dominus Ludovicus valde doluit, cassusque fuit à Castellanaria Modoëtiæ quidam frater Domini Cichi, salvis personis, & rebus suis.

Restitutus fuit Franciscus Torellus gener Domini Roberti in fortilitio Gustallæ, à quo remotus fuerat. Comes Amphytrion etiam restitutus fuit in Castro suo Tizani. Comes Jacobus Scottus fuit restitutus in Castro Vigoleni, quibus privati fuerant ob eorum demerita, & in toto dominio Ducali factæ sunt similes aliæ novitates diversimode.

Mirum fuit, & incredibile, prætactum Dominum Robertum potuisse effugere, quin caperetur, vel profligaretur, quodque in gratiam Status Mediolani reverteretur, cum non haberet pecunias, cumque paucas & novas gentes haberet, cumque Januam fecisset deperdi. Sed potius nutu Dei hoc processit, nam ipse non habebat in suo exercitu ultra decem Squadras equorum, & aliquando gentes Ligæ in opposito suo in Lunesana fuerunt Squadræ quadraginta. Sed Dux Hercules, & Marchio Mantuæ numquam voluerunt ipsum Dominum Robertum profligare, prout poterant, ne pax sequeretur, & ne eorum stipendia tam cito cessarent; eratque in Mediolano maxima pars Civium, sibi, & Domino Ludovico amicantium, & faventium, quorum spe ducti ipsi Dominus Robertus, & Ludovicus semper alacres, & intrepidi manserunt.

In principio Novembris anni prædicti remissus fuit Parmam dictus Dominus Antonius Trottus pro Gubernatore, qui credebatur non amplius reverti; & cum fuit Parmæ, vocato Consilio generali, illos de tribus Squadris est exhortatus ad pacifice vivendum, comminans eos ex mandato Principum fallentes puniturum se, ab eisque requisivit eos, qui insultum fecerant contra provisionatos, & Cives Rubeos; sed fuit obauditus. Tantummodo carceravit duos, aliique multi capistri timentes capi, se partim absconderunt, partim recesserunt; claudique ordinavit omni nocte, prout antea fiebat, portonos plateæ, de quo hæ tres Squadræ doluerunt, dicentes hoc fieri, ex quo Status de eis videbatur non fidere, quibus Gubernator respondit, hanc non fore causam, sed ut executiones suas liberius facere posset.

Circa dimidium Novembris dicti anni 1479. filius Regis Ferdinandi, qui cum agmine suo obsidebat Castrum Collis agri Florentinorum munitissimum, vi & armata manu illud obtinuit cum maxima cæde suorum, in quo multas crudelitates egit. Post quam victoriam ipse cum suo exercitu ivit ad alloggiamenta, superveniente hyeme; sicque etiam agmen Florentinorum discessit, & petiit alloggiamenta in agro Florentino. Marchio Mantuæ, Dominus Arimini, & reliqui ductores, & armorum principales in patriam profecti sunt.

Hoc etiam tempore Azo Vicecomes Mediolanensis, qui erat Cognatus Domini Cichi, quique tempore saccomani Rubeorum Parmenses loco Principis gubernabat, cui etiam adscribebatur, quod male se deportaverat favens tribus Squadris, dolore detentionis Cognati, insaniæ sororis, & quia cesserat à regimine Status, infirmatus vitam emisit.

Multa autem tractata sunt in Consilio Status Mediolani pro adhibendo modo, quo dissensiones Parmensium extinguerentur. Cum autem electus fuisset Dominus Johannes Antonius Cotta Mediolanensis pro Gubernatore Parmæ loco Domini Antonii Trotti, re attamen ventilata, deliberatum fuit, eumdem reversurum in pristina Parmensium gubernatione; ad quam circa medium Novembris reversus est cum ampla impositione seditiosos, & male compositos, quorum inibi ingens caterva

va conspiciebatur, puniendi, & ex Urbe fugandi. Reversus, proclama delationis armorum publicavit, capique, & laqueo appendi nocturno tempore jussit vigesima septima Novembris Thomam de Guarinis juvenem insolentem, sequacem factionis Sanguinaciæ, qui vulneraverat unum ex Ducalibus provisionatis Marchini de Abiate plateas custodientibus eo sero, quo multi alii fuere vulnerati, pro ut enarratum est. Hic etiam interfuerat ad dejiciendum Portas Pontis lapidis in Flumine, percusserat patrem, ac vulneraverat quamdam mulierem. Quod sic actum tribus Squadris non mediocre molestum fuit, quæ simul unitæ magnopere questæ sunt coram dicto Domino Antonio Trotto, eidem si non palam, saltem verbis duplicibus, & venenatis minantes; ac etiam dicto Marchino mortem minati sunt, dicentes, ipsum fuisse auctorem dictæ appensionis. Cum autem nullus inesset tribus Squadris justitiæ metus, & arma ab insolentibus impune deferrentur, hic Marchinus, Vir dignus, accessit ad Principes nostros, à quibus benigne visus deputatus est ad custodiam Dominorum Ducum cum centum provisionatis loco Rubei, qui ex hoc seculo migraverat. Ægre ferentes hi de tribus Squadris mortem ignominiosam dicti appensi, numquam cessabant à minis, id etiam Squadræ Rubeæ adscribentes, de quo tamen ipsæ debebant esse tacitæ, quoniam unicus tot seditiosorum pro omnibus pœnas luerat.

Fuit hoc mense Novembris circa finem deputatus ad Consilium Status Mediolani Reverendissimus Dominus Ascanius Sforcia Protonotarius, & Episcopus Papiæ.

Octavo Decembris 1479. advenerunt nova Parmæ, qualiter Dominus Ludovicus ex Campofregosio Januensis proditione ceperat Civitatem Sarzanæ Lunensis agri, quam Florentini possidebant, eis alias per dictum Dominum Ludovicum pretio Ducatorum viginti quinque millium traditam.

Profectus est Mediolanum Reverendus Dominus Sagramorus Ariminensis Parmensis Episcopus etiam ad Consilium Status Mediolani constitutus, ut res Parmensium diffidentes componeret. Nam & proscripti Cives de tribus Squadris reversi instabant minis, & assiduis querelis, illis restitui eas libras decem septem mille, quas exsolverant pro saccomano Rubeorum. Rubei insuper instabant, exbursari eis residuum taxationis. Exules reversi vociferabant, quod eis per Rubeos resarcirentur eorum damna exilii prætacti; multumque dubitabatur, ne his stantibus Civitas ad arma, & deteriora prorumperet. Pauci vero ex Rubeis se palam exhibebant, multi latebant, quamplurimi ex Urbe discesserant. Tamdem re in Consilio Status ventilata, scripserunt Officialibus Parmæ Illustrissimi Domini nostri, quod pro componendis his altercationibus mandabant incantari additiones Communis Parmæ pro anno futuro, licet venditæ jam essent, & quod pretio illarum mensuatim exbursando satisfieret Civibus de tribus Squadris, quodque incantatores earum additionum expectarent in alio anno sequenti, & sic de anno in annum usque ad annum 1488. quo tempore annorum septem additiones quæcumque Communis venditæ fuerunt, & jam pecuniæ illius temporis consumtæ erant, ea lege quod exsolverentur ipsis incantatoribus ex denariis Communis libræ octo pro interesse singuli centenarii, quodque anno 1488. additiones dicti Communis saccomanatis assignarentur pro residuo satisfactionis saccomanati. Super quo congregatæ sunt multæ Credentiæ; convocatum est Consilium generale, quod haberi non potuit; facti sunt multi tractatus, multaque ordinata sunt superinde; sed Cives ex omnibus Squadris interesse in his additionibus habentes, qui erant quammulti, ad id noluerunt consentire. Cum autem Referendarius procederet ad incantum, ne id locum sortiretur, electi sunt ab Antianis quatuor Oratores missi ad Principes, qui fuerunt unus pro singula Squadra. Quid autem sequetur, ignoratur.

Duodecimo Decembris in mane dum Leonardus de Blondis senex, & de Squadra Rubea, auditâ Missâ, (nam erat dies Dominica) veniret, ut domum intraret pransurus, in vicinia Sancti Pauli insultatus clam à Francisco Mulinario de Pitochis de Squadra Sanguinacia, cujus pater Matthæus alias tortus fuerat ob Hectoris de Grandis proditionem, de qua superius dictum est, & criminabatur hic testificasse, cum gladio duobus vulneribus confossus in tergo, & obtruncatus fuit, de quo facinore nulla vel minima facta fuit mentio. Nam Potestas aberat, profectus Papiam, nullique aderant in Urbe provisionati, qui ob deperditam Sarzanam omnes accesserant ad custodiam Pontremuli.

Decimo octavo Decembris Dominus Johannes Bentivolus Bononiensis venit cum nobili comitiva Bononiensium ex Bononia Parmam iturus Mediolanum, alloggiavitque in Palatio Episcopali, quod præfatus Dominus Episcopus reædificavit, consolidavit, ac quasi denuo erexit mirum in modum, & ubi ipse Principes, & Nobiles transeuntes hospitatur.

Vigesimo tertio Decembris facta fuit crida in executione literarum Ducalium, quod nullus auderet aliquos bannitos receptare in Civitate, nec in Episcopatu Parmæ sub pœna in decretis contenta: qua facta banniti, qui erant reversi, justitiam non formidantes, arma omnes portabant, & facti sunt audentiores, quibus nihil dicebatur ob ipsam armorum delationem.

Ultimo Decembris anni 1479. factum fuit novum Consilium pro anno sequenti transmissum ex Mediolano, & dum darentur officia Communis ad brevia, Consilium solitum fieri in sero factum fuit in Tertiis, ob metum capistrorum arma deferentium, & minantium, quorum ibi est infinitus numerus euntium in nocte sine lumine, & multa mala impune perpetrantium.

Hac etiam die, & in Consilio prædicto, obtentum fuit, nemine discrepante, quod finita venditione additionum Communis, quæ durat per totum annum 1486. ipsæ additiones, quæ sunt Communis, adhibitæ semper super Datiis Ducalibus Parmæ, amplius non exigantur, ex quibus solent percipi singulo anno libræ sexdecim mille & ultra. Quod totum actum fuit, ne saccomanati ex illis consequantur satisfactionem suam in anno 1488. pro ut Principes ordinaverant.

Laurentius Medicus Florentinus cum Salvoconducto Regis Ferdinandi, & dato obside altero ex filiis dicti Regis in manibus Regis Franciæ, ivit Neapolim, ex quo speratur pacem secuturam, pro qua Mediolanum profecti sunt Oratores dictorum Regum, Florentino-

norum, Venetorum, Bononiensium, & aliorum Dominorum Italiæ.

Hoc anno valuit frumentum soldis sedecim pro singulo stario ad plus. Non fuerunt nives, neque glacies. Paucæ fuerunt pluviæ, & nulli venti flaverunt. Hoc enim mense Decembris amygdalæ floruerunt, & etiam pruni sylvestres, unde speratur de bono in melius. Et tota hyems dicti anni 1479. & etiam Januarius, & Februarius anni 1480. satis boni. Februarius tamen fuit cum aliquibus nivibus liquefactis, & frigidor, ac humidior Januario.

Anno 1480.

Primo Januarii anni 1480. intravit pro Potestate Parmæ insignis Doctor Dominus Raphaël de Inviciatis de Alexandria cum maximo honore, quo tempore hic se reperierunt tres Officiales de Alexandria, scilicet Dominus Antonius Trottus pro Gubernatore, Dominus Raphaël Inviciatus pro Potestate, Lucianus pro Officiale bullettarum loco Zannini Barbati.

Quarto Januarii in nocte multi & quammulti capistri, Deum, nec justitiam timentes, se armaverunt, & insultaverunt militem dicti Potestatis in plateis cum familia sua, quemcum una partisana in coxa atrociter vulneraverunt, ad hoc ne in nocte auderet per Civitatem ire, ut moris est, & quia nocte præcedenti ceperat nonnullos juvenes repertos sine lumine, & ut possent liberius in nocte per Civitatem ambulare.

Et hac quidem die reversi sunt ad Civitatem Parmæ illi quatuor Oratores missi, ne additiones anni præsentis darentur Civibus trium Squadrarum, qui exsolverant saccomanatis libras decem septem mille, circa quod nihil obtinuerunt.

In principio Januarii anni præsentis 1480. captus fuerat in Curia magni Turchi Franciscus de Bardis Civis Florentinus magnanimus, qui fuerat primus in vulnerando Julianum Medicum in Ecclesia Sanctæ Liberatæ, & illum Turchus audita morte tanti viri remisit Florentiam ligatum, qui immediate fuit appensus.

Maxima hoc tempore fuit Mediolani contentio inter Oratores ibi existentes ut supra, & regentes Statum Ducalem, pro firmanda, vel infirmanda Liga & Pace; nam diversi diversa sentiebant, & appetebant. Multa enim homicidia facta sunt in Mediolano, & multi affectabant subversionem Status, & ut novas res viderent; sicque omnes populi trepidabant, ne guerra, & impedimentum inferretur Statui Mediolani.

Scripserunt Illustrissimi Domini nostri Officialibus, & Antianis Parmæ, quod omnino additiones assignarentur modo, quo supra alias scriptum exstitit, & sic quod pro annis octo stent obligatæ, & quod dispensentur hoc anno his qui exsolverunt Rubeis saccomanatis libras decemseptem mille, reliquis sex annis continuis incantatoribus earum cum interesse librarum octo pro singulo centenario ob supportationem de anno in annum, & quod pro anno 1488. sint saccomanatorum pro residuo damni eorum.

Ut autem hæ additiones levarentur, & satisfieret quibuscumque Creditoribus Communis, facta fuit maxima practica per Antianos, quod quælibet Universitas Parmæ aliquid exsolveret, saltem id quod pro additionibus suorum introituum unius anni solverent, ut videretur quantum cumulari possit, & si tantum daretur, quantum ipsum debitum Communis capit pro annis octo, quod debitum excedit summam librarum octuaginta millium, & ultra. Repertæque sunt multæ Universitates multas pecunias offerentes pro liberanda Communitate, & pro tollendis in perpetuo additionibus. Clerus obtulit Ducatos mille. Ars Lanæ tantundem. Aromatarii libras trecentas. Reverendus Dominus Episcopus Ducatos trecentum. Et sic aliæ Universitates. Deliberabatur etiam in agro Parmensi inter districtuales imponere collectam. Hæc pendent. Quid sequetur, ignoratur.

Magna fama fuit in medio dicti mensis Januarii, quod Dux Hercules Estensis Capitaneus Ligæ ob gressum Laurentii Medici ad Regem Ferdinandum, factus fuerat Capitaneus Venetorum; cumque pro Statu Mediolani missus fuerit Ferrariam Dominus Petrus de Pusterula in Oratorem pro consequendo ab eo Bersillum, & Castrumnovum Parmense, ipse Dux recusans ea optime munivit.

Die 23. Januarii 1480. recessit ex Parma Reverendus Dominus Episcopus Parmæ vocatus Mediolanum in Consilio Status, in quo deputatus est.

Circa finem Januarii dicti anni 1480. Dominus Petrus de Pusterula unus ex Consiliariis Status Mediolani missus Ferrariam, ut supra dictum est, ibi diem suum clausit extremum.

Eodem anno 1480. in fine Januarii Dominus Johannes Bentivolus Bononiensis, qui accesserat Mediolanum armorum Ductor Status Mediolani cum comitiva centum helmium, & provisione annua decem mille aureorum, benigne visus fuit nedum ab Illustrissimis Dominis nostris, verum etiam à toto Populo honoratus, & donatus introitu Pontis Piceleonis, & duobus Castris in Cremonensi reditus quingentorum aureorum, cum accrescimento duorum mille aureorum, & ducentorum equorum de provisione recessit ex Mediolano, & in patriam rediit.

Hoc quidem mense Januarii ex commissione Pontificali Reverendus Dominus Ascanius Sforcia Vicecomes per sententiam privavit filios Domini Cichi Simonettæ, & Orphæi de Ricavo, beneficiis eorum, quæ multa erant, eis adscriptâ causâ, quod ut fautores Florentinorum contra Ecclesiam erant excommunicati. Sicque ea diversis personis fuerunt collata.

Secunda die Februarii 1480. dum Miles Domini Potestatis Parmæ insequeretur cum solo famulo nonnullos larvatos, fustes deferentes in contemtum proclamationum in cœmeterio Ecclesiæ Sancti Odorici, ab eisdem insultatus, & armis illico obtruncatus est. Hic erat ille, qui secunda nocte introitus officii dicti Potestatis insultatus, & vulneratus fuerat, ut narratum est.

Tertia die Februarii factum fuit proclama parte Domini Gubernatoris, & Antianorum, quod amplius non fiant larvati sub pœna furcarum, ne fiant homicidia, vel alia scandala. Et quod si quis denuntiaverit dictos homicidas, lucretur aureos quinquaginta.

Maxima enim usi sunt crudelitate dicti interfectores Militis dicti Potestatis. Ut supra narratum est, secunda nocte, qua Potestas introitum fecerat, insultatus fuit in plateis, & vul-

vulneratus in coxa, quoniam reputabatur magnanimus, & Capistri deliberabant ipsum terrere, ut liberius in nocte cum armis, & sine lumine spatiarentur. Alia autem nocte ipsum cum familia in caput Pontis transeuntem, ne rediret citra, custodientes clauserunt hi Capistri Portas Pontis lapidis, & Portonos tres plateæ, ut illum occiderent, tamdem evasit illæsus. Factis proclamationibus, ne larvati arma, nec fustes portarent, sine numero, nulloque obsistente metu, omnes arma fustesque deferebant. Quatuor ex his larvatis fustibus armatos hic Miles jussu Potestatisinse quebatur cum solo famulo, eos dignoscendi causâ, quem aggredientes in cœmeterio Ecclesiæ Sancti Odorici, & in Ecclesia fugientem ense dejecto, ea in Ecclesia cum ballottis plumbeis, & fustibus percussum, ab Ecclesia vi & misericordiam supplicantem ejecerunt, atque exportaverunt, armisque & undecim lethalibus vulneribus confossum eo in cœmeterio, & exanimem liquerunt. In quo homicidio tantùm culpati sunt hi de tribus Squadris, quos nemo ausus est propalare.

Die septimo Februarii 1480. de commissione Ducali factum fuit parte Dominorum Gubernatoris, & Potestatis Parmæ publicum proclama, quod qui denuntiaret homicidas Militis dicti Potestatis, lucraretur vigintiquinque Ducatos ultra illos quinquaginta promissos in aliis cridis. Qui autem ex sociis alios notificaret, gratiam lucraretur. Qui autem malefactores sciret, & non propalaret, in eadem, qua homicida, pœna puniretur.

Magnus Turchus ex magno major cupiens fieri, maximo cum navigio exercitum suum posuit Rhodi, ubi quammultæ Venetianæ naves aderant, quibus fœdera rupit; nam in pace intra se anno curso firmata exstabat Capitulum, quod ubi alterius partis navigia reperirentur, altera pars superveniens cederet, & nullum illic loci inferret nocumentum.

Hoc quidem mense Februarii, & in principio illius, Oratores Veneti, qui jam multo tempore Mediolani moram fecerant, ne à colligatione Status Mediolani discederent, ab inde male contenti, & voti sui non compotes in patriam redierunt.

Octavo Februarii dicti anni 1480. Borsius filius Domini Manfredi de Corrigia venit Parmam, iturus Mediolanum, & alloggiavit in domibus Domini Johannis Francisci Cantelli. Nona autem die recessit pergens Fontanellatam pro uno sero. Nam Comes Jacobus de Sancto Vitali filius quondam Comitis Stephani de recenti susceperat in uxorem sororem dicti Borsii, mortua prima ejus uxore filia Domini Johannis de Scipiono ex Pallavicinis. Fuit mirum, quod eo anno, quo idem Dominus Johannes de Scipiono decessit, ut narratum est, eo quidem tempore frater ejus Dominus Nicolaus in prœlio Ducali contra Januenses obtruncatus est, uxor quoque, & dicta ejus filia pariter vitam finiverunt.

Quo quidem mense Februarii, & Januarii præcedentis quammulta homicidia commissa sunt Mediolani, ob quod deputatus fuit illic Barisellus animosus cum centum provisionatis cum omnimoda potestate, ut deferentes arma, euntes in nocte sine lumine, rixantes, & scandala committentes caperet, & immediate, ac de facto puniret arbitrio suo, quique alias Civitates & loca Status Mediolani percurreret.

A

B

C

D

E

Svizari quoque nulla cum Statu Mediolani pace firmata, hoc tempore recessus Venetorum, miserunt Oratores suos Mediolanum.

Fama fuit, quod Rex Ferdinandus detinuit Neapoli Laurentium Medicum anno proxime curso illuc profectum.

In principio dicti mensis Februarii occisus fuit, & obtruncatus à mascheris in Civitate Bononiæ unus ex sexdecim Rectoribus Civitatis.

Quia Orator Venetiarum, qui multo tempore moram trahens Mediolani, recesserat, alius Orator Venetus loco sui venit Mediolanum, ubi multa fuit dissensio pro confœderatione dissolvenda, ad quod Dominus Robertus ex Sancto Severino multum in favorem Regis Ferdinandi elaborabat. Cupiens itaque Illustrissima Domina Ducissa quietem, noluit ipsam colligationem dissolvi.

Quinto decimo Februarii dicti anni 1480. ob mortem suprascripti Militis Domini Potestatis, quoniam nullæ fiebant executiones in Civitate, venerunt Parmam quinquaginta provisionati Ducales, quorum caput est Johannes de Verona, qui attamen parum à Capistris metuebantur. Nam nocte decimi octavi diei Februarii dejectus fuit murus plateæ versus Ecclesiam Sancti Matthæi sub quadam fenestra domus existentis prope portellum, in qua quidam Hebræus revenditor, & dives quammulta habebat bona, quæ per ipsam rupturam furata sunt. Nec potuerunt inveniri latrones, ex quo Hæbræus asserebat damnum recepisse de Ducatis quatuorcentum.

Hoc etiam mense decessit Illustris Dominus Pinus Forlivii Dominus, qui alias, ut solus dominaretur, Fratrem obtruncaverat.

Vigesimo primo Februarii Reverendus Dominus Episcopus Parmensis reversus Parmam jussu Illustrissimorum Dominorum nostrorum, convocatis Officialibus, Antianis, & multis Credentiariis, publicavit Ducales litteras disponentes, quod additiones Communitatis leventur, & satisfiat habere debentibus, scilicet emtoribus ipsarum additionum, Saccomanatis de Squadra Rubea, & his, qui exsolverant Saccomanatis libras decemseptem mille, cum potestate, ut præmissa fiant, quod ponatur una collecta in Civitate, & Episcopatu Parmæ, ad quod ipse Dominus Episcopus Cives magnopere est exhortatus, cui est responsum, quod superinde fiet opportuna provisio.

Vigesimo tertio Februarii Antiani elegerunt tres pro singula Squadra notabiles Cives causâ faciendi compartitum in Civitate, & Episcopatu pro subsidio levandarum additionum in executione literarum Ducalium, de quibus supra.

Item levaverunt multa Officia inutilia, quæ dabantur in Consilio omni anno ad sortem.

Borsius de Corrigia, qui iverat Mediolanum, credens multa habere, penultimo Februarii reversus est, nec illi de aliquo fuit provisum, & noluit intrare Parmam, sed ab extra transivit.

Circa finem Februarii dicti anni 1480. in nocte derobata fuit Speciaria Melchioris de Burgo super angulo Sanctæ Christinæ, cum ejus maximo damno, dejecto & fracto ostio. Derobatus etiam fuit in stabulo unus manzius in vicinia Sancti Pauli. Facta sunt & alia multa furta in Civitate impunita, quia noctis tem-

tempore familia Domini Potestatis, nec Provisionati ausi sunt ire per Civitatem, nec aliquam facere executionem. Fuitque in Villa de Henzolla destructum Molendinum hereditatis Philippi de Henzolla legatæ Consortialibus Ecclesiæ majoris Parmensis, pro quo litem habebant cum Infirmis Sancti Lazari prætendentibus ipsam hereditatem sibi spectare, cum dictus Philippus decesserit lazarosus. Cui destructioni interfuerunt forte quadraginta personæ larvatæ cum armis, ne dignoscerentur, de quo nulla est facta punitio.

Primo Martii 1480. in executione Ducalium literarum jussi sunt ire Mediolanum duodecim Juvenes lascivi & dissoluti de tribus Squadris, totam Civitatem die ac nocte infestantibus, quibus adscribitur culpa furtorum prædictorum.

Recesserunt itaque à Parma quatuor Juvenes lascivi de tribus Squadris, qui dicuntur interfecisse Militem Potestatis, qui sunt hi, videlicet: Bernardinus de Manfris, Contus, Parmisanus, & Petrus de Furno. Scripserunt itaque Illustrissimi Domini nostri, quod procedatur contra homicidas dicti Militis tamquam in crimine læsæ Majestatis, qui quatuor una cum aliis duodecim jussis, ut supra, totam Civitatem molestabant, fauti à principalibus trium Squadrarum, non verentes Deum, neque Officiales; & licet pauperes, & ullo sine exercitio, laute & pompose induebant, & vivebant.

Dicta die prima Martii publicatæ sunt in Antianatu, & Credentia quammultorum Civium, Ducales literæ, qualiter Illustrissimi Domini nostri justificate detinuerant Reverendissimum Dominum Ascanium Sfortiam Protonotarium patruum Domini Ducis, quam causam postea intelligerent, quam detentionem fecerant vigesima octava Februarii elapsi, de quo non debebant admirari, sed vivere quiete.

Quarto Martii Illustrissimi Domini nostri scripserunt Officialibus, & Antianis Civitatis Parmæ, qualiter detentio, quam fecerant de Reverendissimo Domino Ascanio prædicto, processerat ex eo, quia ipse seminabat discordias inter Cives Mediolani, & quod ipsum miserant moraturum Ferrariæ. Unde etiam jusserant permultos Cives Mediolani Caporales, eorum quemque arma portare in Castro Portæ Jovis, & quæ sine strepitu, & nemine contradicente portata fuerant. Quodque retinuerant detentos tres ipsius Domini Ascanii in præmissis consultores, scilicet Fratrem de Lonate Papiensem, Gasparem Tuscanum Mediolanensem, & Dominum Cavalchinum de Guidobonis Terdonensem, omnes tres Gibellinos. Ob quod illi de tribus Squadris Parmæ multum in armis & in consiliis intra se steterunt.

Eamet die, qua fuit detentus præfatus Dominus Ascanius, facta fuit novitas, & motio armorum Cremonæ inter Guelfos, & Gibellinos. Nam quidam Lucas de Lupis, qui fuerat Mediolani pro Oratore Cremonensium, requirens solutionem cavalcatæ suæ, & videns sibi illam denegari, minatus fuit in Antianatu, quod nisi sibi satisfieret, sanguis iret ad cœlum. Ex quo à Commissario detentus, pars sua, scilicet Gibellini, & pars adversa, scilicet Guelfa, se posuerunt in armis: ob quod Illustrissimi Domini nostri pro sedandis rumoribus illuc miserunt ducentos Ducales famulos, & multos pedites, ubi tamen nullum aliud est secutum scandalum. Attamen detenti fuerunt in Castro quamplures Caporales utriusque partis. Qui postea fuerunt relegati Mediolani.

Præfatus Dominus Ascanius relegatus Ferrariæ associatus fuit per flumen Padi in Bucintorio Ducali cum comitiva certorum Nobilium Mediolanensium, & multis peditibus, nec umquam descendit ad terram, sed recta via in aqua semper ivit infra.

Multa, & varia de hoc in Populis ferebantur, & ultimate habetur conclusio, quod hic Dominus Ascanius residens in Curia veteri, persuasu suprascriptorum trium, ut præmittitur, detentorum ipsum consulentium, recusabat ire pro Consultore in Castro, & nitebatur Consilium Status fieri, ubi ipse residebat, & non in Castro, ad quod sic fiendum invitaverat Illustrem Dominum Ludovicum germanum suum, & ipsum huic non consentienti persuadebat saltem Consilium ipsum Status fieri in camera ipsius Domini Ludovici in Castro, cui etiam minus voluit assentire. Et super hoc tentati fuerunt multi Cives ex principalioribus Mediolani. Et ideo ne hæc practica ulterius procederet, neve scandalum ullum sequeretur, processerunt detentio, relegatio, & armorum ablatio, de quibus supra, quæ satis quietum finem habuerunt.

Sanctissimus Dominus noster Papa Sixtus ob novitatem Magni Turchi factam contra Rhodum, in quo dictum fuit habere proditionem, & proditores obtruncatos fuisse, seque cum omni suo exercitu ab obsidione Civitatis levasse, concessit Bullas toti Ordini Cruciferorum Hierosolymitanorum in tota Christianitate, quod quibuscumque Christicolis vere pœnitentibus & confessis, visitantibus semel tantum Ecclesiam Beati Johannis Hierosolymitani cujuslibet Civitatis, & quidcumque arbitrio euntium offerentibus in auxilio expeditionis contra Turchos, indulgebat remissionem plenariam peccatorum suorum, dando deputatis super inde omnimodam auctoritatem absolutionis, permutationis votorum, salvo visitationis Basilicarum Petri, & Pauli, ultramarino Sepulchri Domini, Sancti Jacobi de Gallicia, Castitatis, ingressus Religionis, Absolutionis à Simoniaca labe quacumque. Quæ Indulgentia durabat à die Palmarum anni 1480. usque per annum integrum exinde secuturum.

Quæ Bulla vigesimo quinto Martii, quo celebratur Annunciatio B. Virginis, portata fuit per Reverendum Dominum Episcopum Parmensem cum Clero, & cum processione, toto Populo, & Officialibus associante, in Capite Pontis ad Ecclesiam Sancti Johannis, ibique super Altari reposita, ubi ordinati sunt multi Religiosi Confessores, & ad quam maximus habitus est recursus.

Post relegationem factam Ferrariæ de Reverendissimo Domino Ascanio, Illustrissimi Domini nostri relegaverunt Leoni ultra montes sex Cives Mediolani, scilicet tres Gibellinos, & tres Guelfos, ne tumultus oriretur in populo ob horum ambitiones; & mirum fuit, quod in his relegationibus, & in portationibus armorum factis à toto populo in Castro, quod nullum successerit scandalum. Nam omnes fuere obedientes. Jussumque fuit Messaliæ, & omnibus armarolis Mediolani, sub pœna rebellionis, quod nulli arma venderent sine licentia Ducali.

Die

Die vigesimo Martii 1480. facta fuit magna Credentia quammultorum Civium omnium Squadrarum Parmæ coram Reverendo Domino Episcopo Parmensi, & aliis Officialibus in Palatio Episcopali, ubi lectæ sunt Ducales literæ infrascriptæ pro pace totius Italiæ facta, & conclusa Neapoli, quæ ab omnibus tranquillitatem, justitiamque appetentibus desiderabatur. Quarum literarum est tener, videlicet.

Duces Mediolani &c. Reverende in Christo Pater, ac Dilectissimi nostri.

AVendo ozi avuto letere dalli nostri Ambassatori, che sono a Napoli, per le quali c' è notificato, come mediante la divina grazia alli XIII. zorni del presente mese fu conclusa la pace universale di tutta Italia, la qual si ha a publicare alli dì XXV. del presente mese. Ne è parso comunicare con Voi questa bona novella, rendendone certi, che debbiate prendere Vui, e tutti quelli nostri Cittadini, & subditi piacere, & consolazione. Et per renderne debite grazie al nostro Signore Dio, dal quale procedono tutte le cose buone, volemo, che a dì XXV. del presente la facciate publicare solennemente in quella nostra Città, & facciate fare processione, & fallodi con feste di suono di campane tanto in la Città como in le Terre, & lochi principali del distretto per tre dì continui, cominciando l'antedicto XXV. dì del presente.

Datum Mediolani XVIII. Martii 1480.

B. Calcus.

Reverendo in Christo Patri Domino Sa. Episcopo Parmensi, nec non spectabili Militi Domino Antonio Trotto Consiliario, Armorum Ductori, & Gubernatori Parmæ. Ac Nobilibus Viris Potestati, Referendario, & Antianis nostris ibidem.

Quia decimo nono Martii, qua die celebratum fuit Festum Sancti Lazari, ubi totus Populus confluebat more consueto, multi Capistri ex alias bannitis, cum armis & corazinis ad ipsum Festum in magno numero accesserant, ubi etiam illi, quos superius quatuor descripsi, occisores Militis Potestatis, & ille, qui Leonardum Blondum interfecerat, venerant armati, ut Gubernatorem, & alios ex principalibus Squadræ Rubeæ trucidarent, quorum nullus ad ipsum Festum accessit: præfati Dominus Episcopus, & Gubernator multum se cum Civibus condoluerunt de tanta audacia dictorum Capistrorum, coram quibus Domino Episcopo, Officialibus, Antianis, & Civibus facta exstitit fides, qualiter Militis occisores miserant dictum Gubernatori prætacto, quod ipsum mactarent, vel ejus filium in brevi, quod bonis & rectis viris permaxime displicuit.

Laurentius Medicus Florentinus, qui anno proxime curso accesserat Neapolim, hoc tempore hilaris & cum bona pace Regis, ac cum restitutione Castrorum in agro Florentino occupatorum, rediit Florentiam, & à Rege visus est læto & jucundo animo, ac splendide donatus. Cui Regi Laurentius ipse multa pretiosa condonavit, & maxime giolias ei alias pro guerra Regni sibi impegnatas. Hic etiam Laurentius Neapoli exemit à vinculis galearum centum captivos, quos veste & caligis panni viridis induit, ac cuilibet eorum decem aureos est elargitus.

Die vigesimo primo Martii Armigeri Illustris Domini Roberti, qui anno proxime curso in principio hyemis iverant in Romandiola, reversi sunt in Parmensi ob pacem factam ut supra.

Vigesimo quinto Martii, quo celebratur Annunciatio Beatæ Virginis, in mane cum tubis in pleno Populo sunt publicatæ dictæ literæ Ducales Pacis universæ Italiæ, ex quo triduana processio cum sonitibus campanarum festivis facta fuit, & cum fallodiis, Domino Episcopo, toto Clero, omnibus Religiosis, & Populo processionaliter euntibus, omnipotentem Deum, & Beatam Virginem laudantibus, & hosanna clamantibus.

Hoc mense Martii, quoniam multa enormia fiebant Mutinæ absque ulla punitione, deputatus fuit per Illustrissimum Dominum Ducem Ferrariæ, & illuc missus pro correctione seditiosorum Magnificus Dominus Laurentius de Pisauro cum comitiva multorum peditum, & cum maxima potestate, & auctoritate, cujus gubernationi etiam suberat Regium, ubi etiam multa enormia fiebant, in cujus adventu infiniti Capistri metu justitiæ è patria in alienas regiones aufugerunt.

Videtur autem, quod in pace, de qua supra dictum est, non intervenerint Veneti, sed bene possint cum certis conditionibus in ea in certo termino intrare. Et ob hoc exorta quadam suspicione, Veneti ipsi miserunt in Brixiensi agro ad confinia juxta flumen Olii multas gentes; & è converso, & ex eorum opposito ipsorum confinium, Status Mediolani misit aliquas gentes armigeras. Quid autem sequetur, incertum est.

Hoc tempore mensis Martii detentus fuit Cesenæ Dominus Patriarcha illic pro Ecclesia existens Gubernator, qui est Venetus, de quo multa dicuntur, maxime quod Venetis favebat, ductusque fuit Romam.

Quarto die Aprilis 1480. Dominus Antonius Trottus de Alexandria Parmæ Gubernator recessit, & ivit in Patriam, diciturque ipsum amplius non rediturum. Nam homo hic bonus erat pastor, sed non aptus tali regimini.

Tertio Aprilis antedicti fuit maximum frigus, ac ninxit, & glacies apparuit, quod omnibus fuit mirum.

Superius primo Martii scriptum est, qualiter duodecim Juvenes lascivi jussi fuerant ire Mediolanum. Nunc autem dicitur, quod noluerunt obedire. Et causa est, quia nulla ibi fit justitia, & omnes sine metu arma fuerunt, vaditurque in nocte per insolentes in maximo numero, & catervatim cum armis: ostia, & fenestræ Civium propulsantur: multa fiunt furta, nec providetur.

Scriptæ sunt literæ hoc mense Aprilis 1480. à Magistro Rhodi, qualiter quidam Capitaneus magni Turchi cum centum quinquaginta navibus armatis venerat in Insula Rhodi, & descendens ad terram cum multis equis & pedonibus discurrerat Insulam faciendo prædam bestiaminum, quæ postea recuperata sunt, & obsidens cum quatuor bombardis quoddam Castrum, tum impulsus fortuna maris, tum ob alacrem Christianorum defensionem, coactus fuit recedere, dimissis illic bombardis, & interfectis ex suis forte quatuorcentis. Cumque applicuisset Constantinopolim, ubi aderat Turchus, fuit decapitatus, & multi alii Caporales dictæ Armatæ diversis cruciatibus affecti sunt ob dedecus receptum in dicta Insula

sula Rhodi. Propter quod Turchus ipse omnem suum conatum præparabat, ut dictam Insulam potestati suæ submitteret. Unde per totam Christianitatem factus est Jubilæus superius enarratus, ut Rhodo succurratur.

Octavo Aprilis quidam Antonius de Maffonibus juvenis lascivus de Squadra Corrigiensi, dum rixam haberet cum Milano Conestabile Portæ Sancti Michaëlis prope fontem Valdorii intra Civitatem, fuit cum ense multis vulneribus mactatus illico. Hic enim fuerat in saccomano Rubeorum, maxime Abbatiæ Sancti Johannis, patrem percusserat, & paulo ante suam occisionem dicebat non fuisse confessum peccata sua jam annis tribus, & velle sic stare annis decem.

Duodecimo Aprilis dicti anni Ludovicus filius Sebastiani de Bergonziis, Civis Parmæ de Squadra Corrigiensi existens in plateis Communis intra tabulas Campsorum, insultavit, & cum cultella in femore transfixit Bernardinum de Cavalletto etiam de dicta Squadra; ob quod tertiodecimo dicti mensis parte Domini Commissarii, & Domini Potestatis fuit bannitus, & publicatus pro bannito dictus Ludovicus Bergonzius. Et ulterius fuit proclamatum in executione Ducalium literarum, ne quispiam tam Civis, quam soldatus posset die vel nocte arma offensibilia, sive defensibilia ferre sub pœna in aliis Cridis contenta.

Die quintadecima Aprilis facta fuit Crida in Civitate Parmæ parte Ducali, quod in toto dominio Ducali non expendatur alia moneta quam Ducalis.

Sextodecimo Aprilis Reverendus Dominus Episcopus Parmensis coram se vocari fecit Antianos cum septem adjunctis de qualibet Squadra propter delationes armorum, propter furta, & tot maleficia, quæ in dies impune committuntur, requirens à Civibus subsidium, & omnes exorans ad obedientiam, & ad bene, & recte vivendum.

Illustrissimi Domini Ducissa, & Dux Mediolani condonaverunt Illustri Domino Ludovico Sforciæ Vicecomiti Gubernatori generali Status Mediolani Castrum Sartiranæ, quod fuerat Domini Cichi. Item Illustri Domino Roberto de Sancto Severino Castrum Sallarum, quod etiam fuit dicti Domini Cichi.

Vigesimo Aprilis transiverunt per Parmam duo Oratores Illustrissimorum Dominorum Ducum Mediolani, quorum alter est Præceptor Sancti Antonii in Mediolano, & de Domo Trivultiorum, euntes Romam ad Pontificem. Nam dictum fuit in discessu Laurentii Medici Florentini à Neapoli, ipsum promisisse infra mensem Regi Ferdinando mittere viginti quinque mille aureos, & sic singulo anno usque ad summam trecentorum mille aureorum, si pax debuit fieri. Et cum fuit Florentiæ, abnegasse dictam promissionem tamquam meticulosam: quod Dominus Pontifex sentiens, qui multa in bellis præteritis exposuerat, & nulla sibi fiebat restitutio, ægre tulit; tractaturque denuo alia pax, & colligatio per Sanctitatem suam cum Statu Mediolani hac pro causa. Famaque fuit hac die, quod filius dicti Regis adhuc existens in Senensi agro tractatum habuerat in Pisis, quod succedere non potuit.

Vigesimo tertio Aprilis scriptæ sunt ex Placentia Parmæ literæ, qualiter quidam Squadrerius armorum verba habens cum Potestate Placentiæ, cum ense illi caput amputavit.

A Mense quidem hoc Aprilis fuerunt magnæ pluviæ, ac aquarum, & fluminum inundationes; duravit pluvia diebus quindecim continuis, ob quod maximæ factæ sunt processiones. Crevit Padus immense, rupit aggeres in multis locis, pontes abduxit, multos suffocavit, multa ædificia dejecit, & multum, & grande mirum fuit.

Reperta sunt ad Pontem Placentiæ super flumine Padi corpora septem hominum decapitatorum simul in una fune alligata.

Vigesimo quarto Aprilis, qua Festum Sancti Georgii celebratur, Comes Petrus de Verme duxit in uxorem quamdam filiam naturalem quondam Illustrissimi Domini Ducis Galeaz, ob quod in Castro Mediolani factum fuit solenne festum. B

Vigesimo quinto Aprilis per Ducales Provisionatos de mandato filii, & Locumtenentis Gubernatoris Parmæ, captus fuit in Villa Ramoselli prope Parmam Petrus de Furno de Squadra Sancti Vitalis, unus ex his, qui militem Potestatis occiderant; dumque duceretur, comminatum fuit dicto Locumtenenti per Capistros dicentes, se arma capere velle, & illi auferre dictum Petrum: ex quo subito missus fuit unus Caballarius versus ducentes dictum Petrum, qui illum relaxarent, & ita factum est.

C Illustris Dominus Ludovicus Sforcia Vicecomes Ducalis generalis Gubernator, & qui mortuo fratre Sforcia Duce Barri ipsum Ducatum obtinuit à Rege Ferdinando, matrimonium contraxit cum filia Ducis Herculis Estensis ætatis annorum sex existente Neapoli penes Regem Ferdinandum hoc mense Aprilis.

Magnus Turchus, qui anno præterito pacem cum Venetis contraxerat cum multis capitulis, ut superius narratum est, tamquam fœdifragus rupta pace hoc mense Aprilis guerram movit dictis Venetis.

Quinto Maji anni 1480. scriptæ sunt literæ ex Mediolano Reverendissimo Domino Parmensi Episcopo in Parma, qualiter Veneti, qui dicebantur non intervenisse in pace, de qua supra est narratum, publicata quarto Martii, contraxerant pacem cum summo Pontifice. D

Hoc insuper tempore contracta fuit affinitas inter Illustrissimos Dominos Ducem Ferrariæ Herculem Estensem, & Federicum Marchionem Mantuæ, nam filia Ducis Herculis data est in matrimonio filio Marchionis Mantuæ.

Septimo Maji cum in Parma nullum jus redderetur metu Capistrorum undique decurrentium die nocteque impune, captus fuit prope Monasterium Sanctæ Claræ in mane per duos Capistros quidam Hebræus forensis, & jussus marsupium exhibere, ut videretur, an pecunias prohibitas haberet. Vi sibi marsupium cum pecuniis ablatum fuit, ac vix vitam clamans evasit. E

Qua etiam die quidam mutus mendicus nomine Vaninus existens in Ecclesia Sanctæ Trinitatis, captus prope altare à duobus Capistris, & involutus capiti cum gausape altaris, derobatus fuit, & spoliatus aureis quinque de die clara.

Dum in Parma multa enormia impunita fierent, quadam nocte quidam Juvenes lascivi de Capite Pontis dejecerunt ostia domus cujusdam paupercuIæ Juvenis, quam vi supposuerunt turpiter, & inhoneste: de quo nulla facta fuit justitia.

In

In principio hujus mensis Maji Sanctissimus Dominus noster Papa Sixtus interdixit Florentinos, ad quem cum misissent in Oratorem quemdam Fratrem Magistrum in Theologia, dictum fuit, Pontificem illum denudari fecisse, ac conduci super asello per Romam cum cauda in manibus, sicque in itinere virgis scuticari. Et Florentini metuentes guerram, fecerunt maxima vasa argentea in Ecclesiis suis ad divina deputata reduci in monetis, hocque interim parari bellum Lucensibus, qui omnes eorum ruricolas reduci jusserunt ad fortilicia.

Undecimo Maji dum quidam Hebræus forensis coquinam fecisset quibusdam nuptiis Hebraicis in Parma, discedens visus numerare certas pecunias, cum applicuisset ultra & prope pontem Sorbuli versus Bersillum, à duobus Capistris incognitis, vulneribus tredecim crudeliter confossus, mactatus, & denudatus fuit.

Die vigesimo primo Maji 1480. per literas Ducales factæ sunt solemnes festivitates in Parma, & toto dominio Ducali, quoniam confirmata est affinitas Serenissimi Regis Ferdinandi cum Illustrissimo Domino Duce Johanne Galeaz Maria, scilicet quod illi data est in uxorem Domina Isabella nata ex Domina Hippolyta sorore alias Ducis Galeaz, & uxore Ducis Calabriæ filii dicti Regis Ferdinandi, quæ est ejus consanguinea, & est ætatis annorum decem. Dataque fuit Illustri Domino Ludovico Sforciæ patruo Domini Ducis primogenita Ducis Herculis Estensis ætatis annorum sex, factaque fuit pax perpetua cum Svizaris.

In Festo Ascensionis Domini nostri Jesu Christi anni præsentis, quæ fuit undecima Maji, in Civitate Venetiarum fuit publicata solemniter Liga, & confœderatio facta inter Ecclesiam, & Venetos.

Vigesimo sexto Maji 1480. Illustriss. Dominus Robertus de Sancto Severino deputatus ad regimen Status Mediolani cum Illustris Domino Ludovico Sforcia Duce Barri, Ducalis Status generali Gubernatore, applicuit in Castro Colurnii, iturus Senas, ubi dicitur esse Dux Calabriæ primogenitus Regis Ferdinandi. Ad quem visendum accesserunt Reverendissimus Dominus Sagramorus Episcopus Parmensis, Dominus Potestas, & multi Cives ex primis trium Squadrarum.

Qua etiam die reversus est Parmam pro Gubernatore Dominus Antonius Trottus de Alexandria, qui recesserat, ut supra narratum est, ubi etiam venerunt centum pedites pro custodia Civitatis, & ob infinitas insolentias Juvenum.

Die vigesimo septimo Maji tempestive Dominus Robertus de Sancto Severino recessit ex Colurnio, & ivit Guastallam, ubi habet filiam maritatam, ad prandendum, diciturque ipsum ire Ferrariam, & exinde Senas.

Ultimo Maji Dominus Antonius Trottus Gubernator Parmæ, convocatis Antianis, & multis Civibus, licentiam suscepit ab omnibus recessurus ab officio, loco cujus intravit Dominus Petrus Trottus etiam Alexandrinus Doctor, qui legi fecit literas dicti officii amplas, hortatusque est Cives ad bene, & tranquille vivendum.

Primo Junii factæ sunt parte prædicti Domini Petri Trotti Gubernatoris Parmæ cridæ, quod nullus vadat cum armis die nec nocte, nec sine lumine sub pœna in aliis cridis contenta, & quatuor ictuum cordæ. Quodque omnes banniti, homicidiarii, robatores, & rebelles se absentent à Dominio Ducali. Et quod qui accusaverit fures, qui apothecas sunt furati in nocte pridie, lucretur tantum. Et similiter qui denunciaverit fabricatores hujus frotulæ divulgatæ per totam Civitatem, quæ talis est videlicet:

Non sono in Murmirol tante Puttane,
Nè tanti Amanti hanno le tre Cammille,
Nè tanto Zan Quirino ha del zintille,
Nè le Comadre son tanto ruffiane;
Nè tante spose son fatte quest' ane,
Nè più da longo per il Campanille;
Nè tanto fà Messer il Signorille;
Nè tanto belle son le Castellane;
Nè tanto senno ha il Zudes del Canale,
Nè tanto stenta il Trotto il suo mantello,
Nè più per non goder roba và a male;
Nè più vola alla Trombola il cervello,
Nè tanto cade chi tropp' alto sale;
Nè tanto Cesar pratica in bordello;
Nè un Zilio è tanto bello,
Nè tanto becchi son li Ludovici,
Quanto li porci Rossi hanno inimici.

Ob quæ, frotula multum fuit exosa tribus Squadris, qui omni via, qua potuerunt, perquisiverunt conditorem illius, culpabantque Rubeos, licet tendat in dedecorem Rubeorum in multis partibus, scilicet nominando Dominum Guielmum de Canali, & Cæsarem, qui est Cæsar de Ravacaldis, ambo Rubei. Postea conclusio finit in Rubeos: quod etiam ægre tulit Reverendissimus Dominus Episcopus Parmensis, asserens illa verba, *Messere il Signorille* facta fuisse pro eo, qui quasi in omnibus se intromittit. *Ludovici* vero persimile ægre ferebant, qui omnes dicuntur de Squadra Pallavicina, & habere uxores cornua illis facientes, scilicet Comes Ludovicus de Valeriis, Dominus Ludovicus Antinus Doctor, Dominus Ludovicus Pencharus Doctor, Ludovicus de Cornazano, Ludovicus Beldachinus, & Ludovicus Sorgetus. Tres autem Camillæ dicuntur Camilla filia Sebastiani de Bergonziis nupta, & uxor Johannis Aldigerii de Cornazano. Secunda est filia Baldassaris Bernerii nupta in Johannem Martinum de Sale. Tertia est filia Bonaccursii de Nuceto. *Castellanæ* sunt filiæ duæ Castellani Sanctæ Crucis, altera quarum nupta est in Franciscum Ceratum. *Frombola* dicitur Lucas de Ferrariis. *Johannes Quirinus* est de la Latta. *Trottus* est Dominus Antonius Trottus, qui consuevit chlamydem suam semper trahere ab aliqua parte. *Judex de Canali* est Dominus Guielmus Doctor.

Quæ quidem Crida fuit reiterata tertio Junii.

Scriptæ sunt literæ ex Florentia, qualiter Rex Ferdinandus suis omnibus stipendiariis nunc pecunias dat, & quotquot armigeros invenit, ad sua servitia conducit; dubitaturque, ne in partibus Romandiolæ guerram faciat hoc anno. Qua pro causa Illustris Dominus Robertus de Sancto Severino profectus est Senas, ubi adest Dux Calabriæ primogenitus dicti Regis, & creditur effici Capitaneus suus, quoniam Dux Urbini factus est Capitaneus Ecclesiæ cum Venetis colligatæ.

Die quarto Junii dicti anni 1480. venit Parmam Reverendissimus Dominus Cardinalis Coloniæ, iturus ad Serenissimum Dominum Regem Franciæ, qui alloggiavit in Palatio Episco-

fcopali cum Domino Epifcopo Parmenfi. Die fecuta audivit Miffam in Ecclefia majori: facto prandio ivit Burgum.

Sexto Junii ductus eft Parmam à provifionatis ex Mediolano quidam filius Doni Pellegrini de la Catellatia Presbyteri in Columnio, de Parte Corrigienfi, qui interfuit robariæ Hebræi factæ, ut fuperius narratum eft. Expectatur æque quidam filius Michaëlis de Valeriis de Parte Pallavicina, qui etiam fuit particeps, & confocius furti prædicti, captus Mantuæ, & dicitur, quod alia furta, & delicta commififfent, & quod ad furcas appendentur.

Hebræi, qui erant Trivifii, occiderunt quemdam infantem Chriftianum, ut illius fanguinem perciperent, quo multæ eorum infirmitates fanantur. Re detecta capti funt omnes, quorum aliqui appenfi, aliqui cremati, aliqui impalati funt, & diverfis tormentis mactati. Et eft fciendum, quod funt anni quinque, quibus Judæi commorantes Tridenti, fimilem infantis occifionem fecerant, qua patefacta omnes crudeles mortes paffi funt. Nam capto puero quodam nominato Simone, illum ligarunt in affide, cum acubus, & ftilis ferreis fanguinem percipientes. Quo mortuo illius cadaver in certo canali jecerunt, quod parentibus perquirentibus repertum fuit defuper aquam enatans, quodque infinita miracula demonftravit. Et dictus eft, ac dicitur Beatus Simon. Ad quem multi accedentes infirmi ex diverfis ægritudinibus gratia Dei funt fanati. Tamdem Judæi ipfi multifarias, & condignas mortes luère.

Tertiodecimo Junii 1480. quidam filius Michaëlis Valerii Civis Parmæ captus Mantuæ ob furtum Hebræi commiffi in Parma fuperius enarrati, ductus eft Parmam, & ut fertur, appendendus cum alio fuo conforte de la Catellatia, ut fupra à Mediolano ob ipfum furtum ducto.

Qua etiam die capti funt, & ducti Parmam tres rurales Capiftri, & viarum infidiatores de Sorbulo, qui dicuntur occidiffe illic Hebræum, de quo fupra fit mentio, ubi etiam eft occifus quidam alius Malgarius, & multi alii viatores denudati. Nam ubique in agro Parmenfi fiebant furta palam, & impune. Et ob hoc Gubernator juffit fingulis Villarum Miniftralibus, quod tales derobantes capiant, vel occidant, ad quos tres capiendos acceffetunt quammulti provifionati, & expectatur hæc juftitia.

Cum torti fuiffent prædicti Rurales nuncupati de Rifinis, unicus remanfit in forcia Commiffarii, aliis relaxatis. Hic enim multa furta propalavit, ex quibus die vigefima nona Junii fuit appenfus in glareis Parmæ; & inter Commiffarium, & Poteftatem oborta eft multa diffenfio, licet ambo fint Alexandrini. Quoniam Poteftas hanc juftitiam noluit facere, & Commiffarius illam adimplevit.

Quoniam fummus Pontifex colligatus cum Venetis fe præparabat contra Dominum Conftantium Sforciam Pifauri Dominum, ut illi dominium auferret, è contra Rex Ferdinandus in auxilium dicti Domini Conftantii attinentis fui præparatus erat. Ideo Dominus Robertus de Sancto Severino, qui iverat Senas ad Dominum Ducem Calabriæ, pro fubfidio ordinando Domino Conftantio, reverfus eft Bononiam, ibique fe firmavit. Ad quem accedere debent ducenti armigeri de fua, & Domini Ludovici Sforciæ comitiva, ut Pontifice aliquid contra Pifaurum agente, fiat fimile contra Imolam, quæ eft Comitis Hieronymi Nepotis fui. Quibus armigeris praparata funt apud Pontem Hentiæ alloggiamenta, ubi fe firmavit unus ex filiis dicti Domini Roberti.

Die decimo Junii facta fuit in fero in Burgo Colonnarum rixa inter duos fratres de Cartenaciis Corrigienfes, & quemdam Callegarium de Girarduciis de Squadra Sancti Vitalis, ob quam ifte Girarducius vulneratus fuit, pariterque Jacobus de Cola etiam Corrigienfis. Unde accinentes dicti Jacobi armati, cum quam multis capiftris accefferunt ad Dominum Gubernatorem, afferentes dictos Cartenacios fore Rubeos, & velle domum eorum corruere, exhortatique funt irruere ad domos Rubeorum, & vix retenti funt. Tamdem cum Gubernator de hac novitate fcripfiffet Mediolani, ex literis Ducalibus juffi funt ire Mediolanum quammulti ex dictis attinentibus Jacobi de Cola, qui arma ceperant.

Accidit hoc menfe Junii 1480. quoddam mirum in agro Trentino. Nam dum vetula quædam exiviffet Civitatem, itura ad quoddam Caftrum diftans ab Urbe per octo milliaria, in itinere reperit quemdam affaffinum fibi incognitum, cui, ut ad dictum Caftrum infimul accederent, fe confociavit. Cumque in nemus intraffent, hic perfidus nitebatur vetulam per devia ducere, cui repugnanti & obneganti rectam viam linquere mortem eft minatus, nifi fibi quas habebat pecunias daret. Hæc autem mortem timens, certas paucas pecunias illi dedit. Qui illis non contentus, coëgit illam fateri fe in fotulari finiftro repofuiffe aureos octo, quos cuidam fuæ filiæ puerperæ deferebat; eaque proteftante non audere ex dolore aureos ipfos extrahere, illi fotularem evellenti, & fe in terram proclinanti, gladio clam affumto guttur fecuit. Hæc vero mulier cernens hunc ficarium mori, & fentiens ftrepitum in nemus advenientium equorum, clamare cœpit tam fortiter, quod ab adveniente Nobile quodam cum multis famulis equeftribus, fibi ferie negotii patefacta, hic Nobilis, fpoliato latrone mortuo, illum denudari juffit, cui eft repertus quidam zuflus in marfupio. Cognofcenfque hunc defunctum viarum fore infidiatorem, ordinatis ad loca & aditus nemoris famulis fuis armatis, facto fono cum zuflo, undique concurrebant alii affaffini diverfis ex partibus nemoris, pro ut confueti fuerant, quos omnes captos & alligatos ad Civitatem duxit, qui diverfis affecti tormentis vitam emiferunt. Et fuit mirum, quod in tota Italia talis peftis ficariorum, latronum, & homicidarum apparuit, de quo extant indicia clara hujus anni.

Die vigefimafecunda Junii deceffit Jacobus de Cola fupra memoratus, & vulneratus decima die præfentis ab uno de Cartinacio, unde à multis dictum fuit, ipfum fuiffe interfectum, quia alias Bononiæ homicidium commifit, & quia in faccomano Rubeorum, maxime in incendio & fpoliatione Abbatiæ Sancti Johannis, interfuerat, & multa enormia commiferat; & hic fuit unus ex bannitis per Bonarellum de parte Corrigienfi.

Cum Romæ fieret folemnitas Corporis Domini noftri Jefu Chrifti, quafi omnes meretrices Romæ fe congregaverunt in Ecclefia Sancti

cti Petri, optime & splendide ornatæ vestibus, jocalibus, perlis, & aliis, quas omnes Summus Pontifex denudari jussit, ex quibus æstimatur ipsum lucrasse maximum thesaurum.

Sexto & vigesimo Junii 1480. facta fuit in ripa fluminis Hentiæ monstra ducentorum Ducalium armigerorum præparatorum ire Bononiam, ubi est Dominus Robertus de Sancto Severino, ut stent parati pro guerra movenda Summo Pontifici, qui minatur castra ponere Pisauri. Ex opposito Rex Ferdinandus, cujus gentes in agro Senensi sunt, una cum Florentinis castra ponere Civitati Castelli, quæ est Ecclesiæ; & à latere Romandiolæ Ducales gentes castra ponere debebant Imolæ. Quod sentiens Summus Pontifex, gentes suas jam inviatas versus Pisaurum revocavit; & gentes armigeræ, quæ dictam monstram fecerant Hentiæ, reversæ sunt ad logiamenta in Parmensi, paratæ æquitare ad Ducalia mandata. Quo Summo Pontifice castra Pisauri ponente, in opposito equitare habent ducenti Ducales armigeri, centum armigeri Domini Ducis Ferrariæ, centum armigeri Marchionis Mantuæ, & centum Domini Marchionis Montisferrati, qui omnes ordinariam habent provisionem.

Magnus Turcus cum ingenti navilio se in mari firmavit optime fulcitus. Dubitabatur, ne Rhodum revertatur, famaque fuit Venetiis, ipsum Turcum se condoluisse, Venetos non fore in Liga veteri Mediolani, & Florentinorum, illisque obtulisse magnum navilium. Qui Veneti ubique locorum in defensione eorum se præparaverunt; removerunt etiam Oratorem suum à Mediolano, & Ducalem Oratorem residentem excomiaverunt.

Circa finem Junii 1480. Gibellini Senenses, qui erant extra in diversis locis relegati, cum auxilio Ducis Calabriæ intraverunt Senas, & expulerunt, & relegaverunt quammultos Guelfos regentes, & Urbis dominium receperunt, ejus libertatem servantes, multis tamen ex adversariis obtruncatis, derobatis, & exterminatis, cui negotio Laurentius Medicus Florentinus favit, vindictam sumens contra Guelfos auctores belli contra Florentinos, & qui Ducem Calabriæ primitus receperant in agro suo.

Tertio Julii 1480. venit Parmam Cardinalis Avignoni, nepos Summi Pontificis, iturus pro Legato in Avignono, & honorifice & festive fuit associatus sub baldachino à toto Clero, & omnibus Regulis Civitatis, & alloggiavit cum Domino Episcopo Parmensi in suo Palatio expensis Ducalis Cameræ, habebatque secum sex Episcopos & equos Curialium suorum centum quinquaginta.

Octavo Julii filius Domini Cichi de Forlivio, quem Dominus Pinus frater ejus mori fecerat in carceribus, uxore ipsius Domini Pini vidua, ut tutrice cujusdam ejus filii naturalis, tenente dominium Forlivii, intravit in una parte Arcis Civitatis, quæ est distincta in tres partes, & in tres Castellanos, & ex hoc certæ gentes armigeræ equestres & pedestres, quæ illic missæ fuerant per Venetos in auxilium dictæ Dominæ, saccomanatæ fuerunt, ipsis Venetis, & Summo Pontifice dictæ mulieri faventibus. Ipsa vero Domina alias duas partes Arcis tenebat cum favore unius partis Populi, & alia parte favente dicto filio Domini Cichi, cui de jure spectat dominium. Nam fama fuit, filium Domini Roberti de Sancto Severino velle ipsam Dominam in uxorem accipere, ut urbis dominio potiatur, hacque pro causa Dominum Robertum cum gentibus armigeris morari Bononiæ, & Florentinos favere dicto filio Domini Cichi.

Turcus de mense Junii castra posuit Rhodi cum ingenti armata, & cum bombardis. Et opponens se ad portum, ubi est Turris, in qua lumina ponuntur in nocte pro navibus navigantibus, ipsam Turrim cum bombarda pro magna parte est demolitus; ab intus vero sibi optime respondetur per magnum Magistrum Rhodi, qui in Rhodo habet septem millia prœliatores audaces, & bene armatos. Reperitur quoque Civitas per triennium optime victualiis, & defensionibus munita. Senes vero, infantes, & mulierum magna pars se reduxit in Castro Sancti Petri ad milliaria viginti locum tutissimum. Mœnia Rhodi sunt inexpugnabilia. Hæc scribit Magister cum Dei protectione.

In principio hujus mensis Julii Reverendissimus Dominus Ascanius Vicecomes, qui Ferrariæ relegatus fuerat, ut supra narratum est, certis bonis respectibus mutato loco ivit Neapolim, ibi mansurus ad beneplacitum Dominorum nostrorum. Dumque sic iret Neapolim præfatus Dominus Ascanius, revocatus venit Florentiam, ibi in confinio mansurus.

Quoniam Turcus cum ingenti exercitu castra posuit Rhodi, tentans omni via, qua potest, Rhodum obtinere, Summus Pontifex, Rex Ferdinandus, & Veneti Ligam insimul fecerunt pro succurrendo Rhodo tantum; & multa contra Turcum præparantur.

In principio mensis Augusti anni 1480. quædam mulier in Capite pontis Civitatis Parmæ peperit filiam, & illico visa est exspirare, quam cum crederent mortuam, sepulturæ marmoreæ in Ecclesia Sanctæ Cæciliæ imposuerunt. Infra triduum puella moritur, quam ad dictam Ecclesiam in dicta sepultura ponendam detulerunt. Aperientes sepulcrum inventa est mater sedere, & se scapiliasse, ex hoc quia extensa, & ligata capillos, sepulta fuerat. Creditur eam fuisse transmortitam in partu, quod aliis accidisse fertur.

Circa dimidium dicti mensis Augusti redditæ sunt literæ à Civitate Bari Apuliæ Reverendissimo Domino Parmensi Episcopo, qualiter in partibus illis marinis apparuerant centum quinquaginta velæ Turchi, quæ toti illi regioni metum inducebant. Et ob hoc filius dicti Regis Dux Calabriæ, qui erat in agro Senensi cum suo exercitu, à patre revocatus cum omnibus gentibus Neapolim festinanter profectus est. Ipse autem Rex, qui versus Carabriam venabatur, hunc repentinum Turcorum adventum sentiens tam prope, Neapolim caput Regni advolavit, quod gravem est incursus cum metu ægritudinem.

Ortâ differentiâ in Forlivio, de qua supra narratum est, Summus Pontifex, & Veneti miserunt in agro Forlivii prope Civitatem Squadras armigerorum quadraginta quinque, ne quis de medio Urbem illam occupet, quarum gentium caput est Dominus Robertus Malatesta Ariminensis.

Venetiis contra tres Judæos Paduanos facta est hoc mense Augusti terribilis vindicta. Hi enim occiderant in agro Paduano unum Christianum infantem pro habendo ejus sanguine, quo utuntur pro sananda certa eorum infirmitate;

tate; & capti, nudi cum catena ferrea ad colonnam cum anulo se volvente ligati sunt, & circum circa ignis est accensus, quem sentientes, & se circum circa volventes, ab igne coquebantur, & adurebantur, se lamentantes, & ululantes. Quorum senior induratus alios socios ad martyrium exhortabatur, legem suam enarrans; & tamdem durissima morte affecti ad Tartara gressi sunt sic combusti. Et quoniam Judæi asserebant sibi injuriam fieri, ne quis juste conquereretur, Veneti rem hanc primitus voluerunt per Collegium Doctorum Paduæ videri, & cognosci, dictis Judæis patrocinantibus septem Doctoribus, ab eisdem optime stipendiatis. Tamdem ex Consilio dicti Collegii dicti tres morti sunt damnati. Et quoniam prætacti septem Doctores injuste patrocinabantur pro dictis Hebræis, coacti sunt exsolvere aureos octocentum, quos pro dictis Hebræis defensandis receperant; quos aureos Dux Venetorum condonavit fabricæ Ecclesiæ Sancti Antonii de Padua.

Cum multi Potentatus sperarent Forlivii dominium, circa dimidium Augusti, mortuo subitanee filio naturali Domini Pini, qui cum noverca Arcem tenebat, Comes Hieronymus Summi Pontificis Nepos Dominus Imolæ, Urbem ipsam favore Pontificis obtinuit, munivitque: Cumque gentes Domini Roberti de Sancto Severino ad partes illas properarent, & ut fertur, in auxilio dictæ mulieris, revocatæ sunt, nec ulterius progressæ.

Eo hoc tempore proximo Turcus, qui castrametabatur Rhodum cum ingenti navilio, quique ictus mille quingentos bombardæ dederat in muris Urbis inexpugnabilibus, nec quid illis læsionis intulerat, qua etiam munitissima existente, se cum omni navilio levavit. In cujus Rhodi auxilio Collegium Cardinalium duas grossissimas naves Januæ armabant. Et creditur, ipsum Turcorum navigium applicuisse in Apulia versus Siciliam; de quo exercitu multum formidatur; & Turci, qui in terram descenderunt, castra, & bombardas firmaverunt Civitati Otranti in Apulia, aliisque multis debellatis & depopulatis locis crudelissime, de quo extant literæ ultimi Julii 1480. Et dicitur in eorum agmine adesse filium Comitis Jacobi Picinini, quærentem patris ultionem.

Duodecimo Augusti in meridie dum Conestabilis Portæ Sancti Michaëlis Parmæ iret equester ad Furnum Galli pro emendis carnibus, insultatus à duobus pedestribus, vulneratus, & occisus fuit; cujus necis culpa data est attinentibus Antonii Massoni, quem Millanus filius dicti Conestabilis octavo Aprilis interfecerat de anno præsenti, ut supra est enarratum.

Sextodecimo dicti mensis Augusti in crepusculo noctis quidam juvenis Reginus ruffianus, existens ante portam postribuli cum aliis, à quodam transeunte incognito cultella ex improviso confossus ad terram illico mortuus cecidit. Nec inveniri nec sciri potuit homicida. Narratur etiam; fratrem suum simili morte Regii periisse.

Decimonono dicti mensis Augusti circa horam secundam noctis Angelus de Bichignis Squadræ Pallavicinæ in vicinia Sancti Nicolai à sex aliis incognitis cum armis hastatis multis vulneribus est confossus.

Mutinæ hoc tempore Cancellarius Domini Laurentii de Pisaruo illius Commissarii à tribus ruffianis in plateis est occisus.

A Vigesimo tertio Augusti venerunt Parmam nova, qualiter Turci, qui intraverant in Apulia, non nomine Turci hæc faciebant, sed nomine Ducis Angiò, qui fuit filius Ducis Johannis filii Regis Raynerii. Et quod ipse Dux personaliter ibi in dicto exercitu erat, & pro eo hæc guerra fiebat. Ibique clamabatur *Angiovino*, cum quo dicebantur esse multi ex Baronibus illius Regni à Rege Ferdinando expulsi cum filio Comitis Jacobi Picinini, cui Duci Regnum ipsum spectabat; propter quod multas Terras obtinuit, tamquam sibi ab antiquo dominio amicantes. Dictumque fuit, ut de inimico suo vindictam sume-

B rent, ab inimicis fidei Christianæ, scilicet à Turcis, auxilium impetrasse. Famaque fuit, Venetos sibi etiam favere disjunctos à Liga Illustrissimorum Dominorum Ducum Mediolani. Nam quasi totam Apuliam jam modo obtinuit. Ob quod Rex Ferdinandus multa præparat; sed videntur tarda. Et dubitatur, Turcum cum omni suo exercitu, quem Rhodi habebat, illuc transiturum, Venetos quoque Turco confœderatos maximum contra dictum Regem navigium armare, qui jam in agro Brixiano dicuntur ad confinia nostra armigeros collocasse, ne dictus Rex hinc auxilium suscipiat. Cum autem in Regno Siciliæ reperiantur duæ Sectæ, altera Angiovinorum,

C & altera Aragonensium, multum dubitatur de Statu dicti Regis ob expulsionem Baronorum suorum.

Quarto vigesimo Augusti factæ sunt publicæ proclamationes in Parma, qualiter Liga, & confœderatio alias publicata inter Illustrissimos Dominos nostros, Regem Ferdinandum, Ducem Ferrariæ, & Florentinos refirmata fuerat vigesimo quinto Julii decursi, & quod in ea Senenses intraverant, Duxque Ferrariæ factus exstiterat Locumtenens Generalis dictæ Ligæ, de quo triduanæ processiones cum fallodiis in toto dominio Ducali sunt celebratæ.

In recessu Ducis Calabriæ filii Regis Ferdinandi à partibus Senensibus, Florentini sibi requisierunt nonnulla Castra per eum expu-

D gnata anno proxime curso inter Senas, & Florentiam, dum inter eos guerra fieret, & quas promisit restituere. Nunc autem mittuntur contrasignia pro eorum restitutione.

Florentini, quibus anno proxime curso derobata fuit Civitas Sarzanæ in Lunensi prope litus maris existens per Dominum Ludovicum de Campo Fregosio Januensem, qui illis eam vendiderat, castra posuerunt circa illam trium mille peditum hoc mense Augusti 1480.

Ultimo Augusti 1480. receptæ sunt literæ ex Neapoli, qualiter Turci obtinuerant Brundusium, & Nardò, Civitates Apuliæ, & Præsules impalari fecerant, ac quod ruperant viginti Squadras armigerorum, & tres mille

E pedites, quos Rex Ferdinandus miserat in succursum Letii, quarum gentium caput erat Franciscus Torellus, & Dux Melphi, quem Ducem trucidarunt, & Dominum Octavianum de Piis de Carpo. Dictus vero Franciscus vix evasit, diciturque Episcopum Otranti fuisse excoriatum, & pellem impletam paleis, & quam multos mille homines concisos minutim, & multos vectos in Teucria.

Die suprascripta cum iret Ramossellum Thomas de Varisio Civis Parmæ ad solicitandum mezzadros suos super possessione unius beneficii, scilicet Plebis dictæ Villæ, habens proin-

de

A de ipse Thomas, qui erat de Squadra Rubea, rixam cum Francisco del Frà de Squadra Sancti Vitalis, armigero Domini Roberti de Sancto Severino, insultatus in via ab eodem Francisco, & famulis suis, multis crudelibus vulneribus est confossus. Cumque postera die Judex maleficiorum iret ad videndum cadaver dicti Thomæ, reperiit illic dictum Franciscum cum magna armatorum comitiva, dicentem; *portate via questo corpo santo*.

Hoc tempore finis Augusti continue adveniunt nova pejora de Turcis, qui Apuliam invaserunt. Dictum fuit, homines illarum partium, cum sentiant Turcos illic appropinquantes, aufugere, & patriam linquere, ita B quod cum Turci capiunt aliquas Terras, in illis reperiunt solum parvulos, vetulos, & vetulas. Fecerunt quoque proclamari ipsi Turci, quod quicumque Christiani ad eos deferant victualias, nullatenus molestabuntur, & ipsarum victualium optimam consequentur solutionem. Et ob hoc illis multas victualias deferri, sed nolle eos intrare in eorum castris, nec se eis appropinquare ad duo milliaria, ne videant eorum modos, & ordines, & quod sic conducentibus optime persolvunt. Dicuntur quoque esse ad numerum centum mille Turcorum, adjunctis cum eis multis Albanis, & Vallachis, quodque Civitates, quas habuerunt, fortificant, & vallant palancatis, & ag- C geribus. Dicuntur quoque secum vexisse decem mille sellas ab equis, cum totidem fulcimentis necessariis. Venitque novum, quod Rege Ferdinando mittente in auxilium Rhodi duas maximas naves, victualiis & hominibus fultas, ante dictum Turcorum adventum in Italia, ab eis naves ipsas fuisse captas.

Insuper nova advenerunt, qualiter Turcus, qui dicebatur recessisse ab obsidione Rhodi, illuc reversum esse, & novam Civitatem in Insula ex opposito Rhodi struxisse, & illic habere duas bombardas altitudinis in ore pro singula palmorum undecim. Dicitur etiam, quod ex campanis locorum in Apulia adeptorum construi bronzinas infinitas facit, & omnes campanas rumpi pro bronzinarum constru- D ctione.

In principio mensis Septembris 1480. Gentes Ducales comitivæ Illustris Domini Ludovici Sforciæ, quæ his proximis temporibus equitaverunt in partibus Bononiensibus cum gentibus Domini Roberti de Sancto Severino pro differentia Forolivii, retrogressæ sunt ad solita alloggiamenta in Dominio Ducali Mediolani; & Faventiæ remanserunt, & partim Bononiæ ex gentibus præfati Domini Roberti, qui etiam Dominus Robertus residet Bononiæ.

In hoc principio mensis Septembris quotidie pejora nova de Turcis existentibus in Apulia E dicta sunt, maxime quod quasi totam illam Provinciam subjugaverint cum maximis crudelitatibus, & infinitis damnis. Et licet pro parte Regis Ferdinandi maxima fieret provisio pro defensione sua, dictum fuit ipsos Turcos equitasse una die & nocte plusquam centum milliariis, & Gentes Regis venientes contra eos rupisse, & morti omnes dedisse.

Insuper hoc mense Septembris nova advenerunt, qualiter Turci ruperant gentes Regis Ferdinandi, & quod Dux Calabriæ primogenitus dicti Regis, & cognatus quondam Ducis Galeaz, non reperiebatur, cum fuisset in dicta rupta, & dubitabatur de ejus morte, aut captione. Dictumque fuit in agmine dicti Turci nil aliud clamari, quam *Brazzo, brazzo*; fecisseque proclamari, quod quicumque se illis libere darent, quod in Fide Domini nostri Jesu Christi non molestarentur, salvo quod volebat campanas dirumpi; velleque omnes Civitates, & Populos, qui se eidem libere submitterent, fore per decennium exemtos; postmodum quod sibi exsolverent aureum unum pro singulo capite familias. Ac etiam dicebatur, hos iniquissimos Turcos vexisse & misisse in partibus suis forte octo mille animas Christianorum captorum in Apulia, & exinde duxisse decem mille prœliatores Turcos.

Cum hoc tempore Florentini castra posuissent Sarzanæ, ex improviso Januenses ipsa castra ruperunt, & abduxerunt Dominum Marcum de Piis de Carpo ipsorum castrorum ducem captivum in Terra Spediæ, ac etiam fuisse vulneratum Johannem Quilicum de Sancto Vitali militantem cum centum equis ad stipendia Florentinorum.

Quo etiam tempore Gentes armigeræ Domini Roberti de Sancto Severino, quæ erant in Romandiola, venerunt in Parmensi ad alloggiandum, & sunt numero equi septemcentum.

Vigesimo quarto Septembris publicatæ fuerunt Bullæ Apostolicæ, qualiter omnes Indulgentiæ concessæ in toto Mundo Fidelibus Christianis suspendebantur usque ad diem Paschæ Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi proxime futuram, ad hoc ut Indulgentia concessa in Ecclesiis Sancti Johannis Baptistæ pro subsidio Rhodi magis frequentetur in subsidium Rhodianorum contra Turcos Rhodum crudeliter obsidentes.

Ultimo Septembris 1480. venerunt literæ à Rhodo, qualiter Turcus in una die septies pro viribus suis mœnia Rhodi expugnaverat, tamdem Rhodianis viriliter Urbem defendentibus occisi sunt decem octo mille ex prœliatoribus Turcorum, & quod in portu submerserant quinque Galeazias cum omnibus prœliatoribus, in qua submersione gener Turci dux illarum Galearum perierat. Unde Turci videntes Civitatem inexpugnabilem, totam Insulam prædati sunt, ferro & igne omnia vastantes, & ab obsidione cum damno & vituperio turpiter discesserunt.

Vigesimo octavo Septembris Illustris Dominus Robertus de Sancto Severino ex Bononia Parmam venit, ubi cum Domino Episcopo unica nocte moratus est, vocavitque coram se tres Squadras simul unitas, & exinde Rubeam, scilicet ex primariis, quos omnes ad bene & fraterne vivendum cohortatus est, se omnibus æqualiter offerens. Et cui Antiani condonaverunt de ære Communis ceram, & confectiones pretii florenorum decem ad monetam. Quod munus libenti & gratioso animo suscepit. Exinde Colurnium, & ex Colurnio Mediolanum equitavit.

Apparuerunt in agro Parmensi à flumine Padi supra flumen Taronis usque in montibus hoc mense Septembris maximæ quantitates locustarum quasi terram cooperientium per tantum spatium, per quantum durabant in latitudine per quartum milliarii, & in longitudine per quatuor milliaria, & ultra, herbas pascentium, quæ cum sonitibus expellebantur, & terrefiebant, in sero vero se insimul coibant bene. Masculus quidem erat viridis, femina vero trahens in nigrum aliquantulum, nec ab invicem poterant separari. Hæ quidem belluæ fue-

fuerunt in agro Brixiensi, & Mantuano, ubi permaxima viguit pestis. Dubitatur ibi fieri simile, quod Deus avertat.

Fuit hoc anno tanta copia vini in toto Parmensi, quod vix colligi, aut reponi potuit, multisque in locis Castellata mensurarum sex dabatur pro solidis viginti; & multis in locis dabatur collectio uvarum ad medium, & in multis locis marcefactæ sunt in arboribus, cum non haberent, ubi eas reponerent, duravitque vendemia usque ad medium Octobris.

Mortuus est hoc tempore Dominus Antonius Sicus Commissarius Cremonæ, in cujus locum missus est Dominus Guido Antonius de Arcimboldis, qui erat Commissarius Placentiæ.

Cum alias tempore Innocentii Papæ IV. incœpta fuisset in Ecclesia Sancti Petri Martyris Ordinis Sancti Dominici Civitatis Parmæ Societas Crucesignatorum, quæ quodammodo in desuetudinem venerat, hoc anno renovata fuit. In qua quammulti Cives intraverunt, cujus onera sunt, ut quilibet dictæ Societatis Crucem in vestibus rubeam parvam de serico super latere dextro deferret, quodque voveret & promitteret se facultates suas, & sanguinem proprium expendere pro auxilio Christi, & Fidei Christianæ contra Hæreticos, & Paganos ad mandata Domini Inquisitoris Ordinis prædicti, & cum certis paucis quotidianis orationibus, eleemosynis quibusdam, & aliis piis operibus. Et hac cum Indulgentia, quod semel in vita, & semel in morte consequeretur plenariam suorum peccatorum remissionem. Et quemadmodum conceditur per Concilium transeuntibus in Terram Sanctam contra hostes Fidei Christianæ, quæ est eadem, ac si Jubilæus quinquagenarius à Summo Pontifice concederetur, quod fit de annis quinquaginta in quinquaginta Romæ.

Tertio Octobris 1480. cum fierent multi larvati contra solitum discurrentes festa Civium, proclamatum fuit parte Domini Gubernatoris, ne quis talia auderet sub gravi pœna metu scandalorum.

Quarto Octobris 1480. venerunt nova, qualiter Turci existentes in Apulea discurrerant Manfredoniæ, & maximam stragem ac prædam hominum & bestiarum fecerant, quodque advenerant in eorum agmine centum mille personarum, quinque mille equi, & quindecim mille pedites Turci, quodque multas taleatas fortissimas fecerant ad milliaria triginta circum circa Otrantum ex opposito Regis Ferdinandi, qui dicitur multas gentes præparasse in oppositum, & se à latere suo versus Calabriam fortificasse, & adunasse forte centum mille personas, & præcepisse in agmine suo unum hominem pro foco cum stipendio quindecim Carlinorum omni mense pro singulo pedite.

Hoc quidem die Domini Antiani Parmæ ordinaverunt, quod omnia ostia Civium anno curso murata in muro plateæ aperirentur.

Sexto, & septimo Octobris 1480. in nocte fuerunt derobata Tabernacula cum Corpore Domini nostri Jesu Christi consecrato in multis Ecclesiis Parmæ, & maxime in Sancto Antonio, in Ecclesia Fratrum de Carmelo, in Sancto Gervasio, inque aliis Ecclesiis numero octo. Ob quod tota Civitas stupida erat, metuens divinam ultionem, & aliquod terribile super omnes divinum judicium. Et ideo de mandato Reverendissimi Domini Parmensis Episcopi & aliorum Officialium factum fuit proclama publicum, quod qui accusaret tales sacrilegos, lucraretur centum aureos depositos penes Sebastianum Bregonzium.

Aliud mirum hoc tempore apparuit Mediolani, videlicet singulis noctibus videbantur in aëre desuper Castrum Mediolani in modum duarum facum ignitarum; & quia judicia hujus anni male loquebantur de Magnatibus Mediolani, & dicebatur illic adesse multas dissensiones; propterea omnes stupidi, & dubii, ac timentes erant, à quo Deus avertat.

Hoc fuit verificatum in depositione Dominæ Ducissæ, quæ dedignata recessit è Mediolano, ut transiret montes.

De mense Octobris 1480. completa fuit cupula Ecclesiæ Sancti Petri Civitatis Parmæ in plateis, in forma multorum angulorum ad similitudinem cupulæ Ecclesiæ majoris Parmensis.

Turcis hoc tempore vexantibus Regem Ferdinandum in Apulia, & Aprutio cum agminibus duobus, Caballarii multum frequentabant iter à Neapoli Mediolanum, Rege Ferdinando infestante Illustrissimam Dominam Ducissam Mediolani, & Dominum Ducem parvum, quod guerram rumpant contra Venetos in agro Brixiensi, quoniam dicitur, ipsos Venetos causam fuisse introducendi Turcos in Italia, cum quibus pacem & colligationem firmaverunt, ut Regem prædictum à dicto Regno pellerent, qui vociferatur voluisse toti Italiæ legem dare; sed Venetis undique ad confinia Ducatus Mediolani stipatis usque modo contra eos nihil tentatum est.

Ut autem Ducalibus armigeris stipendia persolvantur, posita est in toto dominio Ducali inter Presbyteros collecta, & Clero Parmensi in Ecclesia Cathedrali datum fuit onus ducatorum viginti sex. Quilibet vero exemtus Clericus, vel Religiosus taxatus fuit singulariter, & singulo salariato retentæ sunt tres paghæ.

Orta fuit tempore hoc lis inter Magnificum Dominum Petrum Mariam Rubeum, & Dominum Johannem Franciscum Pallavicinum ob emtionem Villarum Stagni, & Tellaroli, Ripæ Padæ citra agri Cremonensis, confinantium Castro Rochæ blanchæ Domini Petri Mariæ factam per dictum Dominum Johannem Franciscum à Ducali Camera. Ob quod hinc inde facta maxima armatorum coadunatione, de mandato Ducali deposita sunt arma, & utraque pars vocata fuit Mediolani, ad quod Dominus Guido filius præfati Domini Petri Mariæ pro patre est profectus.

Octavo Octobris cum factæ fuissent proclamationes, ut profanatores sacratissimarum Christi Eucharistiarum in Ecclesiis Parmæ denuntiarentur; capti sunt nonnulli viatores mendici de hoc sacrilegio suspecti, ob quod dum unus ex eis duceretur, omnis Populus Capitis Pontis illum, dum ad Officiales ducerent, insectati sunt. Tamdem reperti sunt insontes. Et in multis Ecclesiis sub stallis mulierum reperta sunt tabernacula sine hostiis devastata.

Quidam Nobilis de Spinolis, ut occuparet certa Castra patrui ad confinia Januæ in Terdonensi, patruum mactavit, captusque in Mediolano capite punitus est.

Papiæ cum quidam Causidicus de Fornariis dives & potens cum filio extra Urbem vagaret, à quodam collitigante suo insultatus concisus fuit. Quo etiam tempore dum Miles Potestatis Papiæ emeret in plateis pisces, cum

ense

ense per quendam incognitum occipitio percussus decessit.

Cum Illustrissima Domina Domina Bona Ducissa Mediolani exaltasset quemdam Dominum Antonium Tassinum Ferrariensem, alias Camerarium Domini Ducis Galeaz, & illum ditasset, ac splendidum fecisset, nec non Gabrielem patrem suum ad Consilium Status deputasset, gentibusque armigeris præfecisset, adeo quod nullus alius in auctoritate & gratiis penes Dominam Ducissam eos antecedebat, nec æquabat, ob quorum elatam superbiam omnibus facti sunt exosi. Cumque de ipso Domino Antonio Tassino male suspicaretur ob tantam gratiam, qua penes Dominam prævalebat, die septimo Octobris 1480. hora decima septima illustrissimus Dominus Dux parvus ætatis annorum duodecim intravit Rochetam Castri Portæ Jovis una cum Domino Pallavicino, & Domino Franchino Chaymo gubernatoribus suis, fecitque pontes Castri ubique levari, ac capi, & detineri dictos de Tassinis, patrem, & filium, ipsumque Dominum Antonium associari ad Civitatem Ferrariæ, quæ est patria sui, & ubi est satis dives. Sumsitque regimen & administrationem Status Matri suæ Dominæ Ducissæ, dicens se licet parvum velle imperare, & matrem viduitati vacare. De quo sic à Principe quasi infante gesto omnes prædicant, & admirantur; & ne Civitas ad arma insurgeret, Dominus Robertus ex Sancto Severino, Dominus Johannes Jacobus de Trivultio, & Dominus Antonius de Marliano intraverunt Curiam veterem, exhortantes Cives ad tranquillitatem, & in omnibus fortiliciis locorum Status Mediolani mutata sunt contrasignia, & ordinatum est, quod soli dicto Principi pareatur. Ob quod necubi facta est aliqua novitas, licet omnes starent animo suspenso. Remotusque fuit Aloysius Bechetus Secretarius ab officio suo.

Scriptæ sunt ex Venetiis literæ, qualiter Turci cum maximo agmine reversi sunt Rhodum, sed dubitatur eos venire in Apuliam.

Exstante præfato Domino Antonio Tassino in flore fortunæ suæ, quidquid volebat, obtinebat; & si quid in Consilio Status ordinabatur, quod nollet, ipse ibat in Consilio, dicens: *Illustrissima Domina Ducissa vult sic*. Et fuit ille, qui omnem operam adhibuit pro captura & depositione Domini Cichi.

Dum omnibus salariatis sumerentur tres paghæ, ne ærarium & fiscus minuerentur, quidam Januensis Dominus Lucas Grimaldus Doctor clarissimus, & Ducalis Consiliarius Consilii Secreti usque tempore Ducis Galeaz deputatus, & homo rectus, quoniam ad præsentiam præfatæ Dominæ Ducissæ dixerat fore aliquos, qui intratas Ducales inutiliter consumebant, hic Dominus Antonius Tassinus id suspicans pro se dici, illum expelli de dicto Consilio, & Januam proficisci vituperose & insalutato hospite coëgit. Erat hic quidem Tassinus tantæ arrogantiæ, quod unica die vestiebatur triginta diversis vestibus, inter quas aderant ex vestibus, & collanis Ducis Galeaz; cumque haberet in manibus contrasignia Ducalium Fortiliciorum, voluit deputare ejus patrem in Castellanum Arcis, & Rochetæ Portæ Jovis; sed prudentia veteris & fidi ibi Castellani Philippi Eustachii Papiensis, non est fortitus effectum.

Rex Ferdinandus, qui anno curso erat cum Ecclesia colligatus, & modo dissolutus, vi-

A dens se à Turco damnificari, à nemine adjutus, & omnibus exosus propter ejus inauditas crudelitates, scripsit omnibus Cardinalibus Romæ, quod illi contra Turcos auxiliarentur; nec voluit Pontifici scribere, asserens illum fore Turci feudatarium propter colligationem per eum habitam cum Venetis Turco amicantibus. Attamen obauditus fuit, & Veneti maximam galëarum armatam miserunt in portu Insulæ Corfù, quod suspicatur actum, ut obviaretur armatæ dicti Regis, ne citra Pharum in mari Adriatico contra Turcos veniat, qui Turci in dies magis ipsum Regem damnificant, instantem continue guerram rumpi Venetis per Statum Mediolani.

B Summus Pontifex cernens Turcos in dies prosperiores fore in Apulia contra Regem Ferdinandum, scripsit literas omnibus Potentatibus Christianæ Religionis, quod insimul fraterne vivant, deponentes æmulationes, & rixas, quodque nullus audeat contra alterum insurgere, nec arma capere sub pœna excommunicationis, asserens se misisse in Insula Siciliæ unum Cardinalem, Populos illius Regni incitaturum ad defensionem Regni ipsius contra Turcos, quos asserit ea die, qua ceperunt Civitatem Otranti, reperisse Archiepiscopum cum sacratissimo Corpore Christi, & cum omni Clero in Ecclesia processionaliter Deum deprecantem pro tuitione Urbis, & ipsum cum serra fecisse secari, pro ut C sectus fuit Isaias; & omnes Presbyteros truncasse, totamque Urbem in prædam vertisse; ipsumque Turcum noviter in Provincia Sipontina Urbem Vestanam expugnasse; asserensque, navem frumento onustam, pridie quam Turcus castra Rhodi posuisset, Rhodi cum salute applicuisse, ac duas alias naves per Januenses missas Rhodi armis onustas, illæsas dictum portum intrasse. Asseritque, ipsos Turcos utrobique locorum dictorum inauditas crudelitates in Christianos exercuisse. Idem Pontifex misertus calamitatibus Rhodianorum, Ecclesiis singulis Ordinis illius ultra alias Indulgentias concessas, denuo & de speciali gratia concessit remissionem D plenariam in subsidium manus adjutrices porrigentibus, de quibuscumque casibus Sedi Apostolicæ reservatis.

Circa medium mensis Octobris 1480. Illustrissimus Dominus Dux Mediolani deputavit ad Consilium sui Status Dominum Johannem Franciscum Pallavicinum, & modo in eo reperiuntur tres fratres Pallavicini, scilicet Dominus Pallavicinus alter ex gubernantibus Principem, Dominus Johannes Ludovicus, & Dominus Johannes Franciscus. Illustrissimaque Domina Ducissa Mediolani adhuc Abiate est, ut dicitur, ibi residentiam factura.

Decimo septimo Octobris redditæ sunt ex Roma literæ quibusdam Civibus Parmæ, qua- E liter Rex Ferdinandus terra marique obsessos tenebat in Civitate Hydruntina Apuliæ decemmille ex Turcis, qui Civitatem ipsam sunt depopulati, & in ea fortificati, & quod Turci ipsi restant contenti Civitatem restituere, dummodo vita illis condonetur, sed quod Rex petit damnum suum de octo centum mille aureis, aliter quod eos usque ad unum vult obtruncare.

Hac æstate proxima Reverendissimus Dominus Parmensis Episcopus fecit construi in Cathedrali Ecclesia Parmensi unum aliud dignissimum organum ex opposito alterius veteris organi.

Paratæ erant duæ naves maximæ per Januenſes mittendæ in auxilium Regis Ferdinandi contra Turcos in Apulia, quarum altera viris prœliatoribus onuſta in portu, vento eam revolvente, ſubmerſa eſt, & multi ſunt in mari ſuffocati. Altera vero, quæ erat nova, per viam ſentinæ aqua repleta, funditus intravit. Nam & cum Rex prætactus maximum navium numerum præparaſſet in portu Neapolitano, ut Turcos terra marique aggrederetur, ſed miraculo potius quam aliter ſemper illis ventus exſtitit contrarius, adeo quod portum numquam egredi potuerint. Et ſic Turci eorum navigium in terram trahentes, ne poſſet comburi incaute, Hydruntinam Civitatem optime ad defenſam muniverunt, in ea octo mille pedites, & quinquecentum equites, aliis ad Vallonam transfretatis, dimittentes.

Vigeſimo nono Octobris 1480. bannita fuit Civitas Romæ in toto Dominio Ducali propter peſtem illic vigentem, & pullulare inceptam, quo tempore in tota Italia alibi non reperitur de præſenti eſſe peſtem.

Ultimo Octobris capti ſunt, & carcerati Parmæ, & in toto Ducali Dominio hora decima octava omnes Hebræi mutuantes, & deſcripta eorum bona, ſic ordinantibus Dominis Ducibus, qui ſcripſerunt Officialibus Parmæ, quod cum duobus principalioribus Civibus aperirent literas in ſuis incluſas horâ prædictâ ſic ubique ſtatutâ etiam omnibus Poteſtatibus Caſtrorum cum uno Conſule, & quod ea hora literas ipſas, & non ante, ſub gravi pœna aperirent, & illas exequerentur. Et ſic ubique in toto dominio actum eſt. Et cauſa adſcribitur, quod ipſi derobari fecerunt Hoſtias conſecratas, de quibus ſupra narratum eſt, in aliquibus Eccleſiis, & id à quodam Judæo noviter baptizato fuit revelatum. De quo omnes ſtupidi erant, antequam literæ ipſæ aperirentur, cum non intelligeretur, quidnam ſi eis ordinaretur. Aperitioni quarum literarum per Officiales Parmæ vocati ſunt pro primis Dominus Lanfrancus de Garimbertis Miles de Squadra Rubea, & Dominus Hieronymus Bernerius de Squadra Pallavicina.

Die proxima dicta Dominus Ludovicus de Antinis Doctor de Squadra Pallavicina vocatus fuit Mediolanum pro Vicario proviſionum, digniſſimo officio, loco fratris Caſtellani Portæ Jovis, qui eſt de Euſtachiis de Papia, deputati pro Auditore generali in Caſtro Mediolani.

Circa finem dicti menſis Octobris fuit maxima diſſenſio inter Dominum Archiepiſcopum patruum Domini Baptiſtæ de Campofregoſio Ducis Januæ, & Dominum Objectum de Fliſco, qui duas portas, & Luculum, & Caſtellatium Januæ tenebat, ex fœdere inito cum dicto Duce. Et tamdem ipſe Dominus Objectus fuit privatus dictis duabus Portis, & expulſus ex Civitate. Ob quod illa Civitas arma cepit, & mirum eſt, quod tanto tempore contra ſolitum quieverint Januenſes.

Venerunt poſtea nova, quod auxilio dicti Domini Objecti creatus fuit in Ducem Januæ Dominus Auguſtinus de Campofregoſio, & de Civitate expulſus Dominus Baptiſtinus de Campofregoſio ab annis duobus citra creatus Dux poſt recalcitrationem factam Statui Mediolani. Et ob hoc Comes Marſilius Torellus cognatus dicti Domini Baptiſtini ad illas partes equitavit cum ſexaginta armigeris.

Penultimo Octobris 1480. in mane cum Dominus Cichus de Calabria primus Secretarius quondam Illuſtriſſimorum Dominorum Ducum Franciſci, & Galeaz Mariæ, detentus retineretur in Caſtro Papiæ, ut alias anno proxime curſo narratum eſt, in adventu Mediolani Illuſtriſs. Domini Ludovici Sforciæ, ac Domini Roberti de Sancto Severino poſt tantos ejus labores, ac perſecutiones, & depoſitâ Dominâ Duciſsâ cum regimine Status, decapitatus fuit in ipſo Caſtro Papiæ. Poſt quam decapitationem illico Caballarius applicuit cum gratia, & fruſtra. Nec publicata fuit cauſa talis decapitationis. Cui decapitationi totus Populus Papienſis interfuit in platea Caſtri. Nam intra revelinum primum Caſtri ſuper uno alto tribunali facta eſt ipſa decapitatio, & omnibus oſtenſum fuit caput inciſum.

Antequam hæc fieret decapitatio, repertæ ſunt in quammultis locis Mediolani literæ hujus tenoris videlicet. *Væ vobis Ducibus Mediolani, væ vobis Mediolanenſibus, ſi Cichum Simonetam Patrem Patriæ decapitari permittitis. Illius enim perſecutores vobis retia tendunt, vobis inſidias ubique parant, ut vobis rem, vitamque ſimul eripient. Inbiant Statum veſtrum & ut famelici Lupi ſanguinem veſtrum ſitiunt. Vobis exilia, duroſque carceres moliuntur; Vobis laqueos, inaudita ſupplicia, & diverſa necium genera excogitant. Huic tanto periculo veſtro hoc unum eſt remedium, quod ſubito pacem, & veram concordiam inter vos ineatis. Ejicite paſſiones veſtras, ut quæ ſit Reipublicæ, & veſtra, veſtrorumque filiorum ſalus, cognoſcatis. Amplexamini, vos Mediolanenſes, veſtram, & ſanctam juſtitiam. Tutamini viduam, & pupillum, quo nihil gratius, nihil acceptius Deo immortali à vobis fieri poteſt. Vigilate, laborate, & voſmet parate ad Reipublicæ ſubveniendum, & illius deſtructores ulciſcendum. Cavete quam diligentiſſime, cavete ab aliis duobus majoribus rapacibus canibus, quos dira rabies vindictæ in vos faciendæ, & immoderata dominandi cupiditas invaſit. Servate, ſervate Cichum, & eum prope vos tenete. Omnia enim vobis illius auctoritate, conſilio, & ductu proſpere ad vota ſuccedent. Aliter vobis ſumma & ultima pœnitentia erit. Verba mea, quæ haud falſa ſunt, non negligatis. Vobis enim, vitæque, & Reipublicæ pericula undique ſunt.*

Poſt hæc ſecundo Novembris 1480. Illuſtriſſima Domina Duciſſa Mediolani dedignata, & male contenta receſſit ex Mediolano, itura ad partes Franciæ, nec amplius reverſura, quod per literas primogeniti ſui Illuſtriſſimi Domini Johannis Galeaz Ducis Mediolani parvuli ætatis annorum duodecim ſignificatum fuit Officialibus Parmæ, qui multis Civibus vocatis hunc Duciſſæ receſſum publicaverunt. Nunc vero apparent effectus ignis, qui tot noctibus apparuit in aëre deſuper Turrem Caſtri Mediolani, in qua Domina Duciſſa morabatur. Utinam hic ſit finis, & ne indicia male hoc anno de Mediolano loquentia verificentur.

Bononiæ hoc tempore peſtis cœpit vigere, & dubitatur fieri guerram inter Bononienſes, & Comitem Hieronymum Dominum Imolæ, & Forlivii, Summi Pontificis Sixti nepotem, & cognatum Domini Ducis Mediolani ex ſorore naturali, ob certa Caſtra, quæ ipſe Comes petit à Bononienſibus.

Uſque in menſe Auguſti proxime curſi fiebant larvati in Civitate Parmæ die nocteque feſta Civium diſcurrentes, diebus maxime feſti-

stivis, omnesque arma impune portabant. Nec profuit proclama Domini Petri Trotti Commissarii Parmæ, quod à nemine timetur. Ubique fiunt rixæ. Derobantur multi. Euntibus in nocte pro necessitatibus occurrentibus, torciæ & vestes accipiuntur. Nonnulli capti, & capillis incisi, & in canalibus projecti sunt. Virgines, & nuptæ rapiuntur. Homicidia & vulnera impunita perpetrantur. Dubitatur, ne ob hoc Deus iratus pejora nobis pejoribus conferat.

Inter alia enormia, multis noctibus, & diversis Civibus facta sunt ab eorum Civium ostiis usque ad postribulum seminaria lata remuli per vias publicas in platea, & ad postribulum tendentia.

B Quamprimum Domina Ducissa Mediolani ex Mediolano discessit, ut supra est narratum, Illustris Dominus Ludovicus Sforcia Ducalis Gubernator generalis, patruus Illustrissimi Domini Ducis parvi, curam & tutelam ipsius Domini Ducis solemniter suscepit, & illius factus est tutor, atque curator; nec rediit idem Dominus Dux habitatum, ubi prius stabat, antequam intraret Rochettam Castri Portæ Jovis, quando expulit Tassinum, ut supra est narratum, sed in ipsa Rochetta mansit pro sua habitatione.

Cum præfata Illustrissima Domina Ducissa applicuisset in Sabaudia Vercellis, Philippus Monsignor frater suus, qui ibi erat, prohibuit, C ne ulterius progrederetur. Et sic etiam, instante multo Populo Mediolanensi, retro versa est, & Mediolanum noluit venire, sed stare maluit Abiate. Et cum has dissensiones intelligeret Rex Franciæ cognatus suus, ipse, & dictus Philippus miserunt duos Oratores Mediolanum pro rebus his concordandis. Nam regentes Statum volebant ipsam stare Papiæ, habendo omnes ejus Civitatis intratas, nec se intromitteret de regimine Status, sive quod Mediolani in Curia veteri resideret cum provisione sexaginta millium aureorum annuatim, nec tamen se de Statu impediret. Illa autem huic consentire nolebat; quin immo asserens in honore suo ob expulsionem Tassini læsam, D petebat honori suo pristino restitui, videlicet quod ita esset in omnibus nominata, quemadmodum primitus erat una cum Domino Duce ejus filio, quodque in omnibus deliberationibus circa negotia Status interesset, ita tamen quod ipsi regentes sine ea, nec ipsa sine eis possent aliquid deliberare; quodque curam Domini Ducis haberet, & in Castro cum eo moraretur. Super quibus omnibus expectatur conclusio atque deliberatio. Hæc autem in principio Novembris occurrerunt 1480.

Causæ mortis Domini Cichi quammultæ dicuntur, & maxime quod curlatus confessus est venenari fecisse Ducem Barri, qui anno curso decessit Varisii; quodque occidi fecit E Dominum Octavianum Sforciam in transitu Abduæ, quando fugiebat, quodque mactari fecit Donatum del Comite.

Scriptæ sunt literæ ex Civitate Barri Apuliæ Reverendissimo Domino Episcopo Parmensi in principio Novembris, qualiter Dominus Julius Neapolitanus primus penes Regem Ferdinandum cum salvo conductu Capitanei Turcorum, qui est in Hydruntina Civitate Apuliæ per eum occupata, ipsam Civitatem ad ipsum Capitaneum intraverat, allocuturus cum eo, ut accordium tractaret; & quod idem Capitaneus ea die, qua dictus Dominus Julius in dicta Civitate ivit, præparaverat octo mille Turcos prœliatores armatos Italico more, seriatim existentes in viis publicis Civitatis; item duo mille guastatores à ligonibus, & badilibus: item decem mille pedites armatos Turcho more: item victualias pro annis tribus: item in ripa maris prope mœnia Urbis centum vela; ostenditque illi hæc omnia, ac etiam literas, quas noviter receperat à Magno Turco, qui scribebat dicto Capitaneo, quod in primo vere in Apuliam proficisceretur personaliter cum centum millibus peditum, & decem octo mille equitibus, & cum ingenti navilio victualium, & artelariæ. Quod cernens & audiens idem Dominus Julius stupidus remansit, tentans concordium cum dicto Capitaneo, qui est Græcus audax, crudelis, & Italice loquitur. A quo Capitaneo responsum habuit, se nullam pacis viam cernere. Sed si Rex Ferdinandus vellet Turco ultra Hydruntum dare Letium, & Brundusium, ac Tarentum, se huic paci intromitteret: aliter quod in primo vere dictus Turcus ad illas partes Regni navigaret, ut dictum est; & quod persuaderet dicto Regi, ne vellet frustra expendere in volendo eos Turcos in Hydrunto obsidere, quoniam non posset ob demonstratas provisiones antedictas, quibus se à Rege defenderent. Unde Dominus Julius à dicto Capitaneo discessit trepidus, & male contentus.

Eodem anno 1480. circa dimidium Novembris Gaspar de Scarabellis de Squadra Sancti Vitalis, & qui in novitatibus Parmæ audax & solicitus fuerat, verbis contendens cum Johanne Antonio de Sellis, de Squadra Ducali, vulneratus in femore expiravit.

Nocte septimidecimi Novembris prædicti, Gibellinus de Bernazonibus de Squadra Sanguinacia, juvenis, homicida, seditiosus, lusor, blasphemator, & qui in saccomano Rubeorum interfuerat una cum Corazino fratre suo, occiso post dictas novitates in Territorio Salæ, cum verba haberet in Capite Pontis cum quodam alio Sanguinacio, ab ipso pluribus successivis vulneribus confossus illico vitam emisit.

Die vigesimo Novembris cum larvati nocte dieque fierent, non verentes Cridas Gubernatoris, & maxima imminerent pericula, pro ut evenit anno præsenti tempore Carnisprivii, in quo occisus fuit Miles Domini Potestatis per larvatos, factæ sunt proclamationes in executione literarum Ducalium, quod sub pœna indignationis Ducalis nullus se faciat larvatum usque ad Festum Sancti Antonii de mense Januarii anni proxime futuri, nec postea sine speciali licentia Ducali. Et utinam hoc observetur.

Cum captus fuisset Dominus Marcus de Piis de Carpo in bello Florentinorum contra Sarzanam per Dominum Objectum de Flisco, ut supra est narratum, missus est Neapolim in manibus Regis Ferdinandi. Et hoc medio tractatum fuit ponere in Carpo consanguineos suos, è dominio Carpi tempore Ducis Borsii Estensis ob tractatum contra eum ordinatum expulsos. Quem tractatum Dux Hercules tunc existens Gubernator Mutinæ pro fratre suo Domino Borsio patefecit, ex quo gratiam fratris assecutus, postea Ducatum obtinuit. Et dum Illustris Dominus Robertus de Sancto Severino die XXIV. Novembris mitteret Dominum Gasparem filium suum cum suis gen-

tibus in Parmensi alloggiatis, & cum uno homine armato pro singula domo Castellantiæ Colurnii, ut irent Carpum pro ponendis dictis expulsis attinentibus suis in dominio, & illis Bersillo appropinquantibus ad ictus trium bombardardarum Rochæ Bersilli, omnibus de sua jurisdictione arma capientibus, & obviam venientibus illis, prohibuerunt ulteriorem accessum.

Cum Rex Ferdinandus multa parasset pro obsidendo Hydruntum à Turcis in Apulia captam, Turcus misit multas victualias tamen metus, quam defensionis causa Capitaneo suo in ipsa Civitate; ob quod Rex ipse maxime fatigatur expensis. Et dicitur habere quinquaginta mille personas in ordine compartitas in Civitatibus, Castris, & passibus Apuliæ proximioribus Hydrunto; & pro his, & armata sua, quæ numquam potuit habere ventos prosperos, expendere singulo mense centum mille aureos, & proinde per viam Regis Hungariæ generis sui confinantis Turco multas practicas fecisse, & facere, ut cum eo Turco capiat accordium; & hanc inter eos restare majorem difficultatem, videlicet quod Rege volente per Turcum Venetis guerram rumpi, hoc recusat ob pacem & confœderationem cum eo inter se initam. Dictumque fuit hoc mense Novembris vigesimo quarto, Turcum personaliter cum ducentis millibus prœliatoribus applicuisse Vallonam ex opposito Apuliæ distantem mari Adriatico latitudinis sexaginta milliarium, ut in Apulia & Sicilia discurrat. His tamen non obstantibus, dictus Rex Ferdinandus noluit Florentinis Castra illis accepta reddere: ob quod creditur Florentinos dedignatos intelligentiam cum Venetis Turco adhærentibus habuisse. Videtur mirum, quod in tota Italia nullus Princeps, nec ulla Potentia se moveat pro succursu dicti Regis, unde omnes vociferant, Dei nutu, & permissione hæc fieri; nec reperitur qui se doleat, vel compatiatur dicto Regi.

Vigesimo secundo Novembris 1480. circa horam vigesimam quartam apparuit in medio plateæ magnæ Communis Parmæ ignis ad modum stellæ cadentis, qui finivit super tecto Palatii Potestatis, absque ulla læsione, qui à multis est visus, & multis præbuit terrorem.

Multæ etiam lamentationes factæ sunt in rima, quæ ubique per plateas cantantur coram Populo, & venduntur. Attamen omnes videntur dormire.

Illustrissimus Dominus Dux Mediolani concessit Domino Johanni Francisco Pallavicino jurisdictionem Seravallis Parmensis cum tota Potestaria, quæ per Consilium Parmæ dabatur singulo anno ad brevia; & cum intersit Communitatis Parmæ, licet tentatum sit, nullus voluit jura Communitatis tueri ob dissensiones Squadrarum Parmensium, & maxime cum Nobiles Pallavicini reperiantur tres Fratres in Statu Mediolani, & qui aliis prævalent, maxime de Pallavicinis, qui habent curam Domini Ducis parvi; & auxilium fit in Arce Castri Portæ Jovis, ubi se reduxit Dominus Dux in remotione Tassini, & Dominæ Ducissæ. Pro qua Jurisdictione habenda solvit Cameræ aureos octingentos.

Hoc mense Novembris ubique per Civitates, & plateas vendebatur Epistola eloquentissime condita literali sermone de bello Turci hac æstate promota Rhodi, in quo bello

A Turci victi sunt, & expulsi, licet illic centum vela, & centum mille pedites haberent, & licet tot & tantis ictibus bombardarum magnam partem murorum demoliti fuissent; quammulta ex Turcis millia necati, & obtruncati sunt. Et narratur mirum, quod cum ultimate Turci victoriam sperarent, mœnia jam Urbis ascendentes, repletâ foveâ, quod in aëre illis clare cernentibus supra vexillum Hierosolymorum, in quo est imago Domini Nostri Jesu Christi, Virginis Mariæ, & Beati Johannis Baptistæ, apparuit Crux aurea splendidissima, & insuper candidissima Virgo, clypeum, & hastam gerens, ac homo vili veste obsitus, splendidissimo comitatu stipatus.

B Quæ visio tantum terrorem incussit, quod Turci nullo pacto ausi sunt ultra progredi; & sic relictâ victoriâ aufugisse ad eorum territoria, quos Christiani sunt insecuti, vexillo eorum Capitanei potientes. In qua pugna ex Turcis ceciderunt tria millia quingenti; & omnibus computatis in omni conflictu novem millia, vulneratique sunt quindecim millia. In quibus prœliis frater Magni Magistri Rhodi strenuissimus cecidit, unus ex Capitaneis, & gener Turchi. Relatumque est, die secunda post victoriam Rhodianorum in portu applicuisse tres naves onerarias Regis Ferdinandi victualiis, & munitionibus onustas, quarum una à Turcis insultata vix eorum manus in portu Rhodi aufugit: quod Turci cernentes cum incommodo & dedecore in patriam navigaverunt.

Vigesimo quinto Novembris 1480. cum filius armigeri, & homines de Colurnio Domini Roberti de Sancto Severino transivisset noctis tempore Cavam cum dupleriis, & lanternis accensis, & una nocte applicuissent ad portam Carpi, credentes intrare, cum diceretur illic fore tractatum: in favorem foris è dominio existentium, repererunt ad merlos supra portam fuisse appensum quemdam Carpesanum ductorem tractatus; & cum ad mœnia exhortarentur homines ad mutationem Domini, expulsi sunt spingardis, & ballistis; nec valentes exequi eorum desiderium, quamcitius terga dederunt. Nam jam intus Borsius de Corrigia nepos Domini Marci de Piis cum centum armigeris, & aliqui alii attinentes de Regio, & Mutina, hoc sentientes intraverunt Carpum, ut illius dominium tuerentur pro Domino Marco capto Sarzanæ, & ducto Neapoli. Ob quod Dux Hercules iratus multa scripsit Domino Roberto, qui se excusavit, & dixit hujus rei esse ignarum. Et filius suus prædictus, & Thomasinus de Delayto ejus Cancellarius, iverunt Mantuam; & dicitur, quod hoc fecerunt, ut innocentiam Domini Roberti Duci Herculi demonstrarent. Sicque Status Domini Marci salvus restavit.

E Cum orta foret dissensio non modica inter Dominum Baptistinum de Camposregosio Ducem Januæ, & Dominum Objectum de Flisco, cumque ipse Dux nonnullos armigeros Comitis Marsilii Torelli cognati sui vocasset, & ipsum Comitem Januæ, Dominus Dux Mediolani misit ipsi Domino Objecto tenenti Lucullum mille provisionatos, quoniam ipse Dominus Objectus sustulit dominium Januæ Domino Duci Mediolani, cujus erat ante creationem in Ducem Domini Baptistini prædicti, qui ipsum dominium obtinuit, cum Status Mediolani sibi Castelletum dedisset. Quid sit venturum incertum est ob Januensium.

fium volubilitates. Attamen ab una parte clamatur *Aragona*, ab alia *Duca*.

Superius in mense Octobris narratum est de locustis, quæ in agro Parmensi apparuerunt, & valde dubitatur de peste. Nam legitur in Chronicis antiquis, quod tempore Pelagii Pontificis locustæ innumerabiles in Galliis apparuerunt, fenas habentes alas, sex pedes, duos dentes lapidibus duriores, ut castrorum acies turmatim volantes, spatium diurni itineris quatuor aut quinque millibus extendentes, omnia viridia in herbis, & arboribus vastantes. Quæ usque ad mare Britannicum pervenientes, tamdem flatu ventorum in profundo maris demersæ sunt. Sed æstu Oceani ad litus rejectæ, ex sua putredine aërem corruperunt. Unde mortalitas maxima, & fames prævalida est secuta, ut fere tertia pars hominum interierit. Hoc idem anno jam centesimo evenit in agro Parmensi, adeo quod omnia viridia in primo vere corroserint, & pestis, ac fames est secuta. Hoc tempore Pharaonis legitur evenisse.

Hoc mense Novembris Rege Ferdinando à Domino Duce Mediolani auxilia petente contra Turcos in Apulia, & eo non restituente Castra Florentinis sibi occupata, responsum est illi, quod primitus Castra ipsa restituat, aliter non speret à Domino Duce Mediolani auxilium.

Cum maxima pecuniarum summa deberetur per Dominum Ducem Mediolani Marchionibus Montisferrati, Ferrariæ, Mantuæ, ac aliis stipendiariis, recessâ Dominâ Ducissâ à Mediolano, jocalia, argentum, & vasa aurea maximo in numero relicta per quondam Dominum Ducem Galeaz in morte sua, vendita, & dispensata sunt, ac ex eis omnibus satisfactum, ne manus in ærario reposito in primis Status fortilitiis imponerentur, & ne sub usuris Status Mediolani subjaceret. Quæ quidem jocalia, vasa aurea, & argentea erant maximi pretii, & inæstimabilis valoris. Et inter cetera aderant omnia fulcimenta pro tabula Principis aurea in numero duodenario pro singula re absque bronzino, & bacili aureis.

Habentur literæ ex Neapoli circa finem Novembris anni 1480. qualiter mediante Hungariæ Rege genero Regis Ferdinandi tractatur pax inter Turcum, & ipsum Regem Ferdinandum.

Circa dimidium Decembris 1480. omnes Judæi ex Dominio Ducali, quibus facta fuerat descriptio bonorum, ut superius est narratum, & detentio, ac accepti libri bancorum suorum ob eis imputata ut supra, tamdem concordes remanserunt cum Statu Mediolani in Ducatis sex mille, quibus mediantibus liberati sunt.

Pro controversia existente inter Dominum Objectum de Flisco, & Dominum Baptistinum de Campofregosio Ducem Januæ, factum fuit intra Civitatem inter partes maximum bellum, in quo hinc inde multi cecidere, & plures ex Ducalis Status Mediolani provisionatis missis in succursum Domini Objecti, contra quos Comes Marsilius Torellus Parmensis, Cognatus dicti Domini Ducis Januæ, viriliter pugnavit, & victor fuit. Attamen duos armigeros ex suis carioribus in pugna vulneratos amisit. Et hæc fuit tempore proxime dicto.

Quo etiam tempore Bassà Capitaneus Turci, qui erat in Apulia in Hydruntina Civitate, ibidem dimisso exercitu suo, transfretavit ad Turcum, & ut creditur, pro pace cum Rege Ferdinando tractanda. Quæ speratur succedere, quoniam Rex idem numquam voluit Castra Florentinis restituere anno curso in agro Florentino expugnata, & quia Rex Hungariæ gener dicti Regis hanc pacem tractat, & dicitur quod Rex Ferdinandus se Turco facit tributarium.

Scriptæ sunt literæ ab Alexandria Domino Potestati Parmæ per quemdam ejus attinentem, quod vitæ suæ diligens custos existat, quoniam relatum est cuidam mulieri Alexandrinæ per Folletum, quod debet venenari, vel interfici ab uno trium Squadrarum Parmæ, ob justitiam ipsius Domini Potestatis, ob quod idem Potestas timidus leviter in omnibus transit.

Usque in principio hujus mensis Decembris reversus est Parmam filius Matthæi Pitochi, qui interfecerat anno curso hoc tempore Leonardum de Blondis, contra quem nulla lata est sententia. Et dixit se dicti homicidii insontem, licet aufugeret, & vere illic fuerit. Publice vadit per Civitatem, & libere absque justitiæ metu. Ille etiam barberius, qui pridie à duobus mensibus citra occiderat Zanpetrum Cartinacium homicidam Jacobi de Cola, rediit liberatus, quia dicitur immunis à pœna, cum homicidam interemerit, & bannitum.

Multa fuit dissensio hoc anno in fine mensis Decembris pro fiendo Consilio anni futuri, quod finiebat in Calendis Januarii anni 1481. Tamdem omnibus Squadris contendentibus, per Illustrissimum Dominum nostrum ordinatum fuit, quod de bussulis, in quibus restant duæ mutæ, extrahantur duodecim Antiani; & sic factum est, dicens Princeps, quod hac muta durante fiet provisio novi Consilii. Nam aliqui volebant Consilium finisse hoc anno; & aliqui volebant durare per sexdecim menses, pro ut alias ordinatum est; & quælibet partium altercabatur. Et dum foret Consilium congregatum pro dandis officiis Communis more solito, in eo intervenit Reverendissimus Dominus Parmensis Episcopus, levataque sunt vigintiquatuor officia Communis, quæ per Communitatem solvebantur, ne Communitas frustretur.

Qua die in publico Consilio Dominus Petrus Trottus Alexandrinus Commissarius Parmæ loco Domini Antonii Trotti licentiam à populo suscepit, in cujus locum habet succedere Dominus Andreas Cagnola Mediolanensis.

Multa homicidia hoc anno sunt facta in Parma, & Parmensi ad numerum viginti unius, quorum in Civitate fuerunt novem.

Hoc etiam anno valuit starium frumenti soldis quatuordecim, usque in quindecim. Fuit major abundantia quam visa fuerit jam annis viginti, & in multis locis vindemia duravit usque ad Sanctum Martinum. Fuit abundantia aquarum sine nive, & glacie, & frigore.

In die Natalis Domini anni præsentis cum multa prœlia facta fuissent in Civitate Januæ inter Fregosios, & Gattiscos sub ficto colore pacis, datis hinc inde obsidibus, dum Dux exiret Castellettum, ut veniret in loco, & hora statutis pro pace concludenda, sentiens adversarios non venisse ad locum statum, armari fecit gentes suas, ut à Castelletto veniret ad Palatium. Qui cum descenderet, ab inimicis vallatus, & in medio intra Palatium, &

& Castellettum positus fuit, ubi magna strages, hominum utriusque partis fuit, & vix Dux obtinuit, & in Castelletto est reversus. Ob quod Gattischi, & Adurni insimul colligati ex Civitate pulsi sunt cum eorum ingenti damno, & dedecore. Et fuit in populo inauditus planctus, & ululatus mulierum, & virorum, ob tantam cædem, & expulsionem. In qua rixa, & seditione quam multi ex amicantibus Domino Objecto de Flisco positi sunt, & mancipati in galêis.

Facta fuit in fine hujus anni colligatio inter summum Pontificem, & Regem Ferdinandum ob Turcos in Apulia existentes ad eorum expulsionem, ob quam Pontifex tenetur manutenere propriis expensis quindecim galêas armatas in auxilio dicti Regis.

B In die Natalis Domini hujus anni Illustrissimus Dominus Dux Mediolani, licet parvus, exivit Arcem, & venit ad Capellam Salæ viridis, ubi pater Missas celebrari faciebat, & multis adhibitis secum Curialibus audita solemni Missa creavit Militem Dominum Philippum de Eustachiis Castellanum dictæ Arcis, ac illi donavit pulcherrimam Turcam quondam Genitoris sui. Item Castrum novum Buccæ Addæ. Fecitque militem quemdam de Ponzonibus de Cremona, donavitque Domino Pallavicino divisam suam Ducalem caligarum albæ, & morellæ. Quæ omnia indicant, Principem crescere, & magnanimum, licet parvum.

C Post decapitationem Domini Cichi liberati fuerunt à carceribus Johannes Cichi frater suus, & Dominus Antonius alter ex filiis dicti Domini Cichi, & missi sunt extra territorium Ducale in confinibus. Cui Johanni restitutæ sunt ejus possessiones. Dicto verò Antonio consignati sunt reditus certorum denariorum, quos ipse Dominus Cichus habebat Januæ. Dominus vero Johannes Jacobus alter ex filiis dicti Domini Cichi residet in Alamannia cum Cognato suo, ad quem aufugit cum multis aureis, & bonis pretiosis in captura Domini Cichi.

D ¶Hoc anno 1480. illi Cives de tribus Squadris, quibus assignatæ sunt additiones Communis pro restitutione illarum librarum decemseptem millium, quas solverant saccomanatis de Squadra Rubea, exegerunt, & perceperunt ex illis in totum libras quindecim mille sexcentum Imperialium.

Anno 1481.

Die sexto Januarii 1481. Dominus Petrus Trottus Alexandrinus Parmæ Commissarius summo mane cassus ab officio recessit, qui dignus est ad Limbum descendere, cum nihil mali nilve boni egerit, cum proclamationes & mandata nullatenus observabantur, cognominabaturque D . . . . *San Gervaso*.

E Qui fuerat Sacerdos Medicus ejusdem . . . . gressus. Nam clausa ejus Palatii janua in nocte sep . . . . . . multi lascivi . . . . . . compositi Juvenes ad ipsam januam, & ad fenestras . . . . illum vocabant dicentes: *vien zoso Don Jacomo a veder questa orina*. De quo ridebat, nec punitionem faciebat.

Octavo Januarii prædicti elatum est Parmam cadaver Magnifici Domini Fratris Rolandi Rubei Militis Hierosolymitani fratris Magnifici Domini Petri Mariæ de Rubeis naturalis, qui fuit strenuus miles, & contra Turcos pro Fide Catholica Rhodi alias se viriliter gessit; decessitque portans barbam, & staturæ gigan-

A teæ in Castro Nuceti, sepultumque fuit in Ecclesia Sancti Antonii in sepulcro patrio cum maximo exequiarum apparatu, & cum omnis Populi, & Cleri comitiva, cum esset septuagenarius. Pro cujus morte vestiti sunt ex biseto quadraginta pauperes, feretrum ante euntes; & singulo die usque ad septimam celebratum fuit in dicta Ecclesia unum solemne Officium mortuorum; & die sui septimi data sunt pro ejus anima staria centum panis cocti; & pro anima ejus in totum sunt celebratæ Missæ quinquecentum, & habita fuit pro eo Oratio funebris per Dominum Baptistam C . . . . . .

B Die duodecimo Januarii 1481. applicuit Parmam Magnificus Doctor Dominus Johannes Andreas Cagnolus Mediolanensis pro Parmæ Ducali Gubernatore, associatus à Reverendissimo Domino Parmensi Episcopo, & ab aliis Officialibus, & multis Civibus Parmæ.

Hoc mense Januarii in principio ob dissensiones Januensium Dominus Marchio Mantuæ, Nobiles de Nuvellaria, & multi alii attinentes Comiti Marsilio Torello pro subsidio Ducis Januæ miserunt quammultos pedites provisionatos Januam. Ex opposito vero in subsidium Domini Objecti de Flisco Status Mediolani illuc multos etiam provisionatos misit, ex quo Civitas ipsa stat in magno discrimine.

C Quintodecimo Januarii factæ sunt publicæ Cridæ ad . . . . Plateæ Parmæ parte Domini Johannis Andreæ Cagnoli Gubernatoris in Parma, quod nullus portet arma, vadat in nocte sine lumine, nec plures quam quatuor sub uno lumine, quod nullus recipiat bannitos sub gravi pœna; & quod omnes bene vivant.

Die sextadecima Januarii venerunt nova Parmam, qualiter expulso Domino Objecto de Flisco cum sequacibus suis è Janua, & multis domibus sibi faventium saccomanatis, facta fuit concordia inter ipsum, & Ducem, ea lege, quod ipse Dominus Objectus stet foris; & Dux sibi respondeat de certa annua provisione.

D Die vigesima Januarii venit Parmam pro Officiali bullettarum loco Luciani de Trottis Leonardus de Lam . . . . . . à Mediolano, & nunc reperiuntur omnes Officiales fore Ghibellinos, videlicet Dominum Episcopum, Dominum Commissarium, Dominum Potestatem, Dominum Referendarium, Officialem Bullettarum, Officialem taxarum equorum, Capitaneum Cittadellæ, & Castellanos Rochettarum Civitatis Parmæ, ac Capitaneum Venetum.

Die suprascripta applicuit Parmam Dominus Petrus de Galerate à Mediolano, qui jam sex mensibus stetit modo Florentiæ, modo Senis, modo Romæ, modo Neapoli pro Statu Mediolani, ut Rex Ferdinandus restitueret Florentinis Castra sua, & nihil profecit.

E Die vigesima Januarii Thomasinus Gualercius de Monticulo Commissarius Cuvriaci recedens à Monticulo iturus Cuvriacum cum certis pecuniis, in itinere insultatus à quodam ejus inimico fuit obtruncatus, & derobatus.

Vigesimo secundo Januarii quidam famulus Johannis Aldigerii de Cornazano, qui iverat Mediolanum, cum fuit citra Hospitale Sancti Lazari prope Burgum Sancti Donini . . . . us à quodam famulo Angeli de Ballestreriis de . . . . cum quo verba pridie rixosa habuerat in plateis, cum ense primo ictu decapitatus fuit existens equester, cujus cadaver delatum est Parmæ super una lezia . . . . . .

Hoc

Hoc mense Januarii 1481. Illustrissimus Dominus Dux Mediolani concessit Domino Pallavicino de Pallavicinis Villam Castioni Marchionum Parmensium, quæ obediebat Parmæ, quoniam in partitionibus ipsius Domini Pallavicini, & Domini Johannis Ludovici fratris sui aliquæ Villæ obedientes Busseti datæ sunt ipsi Domino Johanni Ludovico.

Quo etiam tempore præfatus Dominus Dux concessit Nobilibus de Corrigia de Casalipadone Villas Nucetuli, & Ulmi ultra Hentiam, quæ antea tenebantur per Communitatem Parmæ. Illustrissimus Dominus noster donavit Domino Nicolao de Corrigia Castrum Castellacii Alexandrinæ Diœcesis, quod alias Dominus Tristanus Sforcia patrignus ejus tenebat. Concessa fuit per Illustrissimum Dominum nostrum uni ex filiis quondam Domini Nicolai Pallavicini de Varano Commendaria, quam tenebat quondam Dominus Frater Rolandus de Rubeis, qui decessit pro ut supra narratum est.

Præsenti hoc Januarii mense Rex Ferdinandus multa præparat, ut quamcitius castra ponat Turcis occupantibus Hydruntum, & proinde Rex Hispanorum patruus suus illi mittit tres mille milites jam hac transeuntes.

Quarto & vigesimo die Januarii de mandato Dominorum Officialium Parmæ convocati sunt coram eis, & Reverendissimo Domino Episcopo Parmensi, Antiani cum multis adjunctis, ubi tractatum fuit iterum de levando in totum additiones Communis, pro ut anno curso fuerat ordinatum, super quo data fuit commissio, & potestas octo Civibus superinde electis.

Die vigesimo quinto Januarii cum filius quondam Domini Cichi de Furlivio pulsus patria, & privatus dominio, moram faceret Colurnii, & ivisset venatum ad lepores in Pratis terreni Parmensis districtus Colurnii, concisus, & crudeliter obtruncatus fuit à duobus compatriotis suis, quos ipse penes se tenebat, credens fore sibi fidos. Nam hi sub pollicito præmio fingentes factos fuisse exules à patria, moram in famulando trahebant cum præfato occiso, juvene quidem pulchro & animoso.

Quoniam Comes Marsilius Torellus existens Januæ fidejussit de septem mille aureis pro Domino Marco de Piis de Carpo capto Sarzanæ à Domino Objecto de Flisco, & ducto Januam, quod ab inde non recederet, qui tamen aufugit per viam Galliarum, & ivit Pisas: ordine inito cum Protonotario fratre Comitis Marsilii existente Montisclericuli, ipse Protonotarius juvenis & audax, sub ficto colore aliqua secreta conferendi cum filio dicti Domini Marci, existente Carpi, & eo extra Carpum vocato, ipsum filium prædictum cepit, & ligatum duxit Montisclericulo. Pro quo capiendo secum duxit quadraginta ballistarios equestres, & viginti armigeros. Quo capto, rumor in Carpo, & Villis adjacentibus, à ruralibus levatur, & undique, & de loco ad locum pulsata fuit strimita campanarum, & jacta bombarda, & insequentibus ubique dictum Protonotarium, ut captum redimerent, tandem dictus filius Domini Carpi ductus fuit in potestate dicti Comitis Marsilii & fratrum in Monteclericulo, ad hoc quod ipse Comes præservetur à dicta fidejussione facta Januæ, quod Dominus Marcus antedictus non aufugeret. Ob quod Dux Ferrariæ valde indignatus est, quod tali arte & fraude ejus territorium fuerit violatum, quod fuit vigesimo sexto Januarii anni præsentis 1481.

Quo tempore Turcus, ut fertur, misit ad Vallonam ultra mare Adriaticum ex opposito Apuliæ sexaginta mille equites, & totidem pedites, transituros in primo vere in Apuliam, ut guerram faciant Regi Ferdinando. Summus Pontifex, ut fideles Christi ex pastoralis sui officio tueatur, maximam imposuit coltam Romanis, & aliis suis Populis pro pecunia cumulanda, ac etiam tota ejus vasa argentea misit ad cecham, & ex eis nummos confici facit, ut in primo vere possit centum galêas armare in auxilium dicti Regis. Qui Rex similiter undique auxilia poscit; dubitantque Romani, ne Turcus veniat Romam, pro ut minatur, & narrant multæ prophetiæ.

Primo Februarii 1481. reversus est Parmam Franciscus del Frà armiger Illustris Domini Roberti de Sancto Severino, & de Squadra Sancti Vitalis, qui in æstate proxime cursa mactaverat Thomam de Varesio de Squadra Rubea, ut narratum est, & obtinuit gratiam nulla secuta pace: quod omnibus mirum fuit. Nec umquam condemnatus fuit, pro ut alii multi homicidæ Squadrarum trium, contra quos nemo ausus est testificari ob unionem ipsam trium Squadrarum ad invicem.

Hac eademmet die cum multi fierent larvati portantes bastonos & arma, ut scandala evitentur, proclamatum fuit parte Domini Gubernatoris sub gravi pœna, ne quis larvatus bastonos nec arma deferat.

Venerunt Parmam copiæ literarum quinto Februarii prædicti, quæ scribebantur ex Andrinopoli Civitate Regia Turci per quemdam Christianum effectum Mahumetanum Comiti Mataloni in Regno Siciliæ de apparatu ingentissimo Turcorum contra Regem Ferdinandum in Regno ejus, & qui apparatus dicitur fore de sexcentis millibus personis, & infinitis navibus onerariis, & aptis ad prœlia; & dicitur eorum Bassam, & Capitaneum fore unum Generum Turci divitem trium millium mille aureorum. Multi ex eis Vallonæ applicuerunt, ob quod Rex Ferdinandus multa præparat, & collectam in subditos suos præparavit, infinitam massam auri conficientem octo millium mille aureorum ad rationem decem pro centenario cujuslibet subditi sui, inter quos etiam Presbyteri connumerantur.

In nocte septimi Februarii anni 1481. fuit magnus terræmotus in Civitate Parmæ hora quinta noctis sequentis, qui tribus vicibus ea nocte venit, sine tamen aliqua læsione.

Applicuit Mediolani in principio hujus mensis Februarii Jacobus Monsignor de Sabaudia cum trecentis equis, tamquam Orator Serenissimi Regis Franciæ, Cognatus quoque Dominæ Ducissæ Mediolani; pro tractando reditu in primo gradu Dominæ Ducissæ Mediolani, quæ adhuc residet Abiate, ad quod ivit post remotionem Tassini, & decapitationem Domini Cichi, fuitque honorifice receptatus, descenditque in Curia veteri. Quid autem sequetur, sub dubio est.

Decimo Februarii scriptum fuit ex Roma Parmam, qualiter applicuerunt Hydrunti in Apulia naves viginti sex Turci, onustæ munitionibus, artellaria, & victualiis, & cum sex mille arceriis, de quo tota Roma pavet, & ultra vasa argentea Pontificis in pecunia conflata, multas cruces, & calices in Ecclesiis

fiis superfluos converti fecit Pontifex in monetis pro apparatu contra Turcum.

Circa dimidium Februarii dicti anni 1481. venit Parmam quidam Tubicen Magnifici Domini Petri Mariæ de Rubeis, qui stetit annis quinque in Constantinopoli ad servitia Turci, narrans quod ipse Turcus nullos Christianos molestat in Constantinopoli, quin vivant more Christiano, & ibi celebrantur Missæ, & alia divina Officia, ubi jus omnibus redditur, dicensque quod cum multi Nobiles captivi de Hydrunto Civitate Apuliæ à Turcis capta ducti ad eum fuissent, & sibi narrassent crudelitates factas illic per ejus Bassà, quod hoc intelligens decapitari fecit dictum Bassà. Ac etiam quia habuerat in mandatis castra ponere Brundusii pro habendo receptaculo portus, ac etiam non faciendi tot crudelitates, quot fecit. Nam dicti captivi ipsi Turco affirmarunt, quod si non uteretur tantis crudelitatibus, quod vi totam Apuliam adeptus fuisset: unde Turcus præparaverat naves quatuorcentum mittendas in Apuliam cum impositione, ne uterentur crudelitatibus, sed bellum faciant more Italico.

Hoc tempore principii Februarii cum Regentes Statum Mediolani scripsissent Aloysio Becheto Secretario Illustrissimæ Dominæ Ducissæ, cum ea existenti Abiate, quod iret ad eos Mediolanum, hic recusavit, & ivit extra dominium Ducale, ob quod dicti regentes saccomanari fecerunt in Mediolano ejus domum.

Fuit etiam hoc tempore Mediolani maxima rixa inter famulos Illustris Domini Ludovici Sforciæ, & Domini Roberti ex Sancto Severino, inter quos multi sunt vulnerati, & octo mortui.

Scriptæ sunt literæ ex Barrio Parmam, qualiter Rex Ferdinandus cum magno exercitu venit in Apuliam, ut castra poneret Hydrunto captæ à Turcis, & ipsos expelleret. Et cum fuerunt ad manus, interfectus fuit Dominus Julius primarius dicti Regis, & una quarta pars dicti exercitus Regis obtruncata, multique etiam ex Turcis periere.

In tempore proxime dicto applicuerunt ad Portum Liburni Florentinorum in riparia Pisarum galeæ viginti quatuor armatæ, quæ dicuntur fore Turci. Multi tamen tenent, quod sint Afri, sive Mauri, soliti illas partes discurrere pro præda capienda.

Vigesimo quarto Februarii venit Parmam Dominus Johannes Avogadrus de Mediolano pro reformatione, & nova æqualantia Æstimi districtualium Parmæ, ad quam cum eo deputati sunt octo Cives, duo pro singula Squadra.

Die XXV. Februarii ex Mediolano Parmam venit Dominus Nicolaus de Corrigia filius alterius quondam Domini Nicolai ex Domina Beatrice sorore Ducis Herculis Ferrariensis nupta secundo in quondam Illustrem Dominum Tristanum Sforciam filium naturalem Illustrissimi Domini Ducis Francisci Sforciæ, cui Illustrissimus Dominus nunc Dux parvus Mediolani condonavit Castrum Castellatii Alexandrinæ Diœcesis, ipsumque de Vicecomitibus creavit, ac Comitem dicti Castri. Qui cum maximo comitatu Officialium, & Civium Parmæ, de mandato Ducali associatus fuit in Parma cum trombis, & piffaris, alloggiavitque in domo Johannis Aldigerii de Cornazano in vicinia Sancti Johannis prob. . . . de medio.

Reperiuntur hoc tempore ad regimen Sta- A tus Mediolani vigintiquatuor Consiliarii, videlicet residentes, & triginta, absentibus computatis, videlicet:

Illustris Dominus Ludovicus Sforcia Vicecomes.

Illustris Dominus Robertus ex Sancto Severino.

Reverendissimus Dominus Branda de Castiliono, Episcopus Cumanus.

Reverendissimus Dominus Jacobus de la Turre, Episcopus Cremonæ.

Reverendissimus Dominus Sagramorus de Arimino, Episcopus Parmæ.

Dominus Comes Johannes Bonromeus.

B Dominus Johannes Franciscus de Trivultio.

Dominus Philippus Maria Sforcia.

Dominus Sforcia secundus.

Dominus Johannes Antonius Cotta.

Dominus Petrus de Pusterla.

Dominus Petrus de Landriano.

Dominus Petrus de Birago.

Dominus Petrus de Galerate.

Dominus Petrus Vicecomes.

Dominus Petrus del Verme.

Dominus Petrus Maria Rubeus.

Dominus Petrus Franciscus Vicecomes.

Dominus Johannes Petrus Brigamini.

Dominus Philippus Vicecomes.

Dominus Gaspar filius Domini Roberti.

Dominus Antonius de Marliano.

C Dominus Pallavicinus de Pallavicinis,)

Dominus Johannes Franciscus Pallavicinus,) Fratres.

Dominus Johannes Ludovicus Pallavicinus,)

Dominus Bartholomæus Calcinus.

Dominus Albertus Vicecomes.

Dominus Johannes Franciscus de Pusterla.

Dominus Nicolaus de Corrigia.

Die vigesima sexta Februarii scriptæ sunt literæ ex Apulia Parmam, qualiter Turci ceperant Castrum Mellinum Ducatus Atrii in Apulia, & quod per ejus agmen deferri faciebant affixum cuspide lanceæ caput Domini D Julii, & aliquorum aliorum in prœlio occisorum, terrorem populis facientes; unde pedites mille quingenti Regis stipendium sumserunt ab ipsis Turcis de ducatis quindecim pro singulo pedite mensuatim, & quod pacta, quæ ineunt cum hominibus dicti Castri, observabant, nec solitas crudelitates inferebant: ob quod trepidatur, ne hoc anno totam Provinciam obtineant.

Die penultimo Februarii Dominus Johannes Avogadrus deputatus super nova Æstimi reformatione in Parmensi, convocatis Dominis Antianis, & Credentiariis, legit literas, qualiter Illustrissimus Dominus noster requirit à Communitate Parmæ ducatos sex mille pro E subsidio Regis Ferdinandi, ut Turci pellantur de Apulia. Cui Domino Johanni fuit responsum, quod hæc Communitas est pauperrima, nec valet dictas pecunias solvere. Ultimo Februarii factum fuit novum Consilium Parmæ, & imbussulatum pro anno præsenti, missumque fuit ex Mediolano. Die tertio Februarii parte suprascripti Domini Johannis Avogadri, & aliorum Civium Deputatorum super æqualantia fienda in districtu Parmæ, facta fuit Crida, & publicatio Capitulorum pro dicta fienda æqualantia.

Die septimo Februarii parte Domini Commissarii Parmæ facta fuit, & reiterata Crida, quod

quod nullus portet arma de die nec nocte, & quod amplius non fiant larvati, & hoc cum nullus obediret, & quotidie evenirent multa scandala sine obedientia & timore.

Octavo Februarii 1481. scriptæ sunt literæ ex Florentia, qualiter Rex Ferdinandus ceperat multas naves Turcorum in mari vacuas, & cum paucis gentibus desuper. Et nono dicti mensis scripsit Illustrissimus Dominus noster Officialibus Parmæ de captura prædicta, videlicet navium, sive galearum quatuordecim, & de captura Bassæ, sive Capitanei dicti Turci volentis ex Vallona cum multis Turcis transire in Apuliam. Et ob hoc ordinatæ sunt in toto dominio Ducali triduanæ processiones cum fallodiis, & sonitibus campanarum pro laudando Deum, & in signum lætitiæ.

Quintodecimo Februarii transivit per Parmam Magnificus Dominus Johannes Antonius Cotta Mediolanensis, & de regimine Status, Placentiæque Commissarius, quem Illustrissimus Dominus noster mittit Neapolim cum triginta millibus aureis pro subsidio impenso Regi Ferdinando contra Turcos.

Decimo octavo Februarii publicata fuit in Ecclesia majori per quemdam Fratrem Minorem Observantiæ Bulla remissionis plenariæ peccatorum à summo Pontifice concessa quibuscumque elargientibus in subsidium Fidei nostræ contra Turcos tantum quantum unus in una hebdomada consumit in victu. Cum potestate Confessorem sibi eligendi semel in vita, & semel in morte: item commutationis Votorum: item compositionis incertorum ablatorum, & fructuum Ecclesiarum male perceptorum, excommunicationum, & quorumcumque Casuum reservatorum. Cui publicationi totus populus intervenit, & in dicta Ecclesia est deputata capsa repositionis pecuniarum, ob quod omnes aliæ quibusvis Ecclesiis Indulgentiæ suspensæ sunt, salvo quod Indulgentia Rhodianorum.

Die decimo nono Februarii quoniam captus, & curlatus fuerat quidam Dominicus ex tribus Squadris, imputatus de furto paulo ante commisso in spoliando noctis tempore per rupturam apothecæ apothecam Francisci, & Danielis de Fregonziis, quam multis, & magni pretii pannis laneis, ob quod multi ejus consocii aufugerant. Et ut male compositi, & facinorosi non punirentur, sed impunes delinquerent, centum juvenes facinorosi insimul unanimes conspiraverunt jurejurando confœderationem firmantes, se se armis, & omni via juvandi, si alicui eorum quidquam molesti fieret, & exbursaverunt unum aureum pro singulo eorum, super hoc intra se ordinato uno ductore, & Caporali, & quatuor Squadreriis. Ob quod Michaël Sarasinus alias homicida captus fuit, qui omnia manifestavit.

Vigesimo Februarii ordinatum fuit convocari Consilium generale Parmæ cum viginti-quatuor Adjunctis pro modo inveniendo subsidium dandi Statui Mediolani, pro favendo Regi Ferdinando contra Turcos de ducatis sex mille huic Communitati requisitis; & ob metum scandali populi, maxime suprascriptorum Colligatorum, cum jam sonaret Consilium, ulterius non est processum, sed sola Credentia Antianis est adjuncta, in qua tractatum fuit per Officiales, quod hæc Communitas subsidium prætactum præparet, si Statum Ducalem amat. Unde deliberatum fuit, quod

A duo mittantur Oratores ad Illustrissimum Dominum nostrum tum pro excusatione impotentiæ Communitatis, tum pro additionibus levandis, pro quibus dubitatur, ne populus insurgat, & scandalum faciat.

Die vigesimo septimo Martii 1481. scriptæ sunt literæ ex Mediolano à Domino Duce, quod Orator ordinatus ire ad Principem pro subsidio petito, & pro impotentia Communitatis excusanda non vadat, sed quod omnino provideatur pecuniis. Unde ordinata fuit magna Civium Credentia coram Officialibus, inter quos ordinatum fuit rescribi de impotentia Communitatis ad tale præsidium dandum, & conclusum fuit ne daretur. Hac eadem die
B adjuncti sunt per literas Ducales octo deputatis super nova Æstimi ruralium æqualantia Syndicus, & Advocatus Fiscalis in Parma. Et sic proceditur in nova reformatione.

Die vigesima nona Martii scripsit Illustrissimus Dominus noster Officialibus in Parma, & Antianis, quod mittant Mediolanum quatuor Oratores unum pro qualibet Squadra cum mandato ad acceptandum partita proponenda pro subsidio contra Turcos per hanc Communitatem præstando, & vel saltem audituros, quantum superinde illis in hoc dicetur. Unde scriptum, & responsum fuit, quod hæc Communitas expensis frustrata est, ut in aliquo dictum subsidium non posset præstare; sed quod
C illi Cives, qui nunc Mediolani reperiuntur pro facto additionum, poterunt dicta partita intelligere, & exinde hic referre.

Hac quidem die venerunt nova, quod Dominus Objectus de Flisco, & Dominus Prosper Adurnus intraverunt Januam cum quinque millibus peditum, ut deponatur Dominus Baptistinus de Camprofregosio Dux, & quod jam multos Duci faventes obtruncaverant.

Decessit vigesima prima Martii Avia materna Domini Petri Antonii Centoni, quæ erat ætatis annorum centumquinque, nec reperitur alius tam senex in Civitate, nec Episcopatu Parmæ.

Hoc mense Februarii circa finem restituta
D sunt Florentinis omnia Castra eis arrepta per Regem Ferdinandum, ex quo illi exsolverunt aureos quatuordecim mille; & nisi fuisset impedimentum Turcorum, ea Castra non restituisset dictus Rex.

Secundo Aprilis 1481. hora secunda noctis, cum quidam Antonius de Mediolano Speciarius, vir satis tranquillus, & ætatis provectus, discedens cum laterna à speciaria illorum de Palmia, ut iret domum in vicinia Sancti Salvatoris, applicans ad angulam illorum de Borris, insultatus fuit, & multis vulneribus confossus, illico vitam perdidit, & marsupio derobatus fuit. Nec sciri potuit homicida.

Tertio dicti mensis Aprilis redierunt Par-
E mam illi Cives, qui iverant Mediolanum pro levandis additionibus Communis, & qui ex opposito ne levarentur, cum conclusione, & ordinatione in Consilio Castri facta, quod additiones ipsæ durent, & exigantur ab emtoribus per totum annum 1487. & per Rubeos sachezatos pro resto suo pro anno 1488.

Existentibus Turcis in Apulia, & obtinentibus Civitatem Hydruntinam, multæ eorum Galeæ accesserunt hoc anno 1481. in mense Martii ad Insulam, ubi Canonici Regulares Sancti Augustini habent in culmine montis Abbatiam fortissimam, & cui tota Insula circuitus trium milliariorum subest, ut Abba-

tiam funditus demolirentur, & Canonicos trucidarent. Quibus Beatam Virginem pro loci, & eorum liberatione orantibus, valida maris tempestas orta est, quassans, & perturbans naves. De cœlo quoque grandines assiduæ, & terribiles cadentes impedierunt truculentissimos Turcos ad terram descendere, inter quos aderant nonnulli Christiani renegati, qui memores misericordiæ, & gratiarum Beatæ Virginis se illis commiserunt, voventes numquam Fidem Christi derelicturos, & cum armis se in loco dictæ Abbatiæ pro gratiarum actione, si tempestas cessaret, profecturos. Quibus sic orantibus, reddita est mari tranquillitas, & voventes vota persolverunt. Turci vero cum navilio orta tranquillitate festivi discesserunt, Insulæ nullam offensam inferentes, quæ Insula est quadraginta milliariis in mari.

Quo tempore cum nonnulli Ragusini cum navi iter dirigentes ad partes Orientales navigarent, & procella impellente in scopulum dedissent, rupta navi, in terram profecti sunt, expectantes transitum alicujus navigii, à quo levarentur. Hoc medio nonnullæ Cursariorum Turci naves huc applicantes, & hoc perpendentes, omnes hos Ragusinos captivos duxerunt, quos in quadam arctissima turri aquosa observantes, Beata Virgo Maria precibus carceratorum ducta, hos omnes subito ullo sine navigio per trecenta maris milliaria ad dictam Insulam, & Abbatiam Canonicorum Sancti Augustini advexit, qui miraculum Fratribus enarrantes, obtulerunt se multis annis in eorum, & Beatæ Virginis servitia mancipare.

In principio hujus mensis Aprilis venerunt nova Parmam, qualiter Turcus in Constantinopoli se parabat venturum personaliter cum ingenti navigio, & apparatu Rhodum, & cum pluribus, & majoribus bombardis, quæ fecerat æstate decursa, instituens omnino Civitatem ipsam obtinere, nisi Deus obviasset.

Die decimo Aprilis transivit per Parmam unus elephas altus brachiis plus tribus, qui equitabatur ab uno ipsum ducente ex Janua Ferrariam ad Ducem Herculem, cui missus est à Rege Carthaginensium. De quo omnes admirati sunt, nec ullus equester poterat illum sequi, ex illius veloci itinere, & dicitur ætatis annorum duorum, habens duos dentes albos ab extra longos una palma.

Hac die applicuit Parmam Reverendissimus Dominus Episcopus Parmensis veniens à regimine Status Mediolani, ad quem deputatus est.

Undecimo Aprilis 1481. scripsit Illustrissimus Dominus noster Antianis, & Domino Johanni Avogadro deputato super novo Æstimo in Parmensi fiendo, & jam incœpto, quod amplius non ultra procedat, & quod ipse Dominus Johannes revertatur Mediolanum. Et hoc processit, quod Dominus Dux Ferrariæ nolebat æstimari homines suos de Bersillo, & de Castronovo. Similiter recusabat Comes Petrus de Verme pro Pupilio, & alii multi Nobiles, ex quo ulterius non est processum.

Hac quidem die vocati sunt Antiani cum quadraginta Adjunctis coram Reverendissimo Domino Episcopo, & aliis Officialibus, pro subsidio dando contra Turcos, & pro modo inveniendo ad ipsum subsidium. Die vigesimo quarto Aprilis, instante Illustrissimo Domino nostro habere subsidium ab hac Communitate pro dando Regi Ferdinando contra Turcos existentes in Apulia, multis factis Credentiis superinde, tamdem fuit ordinatum, quod dentur octo mille libræ, quarum Communitas solvat unam tertiam partem, & reliquum rurales.

Ea etiam die de mandato Ducali jussi sunt ire Mediolanum quatuor ex his centum Juvenibus, qui insimul consortium, & colligationem fecerant pro re hac intelligenda, & resecanda. Hi quidem inter alia ordinaverant domum sumere ad affictum, in qua quilibet eorum haberet arma sua, scilicet corazinam, spetum, & celadinam, ita quod pro quolibet eorum offenso reliqui arma caperent, & vindictam facerent: quod Civibus recte viventibus permolestum erat.

Die trigesimo Aprilis discessit à Civitate Parmæ, & rediit Mediolanum Dominus Johannes Avogadrus, qui venerat Parmam pro nova fienda provisione, cui silentium est impositum.

Die tertia Paschatis hujus mensis Reverendissimus Dominus Parmensis Episcopus fieri fecit super plateale majoris Ecclesiæ super tribunalibus eminentibus festum, & demonstrationem Historiæ Abrahæ, & Isaac immolandi, ubi fere omnis populus utriusque sexus interfuit.

Fuit his proximis diebus Mantuæ Dominus Hercules Dux Ferrariæ, ut visitaret Dominum Federicum Mantuæ Marchionem ob parentelam inter eos contractam, ubi honor maximus est sibi factus. Nunc autem idem Marchio vadit Ferrariam, ubi ingentia festa parantur.

Quoniam Comes Marsilius Torellus se à Domino Marco de Piis de Carpo deceptum clamitat ob fugam à Janua factam anno curso, idem Comes profectus est Ferrariam, ut citet, & interpellet dictum Dominum Marcum ad duellum ob fidem ruptam in dicta fuga, pro quo fidejusserat de aureis septem mille, ut superius narratum est anno curso.

Hoc mense Aprilis levatæ sunt Magnifico Domino Petro Mariæ de Rubeis taxæ equorum, quas habebat de quatuorcentis equis in suis terris; & scripsit Illustrissimus Dominus noster, quod de his Ducali Cameræ respondeatur, ob quod idem Dominus Petrus Maria male contentatur, & scripsit non obediturum, & has literas non procedere de mente Principis.

Quo etiam mense Status Mediolani devastari fecit pontem ligneum alias per Ducem Franciscum factum fabricari in flumine Padi prope, & ultra Placentiam per unum milliare, qui in constructione constitit multum, & erat pulcher, & utilis.

Quoniam anno proxime curso Dominus Johannes Franciscus Pallavicinus emerat à Ducali Camera Villas Stagni, & Telaroli prope, & citra Padum confinantes Rochæ blancæ Magnifici Domini Petri Mariæ Rubei, quas Villas à præcedentibus Ducibus numquam obtinere potuerat; & cum multi ex hominibus ipsarum Villarum essent devotissimi dicto Domino Petro Mariæ, ne alii subjacerent, hoc mense Aprilis circa finem viginti tres familiæ ex, & de ipsis Villis discesserunt cum rebus eorum, dejectis domibus, & lignaminibus, cupertis, & lateribus exportatis in Rocha blanca, ubi illis provisum est de domibus, & habitaculo propter eorum devotionem exhibitam Domui Rubeæ.

Hoc etiam mense Aprilis venerunt nova Par-

Parmam, qualiter Zovi-Cassam acceperat Turco unam notabilem Civitatem, alias nominatam Colchos, quæ est aliud Mediolanum, & ob hoc ingens inter eos paratur guerra.

Die sexto Maji reversi sunt Parmam illi quatuor juvenes vocati Mediolanum pro consortio, & unione illorum centum, qui insimul conspiraverant, ut superius est narratum, qui solum rebuffati à Regentibus Statum sunt, & nulla contra eos secuta est ultio, sic fatis disponentibus.

His diebus cum Dominus Johannes Franciscus Pallavicinus, habitis Villis Varani Mellegariorum à Ducali Camera, ulterius cuperet Castrum Vianini Placentinæ Diœcesis, hominibus illius loci ipsum recusantibus, Castrum ipsum à Ducali Statu datum est Domino Pallavicino Pallavicinorum Illustrissimum Dominum Ducem parvum gubernanti.

Erat præterea animus nedum præfati Domini Pallavicini, verum & Illustris Domini Roberti de Sancto Severino Castrum Turricellarum ripæ Padi Parmensis emere ab Illustri Domino Constantio Sforcia Pisauri Domino; sed Magnificus Dominus Petrus Maria hoc sentiens, Castrum ipsum acquisivit, & ut fertur pro ducatis mille auri. De quo multi æmuli valde tristati sunt.

Apparuit mirum in Civitate Parmæ octavo Maji 1481. Nam dum Desiderius de Grossis Parmensis senex annorum plusquam septuaginta, alias armiger, & continuus Datiarius, & usurarius, gucia percussus, vires & linguam perdidisset, ac ulla sine confessione ab hoc seculo migrasset die suprascripta, & qui dicebatur annis quadraginta stetisse ulla sine Confessione & Communione, dum pulsaretur campana Ecclesiæ majoris nuncupata *el Bayono*, hæc quidem campana pulsando fracta est, omni populo audiente. Dumque campana Baptisterii, de cujus erat Parochia, pulsaret pro exequiis suis, chorda, ut publice in populo fama erat, bis à se rupta est. Ob quod fuit publica vox, quod ob ejus Ecclesiasticam sepulturam hæc duo præsagia intervenerant, cum non mereretur Ecclesiastice sepeliri, & ob id nullus Presbyter dictæ Ecclesiæ voluit interesse, & tantum pauci Clerici, & duæ Fratrum Regulæ corpus ejus sepulturæ associaverunt. Hæc quidem campana ingens ac famosa erat, & ponderum ducentorum multo jam ævo fabricata.

Dum in principio hujus mensis duo fratres rustici de Sancto Paulo Rivolæ simul litigarent, sententia inter eos lata, alter eorum condemnatus, & injustitiam fovens, alterum inermem cum baculo per viam gradientem partesana insultavit. Deprecatus, ne à Dæmone se vinci pateretur, tamdem insultans insultatum inermem alacriter est vulneratus. Qui vulneratus Beatam Virginem deprecatur, ut justam causam habentem tueatur, exauditus, licet sæpissime vulneratus, elevans baculum, in capite fratrem dolosum, & injustitiam foventem percussit lethali vulnere, ex quo illico mortuus est; percutiens vero licet vulneratus, ad propria est reversus, qui solo baculo ligneo, & inermis contra armatum victor fuit.

Supra proxime narratum est de divino miraculo fracturæ *Bayoni*, & chordæ Campanæ Baptisterii, dum sonarent pro exequiis & funeralibus Desiderii Grossi. Accidit aliud mirum; nam dum deberet elevari capsa, in qua cadaver jacebat in domo, ut ad Ecclesiam majorem portaretur, quæ erat ejus Parochia, nullus est inventus, qui capsam vellet levare. Tamdem dictum est, quod mandaverat ipsam portari per ejus mezadros. Tunc rustici euntes ad capsam, eam in spatulis sumserunt, ponentes caput ante, & pedes retro. Portato cadavere in Ecclesia, dum vellet corpus cum incenso in thuribulo posito olefieri, catenellæ thuribuli ruptæ sunt omnibus admirantibus; & antea dum thuribulum ipsum præparatum fuisset pro hoc cadavere odorificando, thuribulum de mensa ullo non tangente decidit.

Decimo Maji cum quidam ex Birris Domini Potestatis Parmæ ivisset ad Villam Pratoselli, ut certos homines pignorarent in familia illorum de Vichiettis, occisus fuit. Ea quidem die cum alias, ut faciunt pueri, duo de Sancto Brancatio insimul luderent, alter alteri oculum ejecit, unde monoculus nunc homo associatus, reperiens alterum cum uno alio suo fratre, memor oculi evulsi, ambos fratres cum armis insultavit, & vulneravit lethaliter, alter quorum infra breves horas mortuus est.

Die duodecima Maji 1481. scriptæ sunt literæ ex Neapoli, qualiter Dux Calabriæ filius Regis Ferdinandi posuerat castra prope Civitatem Hydruntinam Apuliæ occupatam à Turcis ad duo milliaria, & quod inter eos pax tractabatur in brevi secutura.

In principio hujus mensis Maji à Statu Mediolani scriptæ sunt Magnifico Domino Petro Mariæ Rubeo literæ, quod velit restituere Johanni Quirico de Sancto Vitali, filio quondam Comitis Angeli, Castrum Nuceti. Cujus responsio fuit, quod infra octo dies ejus responsum intelligerent, venitque Nucetum, & ipsum gentibus ad defensionem replevit, ac aliis munitionibus. Similiter etiam munivit Rocham blancam, ac Sanctum Secundum. Hic enim Johannes Quiricus, alias militans ad stipendia Florentinorum, stipendium à Statu Mediolani suscepit; & ipse, ac filius quondam Domini Nicolai de Scipiono duas susceperunt sorores Reginas ex nobilibus de Bojardis de Scandiano. Et quoniam Castrum ipsum una nocte tempore libertatis Parmæ jam annis triginta tribus, ipsi Comiti Angelo captum fuit per Fratrem Rolandum Rubeum Militem Hierosolymitanum, hic Johannes Quiricus sperat illud rehabere.

Quoniam Magnificus Dominus Petrus Maria de Rubeis recusavit dare taxas in dominio suo gentibus Ducalibus, nec voluit deponere comitivam suam armigerorum centum, cum hoc sibi à Statu Mediolani requireretur, scriptum fuit illi, quod mittat Mediolanum Dominum Guidonem Rubeum filium suum, qui etiam hoc noluit facere; & ob hæc multum dubitatur, ne Status prædictus illi guerram faciat, seque optime munivit ad defensionem hoc mense Maji.

Die vigesimo quarto scriptæ sunt literæ à Statu Mediolani Commissario Parmæ, quod se informet, & referat, si præfatus Magnificus Dominus Petrus Maria fulcivit ad defensionem Castra sua, & si est verum, quod faciat unum fortilicium in loco de Segillaria.

Hac etiam die scriptæ sunt literæ ex Neapoli, qualiter Dux Calabriæ occiderat trecentum Turcos, & plus centum ceperat ex existentibus in Hydrunto, & illic castra posuerat.

Vigesimo quarto Maji facta fuit Crida publica in executione literarum Ducalium parte Domini Gubernatoris Parmæ, quod nullus audeat impedire executinoes Officialium in pœna furcarum, & confiscationis bonorum; & hoc quoniam à Capistris executiones impune non sinebant fieri, & nullus Officialis audebat aliquem malefactorem, aut debitorem capere, quin immo Provisionati, & Birruarii percutiebantur, & occidebantur; & similiter quod nullus arma ferat.

Circa medium hujus mensis Maji fuit maximus & inauditus terræmotus in partibus Lunesanæ, & præcipue in Terra Fivizani, ubi corruerunt domus decem septem usque ad fundamenta, & omnes aliæ domus apertæ sunt, ubi multi mortui sunt; & reliqui exiverunt Castrum, & domos, habitantes in campis. Et hic terræmotus in horis viginti quatuor vicibus sexdecim apparuit, & sic in locis illis vicinis idem fuit.

Capti sunt à Duce Calabriæ, qui castra posuit Turcis in Hydrunto Apuliæ, duo Gatavellæ Turcorum, quorum aliqui curlati confessi sunt, quod pro hoc anno Turchus non succurret Turcis occupantibus Hydruntum, nec ibit Rhodum, quoniam primogenitus ipsius Turci, gener Carramani, patri rebellavit, & adhæsit dicto Carramano cum occupatione maximæ partis Regni; & hoc quia idem Turcus volebat ipsum suum primogenitum privare dominio. Hic enim Dux Calabriæ vices Turcis reddens, quotquot capit, eos palis more Turcorum affigit, & male tractat.

Quinto vigesimo Maji 1481. scriptæ sunt literæ ex Mediolano à Statu gentibus armigeris in Parmensi, quod vadant Papiam cum armis, carrigiis, & equis ad monstram ibi faciendam, pecunias habituræ, & equitaturæ ubi ordinabitur.

Die vigesimo octavo Maji scriptæ sunt literæ ex Mediolano Parmam, qualiter Illustrissimus Dominus noster omnino volebat à Communitate Parmæ Ducatos duo mille hoc anno, & totidem anno futuro pro subsidio dando Regi Ferdinando contra Turcos existentes in Apulia: ob quod sæpius Antiani cum Credentia multorum Civium convocata fuit, & tamdem conclusum est dare duo mille aureos ultimate, & pro perpetuo silentio, redimendos per Agentes Ducalis Cameræ in districtu ab obedientibus, & exemtis pro duabus partibus ex tribus, & pro tertio in Civitate: ad quod omnis Populus consensit.

Die suprascripta fuit coram Domino Commissario in Palatio suo magna rixa inter Dominum Hieronymum Bernerium caput Gibellinorum in Parma ex una, & Hieronymum Cribellium de parte Rubea ex alia pro certis bladis in agro Parmensi damnificatis per ipsum Hieronymum ipsi Domino Hieronymo in Tanzolino, ob quod sibi invicem objurgantes multi insurrexerunt ab utraque parte; & tamdem quidam Jacobus Belmarius Corrigiensis sequax Domini Hieronymi arma cepit, quæ clam sub chlamyde ferebat contra Cridas hesterna die factas; & cum multi hinc inde ex platea ad rixam currerent, captus fuit à Domino Commissario suprascriptus Jacobus Belmarius, cui ipse Dominus Commissarius de appendendo minatus est. Nocte secuta infiniti Capistri trium partium timentes, ne idem Jacobus appenderetur, se armaverunt, ad Palatium Domini Commissarii venientes, & ad multa alia loca, per quæ dubitabant ipsum Jacobum duci, ut illum evaderent. Tamdem in mane ductus est sub silentio in Castro; & tamen nihil aliud est postea secutum, sed infra paucos dies idem Jacobus ex literis Ducalibus fuit liberatus.

Hac etiam die transivit Caballarius Bononiensis per Parmam vadens Mediolanum cum staffetta itineris horarum decem pro milliario, qui nova portavit, qualiter quidam Carolus de Ancona armiger Comitis Hieronymi Domini Imolæ, ac nepotis Pontificis Sixti de Robore, habens aliàs inimicitiam capitalem cum Castellano Arcis Imolæ, tamen cum eo reconciliatus, & familiaris, & pro amicitia magis servanda solitus in dicta Arce intrare, in eam clam sub togis armatus, cum famulis quinque etiam secreto armatis, intraverat Arcem, ut cum Castellano more solito loqueretur. Et cum in ea fuit, illum cum parte sociorum Arcem tuentium interfecit, ac Arcem ipsam cepit. Exinde significavit Domino Johanni Bentivolo primario Bononiæ, si Arcem ipsam volebat, quod illi in pleno dominio daret; cui respondit, quod non. Et propterea Caballarius mittebatur Mediolanum pro intelligenda voluntate regentium Statum Mediolani. Cum autem hæc penderent, dictus Carolus sumtis tribus mille aureis Arcem restituit Patrono suo, & sic Gubernatori Imolæ. Qui Carolus postea captus appensus fuit merlis dictæ Arcis.

Qua quidem die scriptæ sunt literæ ex Mediolano à Statu Mediolani Reverendissimo Domino Episcopo Parmensi, quod Illustrissimus Dominus noster sensit vociferari exercitum suum poni debere Castris Magnifici Domini Petri Mariæ de Rubeis, & quod male faciunt sic loqui. Quoniam hoc non est verum, & quod idem Petrus Maria semper fuit, & est amicus Status Mediolani, & quod moneat sic vociferantes ad silentium. Quo non obstante, idem Petrus Maria quotidie Castra sua gentibus, & defensionibus munit.

Secundo Junii 1481. habita sunt nova, quod Magnus Turcus die tertio Maji cursi decesserat, sumta quadam medicina, dum cum filio suo sibi guerram faciente bellum haberet: ob quod maxima festa celebrata sunt in tota Italia, laudantes Deum.

Octavo Junii 1481. parte Illustrissimi Domini Nostri factæ sunt Cridæ publicæ, quod si quis voluerit conqueri sibi de aliquo Officiali, aut alio injuriam irrogatam, vadat Mediolanum, ubi circa hoc bis in hebdomada, scilicet Martis, & Veneris, audientia dabitur publica, & querelæ providebitur cum justitia.

Hac etiam die scriptæ sunt ex Mediolano literæ Officialibus Parmæ, quod mittantur quatuor Cives, unus pro singula Squadra Mediolani cum mandato à Communitate pro compositione subsidii præstandi contra Turcos in Apulia existentes, ad quod Cives nolunt consentire. Fuit major inundantia aquæ Padi, quam umquam fuerit à recordatu viventium citra, adeo quod per unum mensem continuo crevit, & suffocavit multa territoria in Placentino, Collurnii, Vitaliariæ, Mantuæ, ubi tota Civitas inundabatur, & Ferrariæ, ob quod semina passa sunt in aliis locis diluvium, ubi etiam aggeres Padi multis in locis sunt confracti, & dictum est, Svizaros incidisse quamdam montaneam, per quam quidam lacus

eus discurrit in flumine Padi.

Cum Turci multa damna in Apulia Regi Ferdinando inferrent, Rex ipse ordinavit quatuor pulchras, & ornatas meretrices, ut intrarent Hydruntinam Civitatem ad Turcos, quas vestibus morbo intinctis vestiri jussit, ab eis non cognitis. Unde cum in Civitate fuerunt visæ, sunt à Turcis lætanter & carnaliter, incessanter cognitæ, adeo quod inter Turcos magna cœpit vigere pestis, de qua ipsi timidi non sunt; attamen ob hoc multa damna passi sunt, & unica tantum ex meretricibus supervixit.

Undecimo Junii suprascripti, cum quidam de Monticulo Capister & devius intrasset Civitatem per Portam Sanctæ Crucis, exstante rixa inter illos de Plumbo, & illos de Musachis, unus ex Musachis Galeaz inermis timens ab adversariis occidi, spetum dicto de Monticulo vocato Salvator, & puteorum fossor, cum quo Civitatem intraverat, accepit & se cum eo defendens vitam evasit. Ob quod hi Plumbei irati ipsum Salvatorem adiverunt, ac inciso illi crure, eum morti dederunt. Nec est ausus quisquam Officialis mittere ad rixam, sive homicidium, quoniam utraque pars habitans in Capite Pontis in magno numero se armaverat.

In die Ascensionis Domini anni præsentis ordinatum erat Florentiæ tradimentum contra Laurentium de Medicis illius Urbis primarium, ipsum in solemnitate dicti festi occidendi, quemadmodum fuerat occisus Julianus frater ejus in Sancta Liberata anno curso 1477. & datur culpa Comiti Hieronymo Nepoti Summi Pontificis. Ob quod multi fuerunt capti, qui erant Florentini, & quatuor immediate appensi sunt.

Die tertio decimo Junii suprascripti Dominus Referendarius Parmæ de mandato Ducali posuit Comitem Gibertum de Sancto Vitali ad possessionem Villæ del Castellario Ripæ Bagantiæ, quam emit à Ducali Camera pro Ducatis septemcentum auri. Et hoc quia idem Comes habebat litigium cum hominibus dictæ Villæ pro aqua Bagantiæ, & quia sunt devoti & amici Magnifici Domini Petri Mariæ Rubei. Ad quod homines noluerunt assentire, sed miserunt ad Principem in oppositum.

Vigesimo Junii Magnificus Comes Marsilius Torellus Parmensis Cognatus Domini Baptistini de Campofregosio, discessit ab Episcopatu Parmæ cum quingentis peditibus, ut iret in riparia Januæ ad Clavarum, ubi inter ipsum Ducem, & Dominum Objectum, ac Johannem Aloysium de Flisco erat controversia ingens, viam & iter dirigens per montes Terrarum Militum, & deinde ad Spediam. Postea habita sunt nova, quod omnes intraverant Januam.

Hoc tempore fuit maximus conflictus penes Clavarum inter illos de Flisco dictos *li Gattescbi*, & Dominum Baptistinum de Campofregosio Ducem, qui antea conjuncti erant. Nam dum Fregosii vellent capere Clavarum, & jam essent in Burgo, Dominus Objectus latitans in quodam nemore cum multis suis sequacibus exiit, & similiter existentes in Castro, sic ordine dato. Et hos pedites Ducis credentes rem in tuto habere, male tractaverunt, & in medio posuerunt; quibus victis, & fere omnibus truncatis, idem Dominus Objectus discurrit per Vallem Sturli, & amicos Fregosii saccomanavit, & igne domos eorum incendit. Undique utrique parti multa auxilia præstantur diversimode.

Vigesimo primo Junii illi de Castellario, qui recusabant parere Comiti Giberto de Sancto Vitali, cui Camera eos vendiderat, juraverunt dicto Comiti fidelitatem in Parma, sic mandante Illustrissimo Domino nostro.

Vigesimo tertio Junii tracta fuit deorsum à turri Ecclesiæ majoris Parmæ Campana rupta in morte Desiderii de Grossis nuncupata *el Bayono*, ut reficiatur per quemdam Francigenam, & est altitudinis brachiorum septem, cujus sonitus erat conveniens lætitiis, & mœstitiis; & pro omni vice, qua sonabat pro mortuis, solvebantur Clero libræ decem.

Die vigesimoquinto Junii venerunt nova Parmæ, qualiter Filius Turci secundogenitus obtinuerat totum dominium patris, & quod erat pejor patre, quodque reperierat in ærario patris sexaginta mille milliaria aureorum, & quod Turci Galuppi existentes in Constantinopoli posuerant ad saccomanum septuaginta domos Judæorum, & omnes mercatores Venetos, & Florentinos existentes Constantinopoli, quorum multi erant divites aureis centum sexaginta millibus. Et quia Rex Ferdinandus castra posuit Hydrunto Apuliæ à Turcis obsesso, in obsidione cujus Rex ipse ingentem exercitum præparaverat, idem Filius Turci misit ad reparum decem mille Turcos.

Die vigesima octava Junii hora prima noctis cum esset differentia inter Antonium de Observario, & matrem pro dote sua, cui matri Deiphobus unus ex filiis favebat, vadens domum à fratre suo Antonio prædicto insultatus, & ballotta plumbea ad cor percussus infra quatuor horas exspiravit.

Deliberans Ferdinandus Neapolis Rex Civitatem Hydruntinam à Turcis in Apulia occupatam usque anno curso 1480. de mense Julii obtinere, & totis viribus suis collectis, multotiesque in suo exercitu damnificatus, ultimate à Turcis licet paucis provocatus, prœlio inter eos commisso non longe à Civitate, fugientibus Turcis ad Civitatem, & se seriatim ordine ab uno latere positis, tanta fuit copia bombardarum, & spingardarum in gentes Regis à Turcis injectarum, quod occisi sunt multi ex principalibus Regis, & forte sexcentum de gente sua Neapolitana, fractæque sunt duæ bombardæ majores dicti Regis quarum altera major vocabatur *Victoria*, adeo quod Christiani male sunt tractati, & Turci victores fuerunt hoc mense Junii.

Circa finem dicti mensis Comes Marsilius Torellus Parmensis, Cognatus Ducis Januæ Baptistini de Campofregosio, intravit Januam per viam maris cum quingentis peditibus electis in Parmensi, ut Dominum Objectum ejiciat, & à Castellatio expellat, ubi ipse Dux castra posuit.

Die trigesima Junii exstante differentia pro nonnullis rusticis inter Franciscum del Frà squadrerium Illustris Domini Roberti de Sancto Severino, de Squadra Sancti Vitalis, & Petrum Paulum de Fulchinis de Squadra Corrigiensi armigerum Illustris Domini Ludovici Sforciæ Ducalis generalis Gubernatoris, multa ad invicem sibi opponentes coram Reverendissimo Domino Parmensi Episcopo, cum exirent Palatium Episcopale, idem Franciscus cum pugno in faciem percussit dictum Petrum Pau-

Paulum, ob quod utraque pars cum famulis armatis vadit.

Hac etiam die quoniam Comes Gibertus de Sancto Vitali, gener Magnifici Domini Petri Mariæ de Rubeis, emerat à Ducali Camera Villam del Castellario Bagantiæ, ut posset aquam dictæ Villæ ad prata sua, & molendinum de Sala conducere, & proinde canale fieri fecerat, Dominus Guido de Rubeis Cognatus suus in totum ipsum canale vastari fecit, adeo quod pro nullo usu ipse Comes Gibertus aquam potuit habere.

Qua etiam die exstante differentia inter Pallavicinos, & Torellos, pro uno Canonicatu, cujus terræ sunt in territorio Sissiæ, ipsi Torelli miserunt cum plaustris, & secari, & abduci fecerunt in territorio Sancti Secundi omnia blada dicti Canonicatus. Et quia Dominus Johannes Franciscus Pallavicinus dejici fecerat domum cujusdam armigeri Torellorum in Villa de Stagno, ipsi de Torellis miserunt multos ex suis armigeris ad Villam ipsam. Qui omnia blada ipsius armigeri abduxerunt; & homines ipsius Villæ quasi omnes recesserunt, & iverunt habitatum in diversis locis ob tales novitates, & maxime ob rixam Magnifici Domini Petri Mariæ Rubei, & dicti Domini Johannis Francisci Pallavicini propter Villas Telaroli, & Stagni emtas à Camera per ipsum Dominum Johannem Franciscum.

Quarto Julii 1481. scriptæ sunt literæ Ducales Officialibus, & Antianis Parmæ, quod omnino vult Illustrissimus Dominus noster Ducatos bis mille à Communitate Parmæ pro subsidio contra Turcos existentes in Apulia. Unde convocatis multis Civibus de Credentia, ordinatum fuit, quod omnia Officia Communis, quæ dabantur in Consilio generali, vendantur pro annis quatuor, & de denariis respondeatur Illustrissimo Domino nostro pro dicto subsidio, in quibus Officiis etiam comprehenderunt Officia, quæ per Cameram solvuntur. Et declaravit Illustrissimus Dominus noster per dictas literas, quod omnes exemti contribuant ad hoc, exceptis Pallavicinis: de quo subsidio Civitati tangunt libræ tres mille.

Quinto Julii scriptæ sunt ex Barrio Apuliæ Reverendissimo Domino Episcopo Parmensi literæ, qualiter Dux Calabriæ erat ad mœnia Hydruntinæ Civitatis, & obsidebat ibi Turcos, adeo quod exire non poterant, & fame moriebantur, circa quos habebat Squadras quadraginta, & tredecim mille pedites, expensam mensualem portantes de centum mille aureis. Et quod Dux ipse ceperat Turrim, intra Civitatem & mare existentem, quæ illis auxilium per mare impediebat. Ac etiam quod Turci ipsi habentes pro captivis centum quinquaginta feminas Hydruntinas, omnesque gravidas ex eis, uno tempore occiderant, & in mari projecerant.

Sexto Julii 1481. scriptæ sunt Reverendissimo Domino Parmensi Episcopo literæ à Florentia, qualiter ultimo Junii proxime cursi Summus Pontifex cum Cardinalibus celebraverat Missam in Sancto Paulo extra Romam, ubi benedixerat duo vexilla alterum cum Cruce rubea in campo albo, & alterum cum Beato Petro cum aliquibus carminibus pictum, exindeque iverat ad armatam suam Galéarum decem novem, quas omnes de una in unam benedixerat, ac illis præfecerat venerabiles & dignissimos ductores in expeditione contra Turcos in Apulia.

Habitæque sunt literæ, qualiter Comes Hieronymus Nepos Summi Pontificis recesserat ex Urbe bene comitatus Forolivium. Et fertur ipsum ire Venetias, ut fiat Nobilis Venetus; ubi sexaginta mulos onustos bonis rebus ducit, & ut in morte dicti Pontificis illic refugium habeat.

Ex Rhodo etiam habentur literæ, quod quintodecimo Junii illis in partibus maximi apparuerunt terræmotus, & majores in Turchia, & quod aliquæ Civitates demersæ & ruinatæ sunt, quodque hic terræmotus septies processit cum tanto impetu, quod quasi omnes Rhodiani ex Urbe fugerunt, ubi minus incommodum illatum est, quàm alibi; quodque in mari numquam visa nec audita est talis tempestas spatio horæ perseverans, adeo quod multæ naves submersæ sint, & in terra firma aqua ad duo milliaria prodiit; quodque in portu Rhodi fuit navium ingens & inaudita conquassatio, & collisio ad invicem, confractione remium, arborum, & temonum, ubi navis quædam Januensis mille quingentarum bottarum ad fundum petiit, quæ alias in obsidione illic Turcorum Rhodianis auxilium tulerat; & quod pridie tota Civitas orationibus & devotis processionibus se dedit, adeo quod mare ad tranquillum rediit; sed alibi pejora tam ex terræmotu, quam ex maris turbine sunt secuta, & maxime in Cypro, & Turchia.

Hæ insuper literæ continent, qualiter in Apulia gentes tam maritimæ, quam terrestres Regis Hungariæ generi Regis Ferdinandi applicuerant Hydruntinæ Civitati in Apulia à Turcis obsessæ, & quod se præparabant cum exercitu Regio in obsidione, & conflictu ipsorum Turcorum, qui auxilio & victualiis carebant. Continent etiam ipsæ literæ, qualiter una nocte hi Turchi obsessi in Hydruntina Civitate fecerant monstrationem ignis ex alta Turri vicibus quadraginta, & quod ex Vallona Turcorum ex opposito ultra mare Adriaticum ad milliaria sexaginta responsum fuit per similes & tot demonstrationes ignis. Unde scribitur sic intelligendum, quod ipsi Turci solummodo diebus quadraginta habent modum se defensandi.

Die suprascripta sexta Julii captus fuit, & missus Mediolanum quidam Frater Archangelus de Tucerio Ordinis Observantium Minorum de Parma, qui stabat Ferrariæ, ubi residet Reverendissimus Dominus Ascanius Sforcia ibi relegatus à Statu Mediolani, & dubitatur de aliqua mala practica.

Septimo Julii 1481. Magnificus Dominus Johannes Ludovicus Marchio Pallavicinus decessit in Villa de Curtemajore Placentinæ Diœcesis ex infirmitate guciæ & podagrarum. Hic enim maximam habuit semper rixam cum Domino Pallavicino fratre suo nunc regente Illustrissimum Dominum Ducem Mediolani parvum. Et propterea devenientes ad divisiones, fuit necesse quod dimitteret Castrum Busseti Domino Pallavicino, ab eo Domino Pallavicino habitum decemmille aureis. Unde semper in rixa fuerunt, & idem Dominus Johannes Ludovicus Castrum ædificavit versus Placentiam prope Bussetum ad milliaria quinque nuncupatum Castrum Lauri, parentelamque contraxit cum Comite Manfredo de Lando Nobili Placentino.

Octavo Julii 1481. repertæ sunt in Hospitali Sancti Johannis Evangelistæ de Parma in Burgo

go Riollo duæ cognatæ pauperrimæ, quarum altera uno partu habuerat tres filias, & altera tres mares, & pulchros.

Nono Julii receptæ sunt ex Mediolano Parmæ, & Capitaneo . . . . literæ, quod sub pœna furcarum non faciat bullettas aliquas cuipiam pro conducendo aliquam quantitatem frumenti extra Civitatem, vel de loco ad locum per Episcopatum per menses tres proxime successivos.

Die decimo Julii venerunt nova Parmæ, qualiter Turcis existentibus in Apulia in Hydrunto Civitate venerant subsidia victualium & defensionum per viam maris; & dictum fuit, Venetos cum gaëlis suis has victualias illis porrexisse. Dictumque fuit, duos Filios Turci se invicem concordasse, & secundogenitum Principatum obtinuisse, sed tamen intra se pecunias, thesauros, equos, & armigeros divisisse æqualiter.

Hoc tempore Magnificus Dominus Johannes Bentivolus Bononiensis dedit unam filiam suam in uxorem Domino Galeotto de Manfredis Domino Faventiæ, unde adveniente Comite Hieronymo Summi Pontificis Sixti nepote, & Capitaneo Ecclesiæ Forlivium, & Faventinis dubitantibus, præfatus Dominus Johannes Bentivolus Faventiæ misit armigeros, & pedites quam multos in defensione Faventiæ.

Captus fuit his temporibus quidam Frater Ordinis Minorum in Casali majori commorans, qui ut à Judæis quatuorcentum aureos perciperet, pacto inter eos facto, occidit quemdam puerum ultra Olium, & illi sanguinem extraxit, quo Judæis utuntur pro certis eorum infirmitatibus; & Deo volente in habitu Sancti Augustini inventus positus est eo modo in gabia Cremonæ ad Turrim Campanatii.

Alio charactere sequuntur hæc pauca.

„ Hic desunt multa, quæ cum haberi non „ potuerint, necessario sequitur Quinternus „ undecimo mensis Maji, qui est de anno 1482.

Anno 1482.

Undecimo mensis Maji ex ordine trium Squadrarum Parmæ simul unitarum, & squadræ Rubeæ inimicantium, facta fuit una Credentia Civium privatorum, in qua propositum fuit, ordinatum, & obtentum, quod expensis Communis fiant pedites mittendi ad obsidionem Castrorum Magnifici Domini Petri Mariæ Rubei.

Tertiodecimo mensis Maji gentes armigeræ Rubeæ maximam incursionem fecerunt versus Civitatem Parmæ à duobus lateribus, videlicet ad Portam Sancti Francisci, ubi occiderunt duos Provisionatos Ducales, & maximam prædam fecerunt bestiarum hominumque, Populo arma capiente, sed non longe extra Civitatem exeunte; & ab alio latere versus portam Sancti Michaëlis, Stratam magistram discurrentes, ubi juxta Sanctum Prosperum in Strata Claudia reperierunt Johannem Farasium ex sequacibus Domini Hieronymi Bernerii, quem multis confossum vulneribus illic mortuum dimiserunt. Hic enim interfuerat saccomano Rubeorum, & maxime Abbatiæ Sancti Johannis, in qua ignem posuerat, battifollum diruperat, & alia sacrilegia commiserat. Et hoc tempore Officialibus vetantibus strimitam campanæ de Tertiis, ordinatum est, dum tales incursiones fiunt, stremizari Bayonum, & in capite Pontis campanam Sancti Gervasii. Quibus sonantibus, à Civibus furore Populi arma capiebantur.

Hac etiam die Dominus Johannes Jacobus de Trivultio alloggians in Castro Sancti Andreæ, discessit, & se contulit ad Casale majus, locuturus cum Duce Urbini illuc vento pro tractanda pace. Sed quia pax locum non potuit habere, reversus est ad sua logiamenta. Dictus vero Dux ivit versus Ferrariam, tamquam Capitaneus Ligæ in favorem Ducis Ferrariæ.

Quartodecimo Maji Sforcia munivit Castrum Sancti Andreæ, quod obtinuit à Castellano Domini Petri Mariæ sine prœlio. Exinde accessit ad Castrum Carronæ, quod similiter obtinuit, salvis bonis, & personis in eo loco existentibus. Et putans Castrum Rochæleonis obtinere, illuc cum omni exercitu accedens, salutatus more hostili per custodientes ipsum Castrum, coactus est recedere, multas domos ruralium cremans; Parmamque rediit, illuc ductis bombardis, seque direxit versus Ferrariam cum gentibus armigeris, ut succurrat Duci Ferrariæ contra Venetos.

Quintodecimo Maji repletæ sunt Domus Rubeorum, recessorum à Civitate Parmæ metu harum guerrarum, gentibus armigeris; ipsique sic recessi, maxime hi, qui se reduxerunt in Terris, vel ad servitia Rubeorum, omnes publicati sunt pro bannitis & rebellibus, qui fuerunt multi, quibus mansio non erat tuta in Civitate, persecuti ab aliis de tribus Squadris.

Decimo septimo Maji in nocte gentes armigeræ Rubeæ cum trombettis & tamburinis accesserunt in Burgum Sancti Michaëlis, & ad Portam Civitatis, ubi ad rastellum Pontis levatorii sono tubarum & tamburinorum appenderunt per gulam quemdam filium unius ballistarii Sforciæ, qui conductus ad stipendia Rubeorum repertus est mensurare muros Fillini, & confessus est proditionem. Dumque appenderetur clamabat: *Marco*, *Marco*, *Maria*, *Maria*; & in bireto apposita fuit suspensa cedula processus. Exinde ignem immiserunt multis domibus dicti Burgi. Cives hoc sentientes noctis tempore, ad arma cucurrerunt, pulsantes Bayonum, & trepidi ob novitatem rei non sunt ausi exire Urbem. Ignem etiam posuerunt gentes præfatæ in Castelletto Berneriorum.

Dicta novitate secuta Zanonus de la Vella deputatus ad custodiam Civitatis cum gentibus Ducalibus, accessit ad Villam Fillini, in qua gentes Domini Petri Mariæ logiabant, & eis ex improviso insultatis, multi hinc inde cecidere, captique sunt, & in reversione ad Civitatem ipse Zanonus multos captivos abduxit de Villa Carignani, & multas bestias.

Vigesimo quarto Maji gentes armigeræ Magnifici Domini Petri Mariæ de Rubeis alloggiantes in Sancto Secundo penes personam suam, fecerunt maximam incursionem in Territorio Fontanellatæ, ubi ingentem prædam bestiarum hominumque fecerunt.

Vigesimo quinto Maji Magnificus Comes Amoratus Torellus, qui secrete stipendium sumserat à Dominio Venetorum cum provisione annuæ ducatorum duodecim millium, & armigerorum centum, ut se jungeret cum Magnifico Domino Guidone Rubeo, jam multis decursis mensibus notitiam habens, certos mercatores Florentinos à Leone transituros ad pontem Hentiæ, noctis tempore eos reperiit cum mulis vigintiquatuor onustis descendisse ad suum hospitium in ponte Hentiæ, qui erant

erant sex, & omnes cum mulis & mercantiis cepit, & duxit in carceribus Basilicæ novæ, reperitque eos habere in auro ducatos sex mille auri, & reliquum mercantiarum esse pretii decem mille aureorum. Et hoc per eum actum est, quoniam per mortem Domini Spinetæ de Fivizano Florentini intraverant ad possessionem Castrorum dicti Domini Spinetæ, quæ idem Comes Amoratus ad uxorem suam filiam dicti Domini Spinetæ pertinere asserebat, tamquam mortui sine filiis. De quo maxima querela à Florentinis facta est Mediolani, nihil proficiens. Ipseque Comes Amoratus dictos Florentinos carceravit partim in Montecclericulo, partim in Turreclara, taleam facturos. Necdum voluit se demonstrare conductorem Venetorum, licet publice diceretur.

Vigesimo sexto Maji gentes armigeræ Magnifici Domini Petri Mariæ Rubei maximam ad Civitatem Parmæ fecerunt incursionem, ubi maximam capturam fecerunt hominum bestiarumque, & tota Civitas fuit in armis.

Hoc tempore, quo proxime dicta agebantur, Cives Parmæ nullatenus audebant exire Civitatem, nec per colonos suos secari, nec meti facere in agro Parmensi metu gentium armigerarum antedictarum, unâ Credentiâ factâ elegerunt duos Oratores de Squadra Ducali, quos miserunt Mediolanum, pro auxilio habendo, ut recollectum suum facere valeant, aliter quod eos oportet Civitatem linquere. Quibus à Regentibus statim fuit responsum, quod in brevi talibus providebunt, quod poterunt reditus suos colligere, & tot gentes armigeras mittent in Episcopatu Parmæ, quod incursiones Rubeorum vetabunt, & illis guerram facient.

Proxima dicta die factum fuit publicum proclama in Terris Magnifici Domini Petri Mariæ, quod quilibet volens ire cum armis & utensilibus ad damna aptis in Castris Rubeorum, pro guasto dando possessionibus Civium, dabitur cuilibet eunti unus grossus à soldis quinque pro singulo die, & cibariæ expensæ. Ex quo multi rurales ad hoc opus se præparaverunt, de quo Cives dolentes lamentabantur.

Dum hæc peragerentur & Illustris Dominus Robertus de Sancto Severino castrametaretur Figarolo Oppido Ducis Ferrariæ ultra Padum, ubi aderat catena Padum cingens, & ubi vires tam Venetæ, quam Ferrarienses, & Status Mediolani aderant, per nonnullos malignantes scriptæ sunt literæ tam Domino Duci Venetorum, quam Domino Roberto, qualiter Magnificus Dominus Petrus Maria Rubeus deviaverat à fide Venetis præstita, & se adhæserat Statui Mediolani: quod nequaquam fuit verum, nec fides huic adhibita est aliqua. Et Veneti majores quam primitus ipsi Domino Petro Mariæ præstiterunt, illi pecunias aureas mittentes pro stipendio suorum armigerorum.

Venetis quotidie castra sua contra Figarolum augentibus, & Duce Urbini, & aliis auxiliariis copiis Ducis Ferrariæ victualiis carentibus, nec valentibus illic residere, Dux ipse Urbini omnes suas copias tam pedestres, quam equestres citra Padum transvexit, & Dominus Marchio Mantuæ eidem Duci Ferrariæ colligatus rumpi fecit Mincium versus exercitum Venetum, ne victualia illuc duci possent. Cui Marchioni Dominus Robertus per nuntium significavit, quod in brevi ignem pro aqua sibi redderet.

A Transito Duce Urbini cum omni suo exercitu citra Padum jam sene, & annorum octoginta, Dominus Robertus illi misit in cavea unam vulpem, sub colore, quod etiam vulpes, ut idem Dux appellatur, capiuntur, & in caveis ponuntur: quod idem Dux irrisit.

Circa finem dicti mensis Maji Dominus Constantius Sforcia, qui tanto tempore stetit Mediolani tamquam suspectus, quod favebat Magnifico Domino Petro Mariæ, & Domino Roberto, recessit ex Mediolano, & veniens Bersillum, exinde rediit in patriam suam, vadens per Terras Florentinorum.

Penultimo Maji Comes Amoratus de Torellis tamquam ductor, & stipendiarius Dominationis Venetorum, accessit cum comitiva sua B armigera tam pedestri, quam equestri in Villa Fillini, seque junxit & associavit cum Magnifico Domino Guidone Rubeo, ut guerram faciant Civitati Parmæ, & ut defensetur Status Domini Petri Mariæ à Statu Mediolani illi guerram faciente opera & solicitudine Pallavicinorum.

Hac die, qua Comes Amoratus alloggiavit in Villa Fillini cum gentibus suis, venit Parmam Borsius de Corrigia pro Statu Mediolani cum quadraginta armigeris, & aliquibus balistariis equestribus, alloggiavitque in Burgo Sancti Michaëlis, ubi circum circa erigi fecit & cavari fossum, ac fieri claudi rastellos.

C Magnifici Dominus Marsilius, & Jacobus de Torellis conducti ad stipendia Ducalia, facta divisione gentium suarum armigerarum cum Comite Amorato fratre suo ad stipendia Veneta militante, recesserunt cum gentibus suis, ut irent in Castris Ducis Ferrariæ.

In fine dicti mensis Maji, jam exhausto ærario Ducali capti sunt & carcerati per Officiales Parmæ de mandato Ducali octo Cives ex ditioribus de parte Rubea, à quibus volunt extorquere pecunias, pro solvendis stipendiariis, comminantes idem reliquis Rubeis facere.

His insuper diebus Domino Roberto de Sancto Severino obsidente Figarolum cum valido exercitu Venetorum, & eo monstrante D fugere, insecuto à quammultis peditibus Ducis Urbini, qui ultra Padum transierant, & exinde eo Domino Roberto se volvente, & eos insectante, ad ripam Padi multi ex ipsis peditibus fugientibus submersi sunt & suffocati.

Primo Junii indigente Duce Urbini gentibus armigeris, vocato ad se Comite Borella super familia Ducali Commissario in Parma, cum certis Squadris logiante, idem Comes amicabiliter se transtulit ad Villam Fillini, multum loquens, & pacem tractans cum Domino Guidone, & Comite Amorato; sed verbis nihil proficientibus idem Comes Borella E recessit, & Parmam rediit, his non obstantibus, gentibus Rubeis die ac nocte agrum Parmensem infestantibus assiduis incursionibus, & capturis hominum & bestiarum, adeo quod Cives non erant ausi Civitatem exire.

Quarto Junii cum multa bestiamina ruralium de Basilica nova, de Mainiano, & de Montecclericulo pascularent in Bocetis, gentes Ducales, quæ erant in Parma cum multo Populo ex improviso aggressi sunt dictas bestias, & Custodes maximo in numero, omnes in Parmam ducentes: quod Civibus trium Squadrarum magnam intulit lætitiam; multæque bestiæ ex captis restitutæ sunt, quia erant Torel-

rellorum, & Sancti Antonii.

Octavo Junii Sforcia reversus Parmam cum omni quo potuit exercitu Ducali equestri & pedestri accessit, ut castra firmaret Sancto Secundo; sed à Magnifico Domino Petro Maria illic existente, multisque armigeris, & peditibus insultatus, cum maximo dedecore, & strage multorum coactus est usque ad Grugnum terga dare, nec potuit castra sua firmare.

Decimo Junii Magnifici Dominus Guido & Comes Amoratus cum omni eorum exercitu accesserunt ad Civitatem Parmæ in Burgo Sancti Michaëlis, ubi Populus exiverat armatus, ubi magna inter utramque partem pugna est facta. Multi Cives cecidere, multi etiam capti sunt, & in reversione combusserunt multa molendina Civium, & multas domos, quod Civibus omnibus mœstitiam, fletum, & dolorem attulit.

Undecimo Junii Sforcia cum omni suo exercitu Ducali discessit à Sancto Secundo, & ivit ad Rocham-blancam, ut illic castra ponat.

Tertiodecimo Junii Magnifici Dominus Guido de Rubeis, & Comes Amoratus de Torellis cum omni eorum exercitu, & cum turba magna rusticorum accesserunt ad portas Sancti Francisci, & Sancti Michaëlis Parmæ, ut vastent blada, vites, & arbores Civium. Sed Populo ad stremitam Bayoni exeunte cum armis Civitatem in pratis Sancti Pellegrini, ibi inter utramque partem commissa fuit atrox pugna, in qua multi Cives cecidere, maxime quidam Johannes Pellicia caput capistrorum, audax, seditiosus, & homicida, qui in præteritis saccomanis affuerat, quidam Galeaz de Musachis etiam facinorosus, quidam Bida, & multi alii. Capti sunt, & ducti Fillinum in carceribus septuaginta duo Cives, & multi fuerunt vulnerati, & multi relaxati, & inter alios unicus filius Sertorii Billiardi vulneratus, qui infra duos dies decessit; & ipse Sertorius in facie obtinuit cicatricem, & captus, & relaxatus fuit. Tota Civitas erat in fletu, & lacrymis; & in reversione Populi in Civitate duo Rubei inventi per viam obtruncati sunt, alter in plateis, alter prope Sanctum Johannem de la Steccata, scilicet Dominus Bartholomæus Calzavacca octogenarius; & nisi capti, & retenti fuissent tot Cives de tribus Squadris, & carcerati, omnes de Squadra Rubea tam masculi, quam feminæ in Civitate à tribus Squadris obtruncati fuissent. Sed hoc cessavit metu captorum, & carceratorum, ne simile illis fieret. Multæ etiam domus combustæ sunt prope Portam Sancti Francisci.

Quintodecimo Junii exercitus Ducalis, qui iverat versus Rocham-blancam, reversus est in agro Nuceti, vociferando velle ponere castra Fillini.

Sextodecimo Junii exercitus prædictus Ducalis discessit ab agro Nuceti, & venit in Villa Fillini, ubi diebus quatuor commorans, domosque multas combussit, & infinita damna intulit. Fuitque inter utrumque exercitum, videlicet Ducalem, & Rubeum, motio magna, & factæ sunt hinc inde multæ scaramuciæ. Nam exercitus Rubeorum se reduxerat in pede montis Fillini ab Ecclesia Sancti Christophori, supra injectis & fabricatis de medio fossis, & aggeribus multis. Quo interim Magnificus Dominus Petrus Maria in Sancto Secundo existens cum gentibus suis cepit victualias, quæ à Parma exercitui Ducali vehebantur.

Hac die proxime dicta venit in partibus montanis Parmensibus ingens & terribilis grando, quæ fructus, blada, & vineas vastavit, quarum grandinum aliquæ ponderatæ erant librarum duarum, aliquæ unius libræ, & aliquæ unius libræ cum dimidio, & erant scrupulosæ, & valde admirabiles ac insuetæ.

Hoc etiam tempore cum Dominus Johannes Bentivolus valido cum exercitu Bononiensium ivisset in agro Ferrariensi in auxilio Ducis, gentesque suæ derobassent aliquos homines Villarum Ferrariensium, Dux ipse iratus appendi fecit nonnullos ipsius Domini Johannis carissimos, ob quod hinc inde orta inimicitia & dissensione, ipse Dominus Johannes hospite insalutato cum omni sua comitiva ad patriam remeavit.

Decimo octavo Junii cum Dominus Guido Rubeus existens Fillini vallatus ab exercitu Ducali magnam fecisset hominum, & subditorum suorum coadunationem, ut ipsum exercitum fugaret, hic exercitus in mane se levavit à Villa Fillini, dimissis ibi multis armis, lebetibus ad ignem carnibus plenis, & multis supellectilibus, & tentoria fixit Carignani.

Qua etiam die Magnificus Dominus Petrus Maria cepit dicto exercitui omnes victualias, quæ sibi ducebantur à Parma. Hoc etiam medio Parmenses cœperunt fœna & blada secare, & ut melius poterant ea in Civitate vehendo, fœna autem atque blada Rubeorum à Gentibus Ducalibus & à tribus Squadris saccomanabantur.

Vigesimo secundo Junii Illustris Dominus Robertus de Sancto Severino una cum Provisoribus Dominii Venetorum, qui jam multo tempore elaboraverant cum omni suo exercitu, & cum ictibus plusquam duobus mille bombardarum contra Figarolum Oppidum Ferrariense munitissimum, ubi flumen Padi catenabatur, vi & armata manu illud obtinuit, in prædam stipendiariis datum, & mactatis omnibus forensibus.

Die proxime dicta Magnificus Dominus Petrus Maria Rubeus existens in Sancto Secundo, & videns Comitem Jacobum de Sancto Vitali Dominum Fontanellatæ exercitui Ducali victualias porrigere, invasit Villas Fontanellatæ, eas derobando, captivos capiendo, & omnia fœna reposita igne cremando.

Hac etiam die quoniam infiniti Cives Parmæ de Squadra Rubea metu vitæ & saccomani à tribus Squadris, recesserant de Civitate, parte Ducali factum fuit proclama ad campanam in plateis, quod infra octo dies ipsi sic absentati reverterentur in Civitate sub pœna rebellionis, & confiscationis omnium suorum bonorum. Et quia quammulti noluerunt obedire, cernentes quammultos ex primis fuisse carceratos, ut collectarentur, eorum bona fuere confiscata, & publicati sunt pro bannitis; multique rurales Villarum Parmensium, qui se adhæsiverant Magnifico Domino Petro Mariæ, similiter sunt banniti, & exules facti, eorumque bona Ducali Cameræ sunt applicata. Et præcipue Cives illi, & Comitatini, qui iverunt ad servitia Rubeorum. Ob quod Status Mediolani misit Parmam quemdam Christophorum de Aplano Cancellarium ad describendum bona talium bannitorum, & exulum, qui Rubeorum bona male tractavit, ea derobando, & indebitum stipendium sumendo pro tali descriptione, semper associatus ab aliquibus de tribus Squadris malæ vocis & famæ,

quorum consiliis adhærebat.

Vigesimo Junii Dominus Sforcia, qui cum omni Ducali exercitu iverat à Fillino Carignanum, discessit, & cum ipso exercitu castra firmavit Basilicæ novæ Castro præfati Magnifici Domini Petri Mariæ.

Vigesimo tertio Junii idem Sforcia plantari fecit circa dictum Castrum Basilicæ novæ tres ingentes bombardas, scilicet Coronam, Galeazinam, & Ferlinam. Quæ die vigesimo quarto Junii, & sic in festo Sancti Johannis, advocati dicti Castri cœperunt bombardare, & lapides projicere nedum in die, verum & in nocte contra solitum. Qui autem intus erant, inciserunt turrim Arcis, & illam usque ad medium dejecerunt, viriliter se defendendo.

Hac etiam die, qua dictum Castrum Basilicæ novæ obsidebatur, Magnificus Dominus Guido Rubeus existens Fillini, misit aliquos ex suis ad Castrum Carronæ, quod sibi per gentes Ducales acceptum fuerat, & armata manu illud obtinuerunt, occisis aliquibus ad custodiam deputatis, & aliquibus de Domo Rubea, vocatis *li Rossi da Carrova*, captis & carceratis, qui Castrum ipsum Sforciæ dederant absque ullo prœlio.

Vigesimo sexto Junii Magnifici Dominus Guido de Rubeis, & Comes Amoratus Torellus, qui cum eorum exercitu in Villa Fillini alloggiabant, venerunt omnes in pede montis Turrisclaræ, ibi castra & tentoria figentes, & ut propinquiores fiant exercitui Ducali, quem exercitum Ducalem omni die ac nocte infestabant.

Hoc tempore cum Dux Ferrariæ Regis Ferdinandi gener à Venetis obsideretur fortiter, ac jam Figarolum, & totum Pollisinum Rhodigii perdidisset, & Dux Calabriæ ejus cognatus vellet ad has partes transitum facere, ut sibi auxiliaretur; & ex opposito Comes Hieronymus Summi Pontificis Nepos cum Venetis colligatus cum gentibus Ecclesiæ se opponeret, idem Dux Calabriæ aliquas portas Romæ incendit, & Romam multum infestavit. Cumque duo Cardinales cum ipso Duce intelligentiam haberent prodendi & capiendi Comitem Hieronymum, negotio patefacto, Pontifex ipsos Cardinales detinuit, & carceravit, scilicet Ursinum, & Colonnensem.

Ultimo Junii trepidante exercitu Ducali, qui castrametabatur Basilicæ novæ, ne à gentibus Rubeorum insultaretur, & jam in Turreclara coadunato omni exercitu, & potentatu Rubeorum, cum Magnificus Dominus Guido, & Amoratus in nocte accessissent Parianum, jam ordinato exercitu de invadendo gentes Ducales, Sforcia habito tractatu cum Petro de Ugorubeis, Castrum ipsum custodiente, una cum aliis suis complicibus Castrum ipsum munivit, & occupavit certis habitis capitulis cum ipso Petro, & complicibus suis, quæ nullatenus observavit. Sed immo fide fracta omnes Forenses, qui multi erant, spoliavit, & multos cepit pro captivis, dictumque Petrum proditione affidatum exulavit, qui postea cum ad Dominum Robertum accessisset, captus tamdem infideliter, & mala ut meruit morte vitam finivit, justas luens pœnas. Quod cernens Dominus Guido cum omni exercitu recessit, & ad Turremclaram est reversus. Die vero secuta dictus Sforcia munivit de accordio Castrum Pariani, quod erat Petri de Bravis, deinde Parmam cum omni exercitu perrexit: quod contra omnium spem successit,

A quoniam Castrum ipsum Basilicæ novæ erat inexpugnabile, & munitissimum aggerum, murorum, & munitionum.

Tertio Julii Dominus Johannes Franciscus Pallavicinus venit Parmam, ubi paucis diebus moram traxit; & fama fuit, quod voluit ingredi Cittadellam Parmæ, & illam accipere Domino Johanni Jacobo Maletæ Capitaneo & Custodi illius pro Statu Mediolani tamquam suspecto, quod Rubeis amicaretur.

Quinto Julii Dominus Sforcia cum toto exercitu Ducali accessit ad Castrum Rochæ blancæ præfati Domini Petri Mariæ, ubi duci fecit bombardas, ut illas figat ad demolitionem dicti Castri. Et quia stipendiati sui tam pedites

B quam equestres non bene solvebantur, quotidie ex eis aliqui fugiebant ex castris.

Dum hæc fierent, Magnificus Dominus Guido Rubeus cum omni suo exercitu ivit ad Castrum Ravarani, quod tenetur per Dominum Federicum Pallavicinum, ut illud expugnaret, devastando, comburendo, & prædam maximam bestiarum faciendo; & quia existentes ab intra viriliter se defensarunt, sexto Julii abinde recessit properans Fillinum.

Duce Calabriæ Regis Ferdinandi filio Romam & Romanos cum validissimo exercitu infestante, ut veniat, & transeat in auxilio Ducis Ferrariæ Cognati sui, Magnificus Dominus Robertus de Arimino Capitaneus Venetorum

C in Romandiola cum satis bono exercitu Romam properavit, & initâ pugnâ cum Aragonensibus prope Romam, rupit, & cepit sex Squadras & mille pedites, quos Romæ duxit cum triumpho.

Hoc etiam tempore à Regentibus Statum Mediolani scriptæ sunt literæ Parmam, quod volebant à Civibus de Squadra Rubea pro subsidio præsentis Guerræ Ducatos quindecim mille auri. Ex quo Cives, qui poterant, patriam linquentes, ad alienas partes se transferebant, & in exitu Civitatis derobabantur, & male tractabantur. Multi tamen se composuerunt, ut repatriarent.

Octavo Julii plantatæ sunt bombardæ circa

D Rocham Castri Rochæ blancæ, ut ipsam expugnarent, & vi obtinerent, tam de die quam de nocte incessanter bombardando.

Nono Julii Magnificus Dominus Guido de Rubeis, cum Comite Amorato, & omni suo exercitu recessit ex Fillino, & ivit Vigatulum, quotidie Civitatem & Cives infestando, bladum in paleis cumulatam abducendo, & cremando, cepitque Turrim de Albaris, quæ à Statu Mediolani munita custodiebatur, & illam perforavit, ne esset in fortilitio, quam Andreas de Bajardis possidebat, in qua cepit duodecim provisionatos Ducales.

Cum Rubei Cives quotidie vexarentur à Statu Mediolani pro collecta quindecim mille

E aureorum illis imposita, solvenda, multi patriam liquissent, multi absconditi, & latitantes forent, paucique in Civitate restassent, qui sic remansi officia, artes, & gabellas lucrosas exercebant in Civitate, inter eos electi sunt tres Oratores, scilicet Franciscus Centonus, Baldessar de Nerrono, & Jacobus Pegulius, ituri Mediolanum pro dicta collecta mitiganda. Qui cum fuerunt Mediolani, à Regentibus Statum bona perceperunt verba, & sibi literas varie fecerunt, videlicet quod venirent Parmam, & facerent persolvi à tota Squadra Rubea aureos duodecim mille, & aliter quod ipsi Oratores de proprio solverent. De quo Ora-

Oratores ipsi prævisi acceptis literis prædictis abiere, & noluerunt amplius reverti Parmam, timentes captivari, & in agro Mantuano profecti sunt. Ob quod eorum bona capta sunt pro Ducali Camera, & facti sunt exules. Mandatumque fuit omnibus de Squadra Rubea, quod quilibet infra octo dies revertatur in Parmam, & solvat taxationem suam. Qui autem non sunt reversi, publicati sunt pro rebellibus, & bona eorum sunt delapidata, & Cameræ Ducali applicata. Aliqui tamen capti, coacti, & carcerati solverunt. Et nullus fuit de ipsa Squadra, qui non pateretur damnum in bonis suis, nec reditus eorum poterant colligere, sed ab aliis de tribus Squadris dilapidabantur; & omni nocte aliqua domus Rubeorum derobabatur; & ibatur per illos de tribus Squadris ad molendina, & furnos, ubi farinas & panem tantùm Rubeorum accipiebant. Nec ullus ex Rubeis erat ausus comparere, nec vocem habebat in Consilio, nec in Antianatu. Et ut tempore Pharaonis Judæi, sic à tribus Squadris fugabantur. Nec illis profuit, quod fuerint tam amici Domus Sforciarum. Sed causa tanti mali fuerunt Pallavicini inimici ab antiquo Squadræ Rubeæ, qui gubernationem Ducis parvi habebant, & videbantur eis ob differentias, & rixas veteres inter eos & Rubeos, nunc vindictam licet injustam sumere, de quibus prophetatum fuit carminibus his, videlicet:

Pallavicina Domus totum confusa per Orbem
Nunc ruet ex alto quo sedet in solio.
Corruet, atque cadet totum dispersa per Orbem,
Quam Leo nunc rapiet viribus ipse suis.
Nec Mediolani poterunt hanc castra tueri,
Quin scelerum pœnas conluat ipsa graves.
Clamitat ad Cœlum Cichi mors ecce cruenta,
Vindicet ipse Deus, clamitat ad cœlum.
Heu heu crudelem, quæ te vesania duxit
Perdere cum tanta religione virum!
Exilium patitur per te Robertus, & omni
Nunc cum prole sua tecta aliena colit.
Et Ducis Anguigeri Genitrix præclara ruinas
Indignas patitur proditione tua.
Ipsa etenim sceptro per te est spoliata Ducali,
Dulcibus & gnatis sic caret ipsa suis.
Nec minus excelso tu Petro namque Mariæ,
Quod ruat indigne, prœlia magna facis.
Advena qui tanto potiretur Sforcia sceptro,
Qui fuit hospitium, portus, & aura sibi.
His etenim tantis nedum satiata requiris
Magnificos Rubeos pellere sede sua,
Quos quondam illustris Franciscus Sforcia Princeps
Dilexit tantum, sed probitate sua.
Huc huc verte oculos, magno submitte Leoni,
Quæ tua sic tollis colla; premenda sibi
Fata volunt. Deus ipse jubet. Sic sidera mandant.
Quodque superba cadat, & ruat ista Domus.

Decimo Julii in nocte gentes armigeræ Magnifici Domini Petri Mariæ de Rubeis accesserunt prope Civitatem Parmæ tam inferius, quam superius, & quotquot molendina ibi reperta sunt, ruperunt, & vastarunt, cavajonosque frumenti in curtilibus possessionum Civium de tribus Squadris existentes igne cremaverunt. Quod Cives ea nocte sentientes pulsato Bayono ad arma proruperunt, sed ausi non sunt exire Civitatem, ne à dictis armigeris caperentur, maxime à Civibus Rubeis exulibus ad stipendia Rubeorum militantibus, qui erant numero plusquam quadraginta, audaces, & vindictæ cupidi. Et ultra eos aderant quammulti pedites exules, ut supra ad numerum ducentorum.

Hoc etiam tempore obtento Castro Figaroli, & aliis multis Castris Ducis Ferrariæ, videlicet Mellaria, Rovino, Abbatia, & toto Pollisino, Illustris Dominus Robertus de Sancto Severino Capitaneus Venetorum castra posuit Stellatæ Oppido fortissimo Ducis Ferrariæ cum multis bombardis, tentans cum navigio, & terrestri exercitu illinc citra Padum transitum facere.

Quo etiam tempore in castris in agro Parmensi existentibus portabatur, & vendebatur panis frumenti unciarum trium pro singulo pane, qui vendebatur tribus denariis pro singulo pane. Et sic quælibet uncia panis vendebatur uno denario, & starium frumenti valebat soldis quinquaginta.

Vigesimo quinto Julii cum ab exercitu Ducali obsideretur, & bombardaretur Castrum Rochæ-blancæ die noctuque, existentes in Arce pro tuitione loci ipsius, initis Capitulis cum Sforcia, concorditer & proditorie Castrum ipsum dederunt dicto Sforciæ. Qui Sforcia promissa nequaquam servavit, sed fide fracta multos affidatos mactari jussit, ac multorum bona saccomanari, & multos duci fecit Mediolanum, multa mala sine misericordia perpetrando; invadique fecit omnia nemora Magnifici Petri Mariæ de Rubeis illic, & Sancti Secundi existentia, quæ multa, & pulchra erant, & eorum ligna vehi fecit Mantuæ, & Ferrariæ, nemora ipsa damnificando de Ducatis plusquam decem millibus auri.

Vigesimo sexto Julii Magnificus & Illustris Dominus Petrus Maria Rubeus, existens in Sancto Secundo aliqualiter infirmus, intellecta proditione & perdita Rochæ-blancæ, se portari fecit in barella ad Castrum suum Turris-claræ, stipatus multis armigeris, & peditibus. Vento Magnifico Domino Petro Maria in Turre-clara, Magnificus Dominus Guido filius suus se transtulit cum multis armigeris, & peditibus in Castro Sancti Secundi ad custodiam & tuitionem illius loci, non bene fidens de hominibus ipsius loci. Cui Sforcia minabatur castra ponere, in eo loco ponens ultra terrigenas animosos viginti armigeros, & centum pedites probatissimos. In fine dicti mensis Julii exercitus Ducalis appropinquavit se Sancto Secundo, & dum se illic firmare vellet, insultatus à Magnifico Domino Guidone, expulsus fuit, cum captura, & cæde multorum Ducalium, ita quod exercitus ipse illinc recessit.

Secundo Augusti Illustris Dominus Bonifacius Marchio Montisferrati, ad stipendia Ducalia militans, misit unum ejus Cancellarium ad Illustrem Dominum Petrum Mariam Rubeum in Turre-clara pro pace & concordio tractando cum Statu Mediolani. Qui Cancellarius bonam promisit pacem, si ipse Dominus Petrus Maria vellet ipsam pacem, & dissolvere pacta per eum contracta cum Venetis, multis rationibus exhortans ipsum ad talem pacem, & ultimate concludens, quod idem Marchio, ut amicus præfati Domini Petri Mariæ, eidem compatiebatur, sibique necesse erat, ut ductori, & stipendiario Ducali sibi guerram facere. Cancellario respondit, quod ad dictam pacem pervenire non poterat stante confœderatione inita cum Venetis, quam coacte, & lacessitus fecerat, & amplius retrocedere non poterat, ne in fide deficeret, & quod potius volebat Statum suum perdere, mendicare, & per

per aliena tecta proficisci, quam se Pallavicinis submittere, qui totius hujus dissensionis causa erant. Et rogabat eumdem Marchionem, quod hortaretur Statum Mediolani ad se de medio inter eum & Pallavicinos levandum, quoniam Statui Mediolani non noceret, nisi si & quatenus lacessitus ad hoc arctaretur.

Undecimo Augusti exercitus Ducalis, qui erat in Villis Sancti Secundi, se levavit, & venit versus Nucetum: deinde infra sex dies reversus est pristino loco Sancti Secundi, quo interim stantes in Sancto Secundo, collegerunt uvas licet acerbas, & in bona quantitate.

Duodecimo Augusti præfatus Marchio Montisferrati cum gentibus suis, scilicet Squadris quatuor, venit in agro Placentino, ut veniat ad Sanctum Secundum, & se jungat exercitui Ducali.

Circa dimidium dicti mensis Augusti, dum Dominus Johannes Augustinus de Campofregosio Januensis conductus esset ad stipendia Veneta, ut se in Parmensi jungeret cum Rubeis, venerunt duæ galeæ Regis Ferdinandi in Portu Januæ, clamantes *Ferro*, *Ferro*, ut Civitatem Januæ commoverent, & ne idem Dominus Johannes Augustinus posset è patria discedere, & ut transitus suus citra montes impediretur, pro ut impeditus fuit.

Vigesimo secundo Augusti cum præfatus Dominus Petrus Maria graviter infirmaretur, & de ejus vita dubitaretur, Magnificus Dominus Guido Rubeus filius suus, qui à Sancto Secundo ad eum in Turre-clara venerat visitationis gratia, sentiens adventum dicti Marchionis Montisferrati, relicto patre infirmante, reversus est ad Sanctum Secundum, ut locum ipsum tueatur. Et immediate cum hostibus pugnavit, multos ex eis cepit, & occidit, dum castra firmare vellent ad Grugnum, propter quod castra ipsa Ducalia se posuerunt versus Rocham-blancham.

Die vigesimo primo Augusti dum exercitus Regis Ferdinandi esset in agro Romano, cujus caput erat Dux Calabriæ primogenitus dicti Regis, & in eo essent infiniti Barones, & Proceres, & guerram Summo Pontifici faceret, quia cum Venetis colligationem habebat, nec sibi transitum dare volebat, insultatus fuit exercitus ipse prope Neptunum à Magnifico Domino Roberto de Arimino Venetorum Capitaneo illuc pridie misso, & à Comite Hieronymo Pontificis Nepote, ac demum ruptus, & profligatus fuit; & capti sunt, & ducti in Roma Barones viginti, Armigeri quinquecentum, duodecim Conductores, tria Vexilla, & pedites infiniti, ac carriagii onusti. Dumque in Roma intrassent, Vexilla per Civitatem in terram trahebantur. Et dicti Ductores, Barones, & Armigeri seriatim ducebantur cum infinito sonitu tubarum, tamburinorum, & campanarum. Fertur que prœlium durasse horis septem continuis cum majori sanguinis effusione, & hominum cæde à recordatu hominum citra inaudita. Coactusque est Dux Calabriæ latitare, nec reperiebatur per aliquot dies, æstimabaturque obtruncatus. Victoria fuit maxima, & idem Dominus Robertus ob hoc gloriam & triumphum reportavit.

Vigesimo quarto Augusti Magnificus Dominus Comes Amoratus Torellus, qui locum & vices gerebat Domini Guidonis de Rubeis, accessit cum omni exercitu ad Salam Comi-

A tis Giberti de Sancto Vitali, & cum jam bellum hinc inde incœptum fuisset, jamque pedites, & armigeri cum scalis mœnia ascenderent, idem Comes Amoratus victoriam sperans, & stipendiatos ad ipsam victoriam viriliter exhortans, vulneratus fuit in corpore ab una spingarda, ex quo prœlium cessavit; & portatus ad Villam Fillini, secuta proxima die, & ea hora, qua vulnus receperat, migravit ad Dominum, suo condito testamento, & sumtis sacris ab Ecclesia Catholica ordinatis. Qua ex causa Magnificus Dominus Petrus Maria Rubeus infirmus, dolore percussus, cœpit in extremis laborare.

B Hoc tempore Illustris Dominus Robertus de Sancto Severino, & unus ex primis filiis suis in castris contra Ferrariam se infirmaverunt, & portati sunt Paduæ, ut curarentur, & pristinæ saluti restituantur.

Etiam hoc tempore dum in Civitate Mediolani tam inter Regentes Statum, quam inter Cives foret maxima dissensio ob præsentes vigentes guerras in Parmensi, & Ferrariensi, & timerent Mediolanenses, ne Rex Franciæ Venetis auxiliaretur, ob remotionem Dominæ Ducissæ Mediolani, Cognatæ dicti Regis, quæ jam multis annis steterat in Abiate, eadem Domina Ducissa reducta fuit Mediolani sine ullo regimine, & regimen remansit Domino Ludovico Sforciæ.

C Hoc etiam tempore Reverendissimus Dominus Sagramorus Ariminensis Episcopus Parmæ decessit Ferrariæ, & cadaver suum delatum fuit Parmæ, & sepultum in Cathedrali Ecclesia.

Apparuit his temporibus una nocte ingens stella in aëre versus montes Parmenses cum maxima cauda ignea, quæ prænosticabat mortem Illustris Domini Petri Mariæ Rubei de proximo futuram.

Primo Septembris dicti anni 1482. hora tertia noctis Illustris, & excelsus Dominus Petrus Maria de Rubeis, ægrotans in Turre-clara, sumtis debitis ordinibus, Deo dante, animam suam devotissime Deo dedit, cujus
D anima quiescat in pace, ejusque cadaver sepultum fuit in Arce Turris claræ in Capella Sancti Nicomedis. Erat enim septuagenarius, & adhuc robustissimus, sagax, & prudens. Cum decessisset præfatus Dominus Petrus Maria, illico Beltrandus filius suus naturalis, qui Berceti moram trahebat, & Domino Guidoni fratri suo multum erat infestus, occupavit ipsi Domino Guidoni Bercetum, & Rocham Prædam-balciam, guerram movens Fratri, & se Statui Mediolani adhæsit, Pallavicinisque, ex eo, quia dictus suus Pater multa Castra sibi in testamento alias condito dimiserat. Hoc etiam præsentiens Dominus Johannes de Rubeis Frater dicti Domini Guidonis, à Patre alias expulsus, & exheredatus,
E Regii stans, accessit Fillinum, malo tamen animo, ubi captus & detentus fuit, sed postea una nocte fugam fecit auxilio custodum.

Tertio Septembris Reverendus Dominus Guido Torellus Protonotarius Apostolicus ob mortem Comitis Amorati Fratris sui cum licentia Summi Pontificis arma sumsit, & venit Fillinum ad gubernationem gentium armigerarum quondam Comitis Amorati in auxilio Rubeorum, & se colligavit Magnifico Domino Jacobo Rubeo Fratri Domini Guidonis, qui etiam alias à Patre expulsus, & exheredatus

datus fuerat una cum præfato Domino Johanne, & ad gratiam rediit per mortem Comitis Amorati, sumsitque provinciam gentium armigerarum Rubeorum in absentia & loco Domini Guidonis Fratris sui in Sancto Secundo existentis.

Sexto Septembris Sforcia recessit cum una Squadra armigerorum, & certis peditibus à Sancto Secundo, & venit Parmam, dumque esset in transitu ad Grugnum, insultatus fuit à Magnifico Domino Guidone, qui multos ex eis cepit, & multos occidit; idemque Sforcia exinde transivit Ferrariam cum dictis gentibus, dimisso ad obsidionem Sancti Secundi Domino Marchione Montisferrati, Domino Johanne Jacobo de Trivultio, Domino Thoma Marchione Sallutii, & aliis multis, cum Squadris armigerorum viginti quinque, & peditibus duobus mille.

Die septima Septembris plantata sunt adversus Sanctum Secundum una bombarda in gens, & unum mortarium, die noctuque propulsantes, & damna multa inferentes, & infra duos alios dies plantatæ sunt aliæ quatuor bombardæ. Quo interim Magnificus Dominus Guido multa repara fecit intus cum aggeribus, & fossis, & aliis ad defensionem aptis, viriliter se defendens cum magna inimicorum cæde.

Tertio decimo Septembris Illustris Dominus Federicus Dux Urbini, qui à Castris Ferrariensibus Ligæ Capitaneus infirmus recessit, desperans de salute, Bononiæ portatus fuit, & ibi vitam finivit.

Quintodecimo Septembris Jacobus de Rochablanca prius penes Dominum Guidonem, audax, strenuus, & alacer in castris militans, cum sagitta in genu vulneratus, ut creditur, venenatus obiit in Sancto Secundo.

Hoc etiam tempore capti sunt in Sancto Secundo quatuor ex stipendiatis Domini Guidonis, inter quos aderat unus bonus bombarderius, qui curlati confessi sunt de ordine dato cum Sforcia pecunia corrupti, velle Dominum Guidonem venenare, unde eos super terraliis Sancti Secundi versus castra Ducal a per gulam appendi fecit.

Circa medium dicti mensis Septembris Magnificus Dominus Robertus de Arimino Capitaneus Venetus in agro Romano militans adversus Aragonenses, quique eos his proximis diebus ruperat, & tantum de eis triumphum reportaverat, Romæ infirmatus, & ut dicitur, epidemia, etiam aliquibus dicentibus veneno, mortuus est.

Hoc tempore habita fuit maxima practica cum Reverendissimo Domino Ascanio Sforcia relegato à Statu Mediolani, ut Veneti ipsum introducerent ad movendum guerram Duci Mediolani in confinibus glareæ Abduæ, & cum à Venetis Venetiis sumsisset aureos triginta mille pro solvendis stipendiariis, jamque ad confinia se transtulisset, corruptus à Fratre Domino Ludovico Sforcia, fraude facta Mediolanum perrexit. Sperabatur quoque hoc medio gentes Ducales obsidentes Sanctum Secundum ab obsidione recessuras, ut confinia Abduæ tuerentur; sed plus fraus, quam justitia locum habuit.

Vigesimo quinto Septembris Lucas Athanasii de Ferrariis Civis Parmæ de Squadra Sancti Vitalis cognominatus *la Frambola*, audax, & facinorosus vitam febribus finivit.

Penultimo Septembris cum Beltrandus de Rubeis naturalis sæpedictus machinasset contra Magnificum Dominum Guidonem fratrem suum mortuo patre, & sic introduxisset Dominum Objectum de Flisco, Domui Rubeæ ab antiquo infestum, in Terris præfati Domini Guidonis, ipse Dominus Objectus castra posuit cum gentibus suis, scilicet tribus Squadris armatorum, & peditibus ducentis Castro Boschi dicti Domini Guidonis in partibus montanis, & sine bombardis Castrum ipsum licet fortissimum, & munitissimum obtinuit, proditione Michaëlis de Bajardis de Castellano, illud Castrum cum filiis suis duobus custodientis, & qui etiam jam annis viginti quinque custodiam habebat Castrignani, & factor generalis erat Magnificorum Rubeorum in Turreclara, & pro affidato missus fuerat in arce ipsa Boschi. Quam ipse & filii, alias amici illorum de Flisco tempore, quo Castellanum possidebant, de facili Boschum ipsum Domino Objecto, licet contra fidem & debitum, dederunt. Qui Michaël postea divino judicio Cornilii captus, & multis diebus in compedibus tentus, ut squartaretur, misericordia cum æquitate mixta, exul & bannitus fuit de dominio Rubeorum una cum filiis suis, & bona sua confiscata sunt per sententiam publicam, & relaxatus fuit in exilium, & mendicans profecturus, bonaque ejus donata sunt Nicolao de Cattaneis de Regio armigero præfati Domini Guidonis.

Infra tres dies postquam præfatus Dominus Objectus castra posuerat Rochæ-ferrariæ, absque ullo prœlio Rocham ipsam obtinuit pacto, & concordio facto cum Castellano, & custode loci ipsius, scilicet Johanne Antonio dicto *Possente* de Filino, de quo tamquam subdito Dominus Guido plene confidebat, & qui postea cum filio bannitus, & rebellis factus est, ac bona sua sunt confiscata. Nam hæc duo Castra ab antiquo fuerant Domus de Flisco, quæ in ipsis locis multos partiales habebat. Et nota quod omnia Castra habita usque modo, & Rubeis accepta, processerunt proditione Deputatorum ad eorum custodiam.

Quinto Octobris dictus Dominus Objectus, obtentis dictis duobus Castris, cum suo exercitu castra posuit Cornilii à longo tamen, ubi multa damna recepit, quoniam Castrum ipsum gentibus, & munitionibus erat valde munitum.

Octavo Octobris cum Dominus Thomas Marchio Sallucii esset in castris Ducalibus contra Sanctum Secundum, homo quidem audax, dignus, & placabilis, Cognatus Comitis Vitaliani de Bonromeis, Cognati dicti Domini Guidonis, & amici Rubeorum, à spingarda percussus vitam finivit, & sepultus fuit in Monasterio Sancti Francisci extra Sanctum Secundum. De quo tam amicis, quam inimicis doluit. Et in castris Ducalibus satis de eo suspicabatur ob dictam cognationem.

Decimo Octobris Comes Amphitrion de Tizano, qui colligatus fuerat cum Magnifico Domino Guidone Rubeo, ab eo & parte adjutus, ne Tizanum in manus Pallavicinorum deveniret, videns res Rubeorum in deteriorem partem venire, se concordavit cum Statu Mediolani, & se & gentes suas conduxit in castris Domini Objecti contra Cornilium, discurrens per territorium Domini Guidonis, homines & bestias captivando contra fidem suam, & qui in brevi à Venetis stipendium notabile sumturus erat.

Duo-

A Duodecimo Octobris cum exercitus Ducalis jam desiccasset aquas fovearum, & Tarronis mortui circa Sanctum Secundum, & totam Circam novam, & aggeres illius loci omnes cum bombarda explanasset, Arce perforata, & intus multis occisis, velletque ultimate prœlium inferre, coadunatis infinitis ruralibus, & Civibus trium Squadrarum, paratis cum scalis, fassinis, & aliis multis ad obsidionem, & victoriam aptis, ut Castrum ipsum ditissimum stipendiariis in prædam daretur, forentque homines dicti loci desperati, male dispositi, nec videntes viam salutis; & cum succursus jam diu expectatus à Venetis nullatenus videretur, jamque Castrum ipsum expectasset B ictus bombardarum mille sex centum viginti quatuor: Magnificus Dominus Guido de Rubeis, amisso patre, amissis tot Castris, & jam consumtis de propriis aureis quadraginta mille, & ultra, volens fidem semel Venetis datam æternaliter servare, non curans de amissione Sancti Secundi, nocte diei suprascripti, cum paucis tamen sibi fidelibus armatis, & alacribus, sumtis bonis suis pretiosioribus, tentavit se levare ex Sancto Secundo, ne in manus inimicorum caderet, pro ut necesse erat. Eques jam transacta super navicula fovea Arcis sub silentio cum pervenisset ad quoddam foveum per inimicos fabricatum, & super eo pontem breviorem projici fecisset, C equus in foveam decidit, strepitusque à custodibus castrorum Ducalium est auditus, & ne ab eis caperetur, retrocessit, & rediit in Arce Sancti Secundi. Quod mane secuto ab incolis loci auditum, ipsi incolæ multa sunt minati Domino Guidoni, & maxime quod sine eo concordium cum Statu Mediolani sumerent, jamque amplius ipsi Domino Guidoni obedire nolebant. Tamdem Dominus Guido audax, & prudens assecuratus in castris ad Dominum Marchionem Montisferrati se transtulit, ubi inter eos concordium est secutum, scilicet quod exercitus Ducalis cum bombardis se ab obsidione loci levaret, quodque ipse Dominus Guido foret subditus, & fidelis Statui D Mediolani; armigeros nullos teneret; & quælibet pars, quod habuerat, teneret, & possideret; cessarent offensiones, & hinc inde tranquille viveretur; mitteretque idem Dominus Guido Mediolanum primogenitum suum Comitem Philippum Mariam. Quo facto pax hinc inde publicata fuit, & in Castro à forensibus, & ab illis de Sancto Secundo in Castris Ducalibus amice, & fraterne ibatur. Et una pars cum altera tranquille conversabatur. Levatæ sunt insuper offensiones inter Dominum Objectum, & Rubeos, in partibus montanis. Et ipse Dominus Objectus se levavit ab obsidione Cornilii, & in agro Ferrariensi misit gentes suas. Ipse vero Mediolanum est profe- E ctus. Reverendissimus vero Dominus Protonotarius, & Dominus Jacobus Rubeus, qui cum omni exercitu iverant Cornilium, profligaturi Dominum Objectum, habentes nuntium dictæ pacis, cessaverunt, & retrovenerunt. Reductus fuerat idem Dominus Guido in tantum, quod ob tantas guerras exhaustus erat artelariis, & munitionibus, nec habebat amplius in Sancto Secundo pulverem à bombardis, sagittamina, plumbum, vinum, nec farinam, steterantque equi sui diebus viginti sine fœno, palea, & blado, fabas tantum comedendo. Et mirum fuit, quod Castrum ipsum tantum tenuerit; sed Dei gratia, & probitate Domini Guidonis hoc totum actum est; quod summe displicuit tribus Squadris Parmensibus cupientibus ruinam Rubeorum. Et immediate præfatus Dominus Guido misit Comitem Philippum primogenitum suum Mediolanum, cui multa sunt pollicita de dando illi congruum stipendium; misitque Status Mediolani penes ipsum Dominum Guidonem unum Secretarium, scilicet Aquilanum, qui continue illic pro Statu Mediolani adesset, omnia visurus, & intellecturus.

Qua etiam die ex gratia Dominus Guido misit in dictis Castris militem de Scipiono anno curso captum, & detentum in Sancto Secundo, fide sibi data per Zampetrum Brigamini, quod sumtâ cœnâ ad pristinam reverteretur detentionem. Qui miles fracta fide amplius non rediit, & sic jam in fide Ducales cœperunt deficere versus Dominum Guidonem. His peractis, exercitus prædictus Ducalis se levavit, & Ferrariam profectus est, bombardas vero reduxit in Castro Cremonæ. Sciendum est, quod immediate secutis prædictis, Status Mediolani voluit à Villis, quæ se Magnifico Domino Petro Mariæ dederant, levari sal, & taxas equorum persolvi, nec alio uti sale, quam consueto: quod summe incolis dictarum Villarum displicuit, cum potius vellent privilegio exemtionis salis, & taxarum gaudere; nec obedire voluerunt.

Cum Status Mediolani indigeret stipendiariis pro auxilio Ducis Ferrariæ à Venetis obsessi, multum elaboravit, ut gentes Domini Guidonis, & Protonotarii de Torellis ad stipendia Ducalia se conducerent; & missi sunt Oratores Filini, ubi Dominus Jacobus cum Squadris quatuor alloggiabat, & asserebat Filinum esse suum, & cum Venetis fore conductum. Armigeri vero sui dicebant nolle amplius stipendium; & sic ficte dolebant, quod Dominus Guido se concordasset nulla facta mentione de ipsis, qui exilium patiebantur, & à Statu Mediolani bonis suis privati erant. Dominus vero Protonotarius, cui multa pollicebantur, asserens Turremclaram per eum fuisse occupatam, noluit umquam à Venetis deviare. Dominus vero Guido se excusabat cum Statu Mediolani, & asserens se illi filium in obsidem, & fidem misisse, & privatum fuisse dominio Filini, & Turrisclaræ, & non posse dictos stipendiatos Statui Mediolani dare. His sic stantibus pax suprascripta visa est simulata, & coacte facta. Tamen Status Mediolani in fide cœpit deficere, non restituens militem de Scipiono, non dans stipendium Comiti Philippo, & innovans contra subditos Domini Guidonis taxas, & salem contra promissa. Et dicti Dominus Protonotarius, & Jacobus à dicto Statu fuerunt banniti.

Sexto Novembris cum una pars exercitus Venetorum intrasset per Canale Ravennæ ramum Padi venientis Ferrariam, & passum Zanioli obtinuisset Ducatus Ferrariæ, volens accedere Ferrariam, & prius obtinere Argentam; ex opposito vero gentes Ducales, quæ recesserant à Sancto Secundo, obstarent illuc missæ, pugna atrox prope Argentam inferius inter utramque partem incœpta fuit. Tamdem gentes Venetorum, in quibus aderant quinquecentum Stradioti militantes more Turco, ruperunt gentes prædictas Ducales, & Burgum Argentæ ditissimum in prædam dederunt, multos ceperunt, & occiderunt. Et inter alios occisus fuit Dominus Johannes Aloysius Bos-

sius

sus de Mediolano; captus, & vulneratus fuit Johannes Quiricus de Sancto Vitali, similiter Borsius de Corrigia, Zampetrus Brigamini, Ruffinus Smiraldus, & multi alii ductores. Vix evasit Dominus Sigismundus Estensis, qui aufugit, & se reduxit in Argenta. Victoria fuit maxima pro Venetis, qui castra Argentæ firmaverunt, & sic infra, & supra Ferrariam duo castra munitissima habebant.

Die proxime dicta applicuit in Civitate Parmæ pro Gubernatore Dominus Johannes Jacobus de Trivultio cum uxore sua, in qua solum duobus diebus est commoratus, & habitis primariis Civibus omnium Squadrarum coram se, eos omnes est hortatus ad bene vivendum, & optime sperandum de pace suprascripta, multa offerens Squadræ Rubeæ, quam reintegravit, & restituit ad Consilia, Credentias, & Antianatus consuetos. Et mandavit eos habere vocem suam in præmissis juxta solitum. Exinde festinanter propter secutum conflictum apud Argentam recessit, & ivit versus Ferrariam.

Decimo nono Novembris, indigente exercitu, & populo Ferrariensi victualiis, cum Dux Ferrariæ fecisset accipere in Mutina, & onerare in navilio multas naves frumento & farinis, ut Ferrariam ducerentur, Cives Mutinenses captis armis assaccomanaverunt dictas munitiones, & plures domos Civium divitum propter penuriam bladorum. Et id idem actum est Regii, ubi etiam Potestatem occidere voluerunt, vixque dicti duo populi arma deposuerunt.

In mane die Beatæ Catharinæ vigesimo quinto Novembris, Advocatæ ab antiquo Domus Rubeæ, & in qua die alias Rubei expulsi patria, patriam remearunt, Magnificus Dominus Jacobus Rubeus frater suprascripti Domini Guidonis intravit Castrum Basilicæ novæ pridie à Statu Mediolani proditione habitum, Castrumque ipsum pro Domino Guidone munivit, capto & vulnerato Castellano, ac captis custodibus Ducalibus ibidem existentibus.

Vigesimo nono Novembris in Vigilia Sancti Andreæ præfati Dominus Protonotarius, & Jacobus Consanguinei, & ad stipendia Veneta militantes, in nocte ascalaverunt, & obtinuerunt Arcem, & Castrum Monticuli Parmensis, quod à Duce Ferrariæ tenebatur, deinde accesserunt Cuvriacum, & illud munierunt, & hæc omnia nomine Venetorum, multos ibidem saccomanantes, & multa ibidem lucrantes.

His secutis Status Mediolani multas practicas fecit cum Domino Protonotario suprascripto, multa sibi pollicendo, ut dicta duo Castra restitueret, quod locum habere non potuit, licet etiam Fratres sui in hoc auxiliarentur Statui Mediolani, & proinde Veneti ipsis Protonotario, & Domino Jacobo multas miserunt pecunias pro solvendo stipendiariis.

Hoc tempore Status Mediolani scripsit Officialibus Parmæ, quod cessarent ab inquietando Cives Rubeos à solutione taxæ eis imposita, & relaxari fecit Cives Rubeos, qui detenti fuerant, & in diversis locis relegati; attamen eis non permisit venire in Parma.

His diebus pauperibus Parmæ pane & blada indigentibus, cum hæc non reperirentur venalia, arma ceperunt, ut domos divitum bladis saccomanarent. Tamen obviatum fuit, & ordinatum, quod panis fieret venalis, misturatus tamen, & blada per Cives divites in mercato mitterentur.

Illustris Dominus Robertus de Sancto Severino his temporibus fabricavit in flumine Padi in loco Francolini unum pontem super navibus, ut exinde transitum haberet versus Ferrariam, super quo ponte transibant equi, & plaustra onusta, & ubique munitus erat bombardis, passavolantibus, & spingardis, constititque ducatis vigintimillibus, & ab utroque capite bastias, & aggeres munitissimos habebat.

Secundo Decembris captus fuit in Villa Boschi quidam Nicolaus Lucianus de Bosco, alias primus Camerarius, & Scalcus Domini Petri Mariæ de Rubeis, qui tempore vitæ præfati Domini Petri Mariæ ab eo ut fidatus missus fuerat Januæ pro pecuniis habendis, & in morte sua à fide deviavit, & se adhæsit Beltrando privigno suo Berceti, seque intromisit in perdita Boschi, & Rochæferrariæ, multaque alia mala perpetravit, & in glareis fluminis Parmæ ad furcas appensus fuit, confiscatis omnibus bonis suis.

Octavo Decembris gentes Magnifici Domini Guidonis Rubei intraverunt in Circa Castri Sancti Andreæ, & illam per diem unam, & unam noctem tenuerunt; sed venientibus multis gentibus de Varrano Pallavicinorum coactæ sunt ipsam Circam linquere.

Quartodecimo Decembris hora vigesimatertia apparuit in Parmensi stella cadens magni fulgoris, cum terræmotu, sine tonitru, aëre claro, & sereno. Postea infra paucos dies Marchio Montisferrati vitam finivit.

Die suprascripta quartadecima Dominus Johannes Zuchus Cremonensis, multum favens Pallavicinis, & Rubeorum inimicus, febribus in Parma, dum ibi esset Commissarius, & Potestas, diem suum clausit extremum, cujus cadaver delatum est Cremonæ, & ejus epitaphium est tale, videlicet:

Hic scelerate jace, genuit quem pulchra Cremona.
Attulit extremam sed tibi Parma diem.
Te vocat Inferni crudelis turba nocentem.
Te vocat ecce Satan. Te vocat ecce Charon.
Hac in tumba jacet Zuchorum gente Johannes.
Occupat Infernum spiritus ille malus.

Loco cujus venit in Parma pro Gubernatore Dominus Petrus de Landriano de Mediolano, alias Dominus Castellani, unus de Consilio Status.

Hoc tempore cum Dux Calabriæ infestaret Summum Pontificem circa Romam, non obstante conflictu his proximis diebus habito, inter eos facta fuit treuga, ut dicitur sub ficto colore pacis, ne Ecclesia damnificetur.

Decimo octavo Decembris publicata fuit in Parma, & toto Dominio Ducali, Liga, & confœderatio inter Summum Pontificem, & Regem Ferdinandum, qui hoc anno multa prœlia ad invicem habuerunt, & proinde facta sunt festa, processiones, & fallodia in toto Ducali Dominio. De quo tres Squadræ Parmenses multum sunt lætatæ. Et immediatè capti sunt multi Cives de Squadra Rubea, & carcerati, ut solvant collectam illis impositam, non obstantibus literis pridie in contrarium scriptis; & multi qui se composuerant, & solverant, missi sunt in confinibus in diversis locis. Etiam multi Presbyteri confinati sunt de Squadra Rubea. In qua quidem colligatione reperiuntur omnes Domini, & Potentatus Italiæ contra Venetos, exceptis Lucensibus, & Januensibus.

Hac

Hac die venerunt nova, qualiter Comes Philippus primogenitus Magnifici Domini Guidonis Rubei, qui Mediolani datus fuerat obses, volens fugere ad Venetos, dum esset in transitu Abduæ prope Bremidam travestitus, captus fuerat, & ductus Mediolanum, ac carceratus in Castro. Quod præsentiens pater, ut fidem suam firmam Venetis monstraret, licet coactus ad pacem devenerit, ne Sanctum Secundum perderet, & quia Status Mediolani in multis sibi à fide defecit, numquam volens dicto Comiti Philippo stipendium promissum dare, non remittens Militem de Scipiono ad pristinos carceres, jam innovans solutionem salis, & taxarum contra subditos Domini Guidonis, misit Comitem Bernardum secundogenitum suum travestitum, & incognitum Venetiis in potestate Venetorum. Qui Veneti ipsum libenti animo susceperunt, & stipendia ducentorum equorum sibi licet ætatis annorum quatuordecim dederunt.

Cum Status Mediolani prædicta sensisset, fecit publicari dictum Dominum Guidonem, & sequaces suos pro rebellibus, cum inhibitione, ne Terris suis aliquid à Civitate daretur, nec portaretur; fecitque ipsum Dominum Guidonem, & quondam Patrem suum pingi in tabellettis pro proditoribus, sibi manum tangentes, & affigi in qualibet Civitate.

Vigesimo quarto Decembris cum gentes armigeræ existentes Regii venissent ad saccomanum ad Casamdei in Strata Claudia, obviaturæ etiam ne gentes Domini Protonotarii, & Jacobi de Rubeis ad stipendia Veneta militantium, Monticuli degentium, irent prope Regium ad saccomanum, pro ut quotidie ibant, obviam sibi invicem fuerunt, ubi maxima inter utramque partem facta est rixa, captique sunt ex dictis Reginis armigeri quinquaginta septem, multique cecidere vulnerati, & mortui. Nullus ex Venetis captus, nec occisus fuit, factique sunt captivi Galeaz de Corrigia, Riccius de Soranea, & Dominus Hieronymus Vastus de Bononia Capitaneus armigerorum Bononiensium, qui in arce Monticuli carcerati fuerunt.

Ultima die Decembris in nocte, alloggiante in Burgo Regii citra Borsio de Corrigia cum multis armigeris, Domini Protonotarius, & Dominus Jacobus Rubeus cum omni eorum exercitu accesserunt ad ipsum Burgum. Sed Borsius advisatus cum suis evasit, unde tota Civitas Regii, & etiam Parmæ steterunt in armis, sentientes motum prædictorum.

Venit in Parma pro Gubernatore Dominus Martinus de Nibia loco Domini Petri de Landriano, qui videns Civitatem fore capistris, & discolis repletam, & Christophorum de Aplano deputatum super bonis Rubeorum fuisse vulneratum, famulum occisum, & in plateis de die fuisse commissum penes Palatium suum homicidium, recesserat.

Per totum annum præsentem 1482. valuit in Parma starium frumenti libris tribus, & in Comitatu libris quatuor.

Regentes Statum Mediolani condonaverunt Rochamblancam Domino Johanni Francisco Pallavicino hoc tempore.

FINIS.



VITÆ
DUCUM VENETORUM
ITALICE SCRIPTÆ
AB ORIGINE URBIS,
SIVE
Ab Anno CCCCXXI. usque ad Annum MCCCCXCIII.

AUCTORE

MARINO SANUTO,
LEONARDI FILIO,
PATRICIO VENETO,

Nunc primùm

E MANUSCRIPTO CODICE
BIBLIOTHECÆ ESTENSIS
LUCE DONANTUR.

IN MARINI SANUTI VITAS DUCUM VENETORUM

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

CONquirenti mihi, quonam Auctore continuarem Historiam Sereniſſimae & inclytae Venetorum Reipublicae, jam editis *Andreae Danduli*, & *Raphayni Careſini* Chronicis ad Annum uſque 1388. perductam, nullus mihi viſus aptior, quam *Marinus Sanutus*, Leonardi filius, Patricius Venetus. Floruit egregius iſte vir ſub finem Seculi XV. & Anno 1522. adhuc in vivis fuiſſe videtur, atque is inter Senatores cooptatus, variis muneribus publicis non ſecus ac illius pater, cum fama ſingularis prudentiae functus eſt. Perquam nobilis fuit & antiqua ejus Familia, quum eadem fuiſſe cenſeatur atque vetuſtiſſima *Candianorum Ducum*. Porro auctor eſt Franciſcus Sanſovinus in Deſcript. Venetiar. Sanutum ſcripſiſſe *de Magiſtratibus Venetorum*. *De Vitis Venetorum Ducum*. *De Bello Gallico*. Nihil aliud ſunt Venetorum Ducum Vitae, niſi Hiſtoria, quam nunc primum ſum editurus in lucem. Ejus autem evulgandae facultatem debeo Bibliothecae Eſtenſi, in qua Codex diu ante ſcriptus eamdem mihi ſuppeditavit. Et profecto, ni mea me fallit opinio, poſt Danduli inſigne Chronicon vix aliam Venetorum Hiſtoriam mihi oſtendas cum iſta comparandam, ſive rerum ac monumentorum copiam ſpectes, ſive ſinceritatem atque amorem veritatis. Certe nulli diligentiae pepercit Sanutus, ut colligeret quaecumque ſupererant de rebus geſtis Venetorum, praeſertim poſt Annum Chriſti 1100. Quae enim praecedunt, fabulis non carent. Laudat ille identidem Codices MStos, & Regeſta Reipublicae, & quoſdam Scriptores vulgatos, quibus ad ſuam Hiſtoriam fuerat uſus. Eorum Syllabum collegi, atque heic exhibere non inutile duxi, ut agnoſcat Lector, quae praeſidia Sanuto fuerint, & quibus vadibus, dum in antiquis verſatur, veritatem ſuae narrationis ipſe confirmet.

Ad Annum 726. *Paolo Diacono delle coſe de' Longobardi.*

Ad Annum 806. *Una Cronica antica Veneta.*

Ad Annos 959. 1085. 1143. 1171. 1342. 1354. & alibi: *Andrea Dandolo, Cronica Veneta grande.*

Ad Annos 959. 976. 991. 1096. 1102. 1172. 1207. 1224. & alibi: *Contarini, Cronica Veneta.*

Ad Annos 976. & 1071. *Pietro Damiano, Vita di San Romoaldo.*

Ad Annos 991. 1071. 1085. 1126. 1130. 1185. 1305. & alibi: *Pietro Dolfino, Cronica Veneta, detta Dolfina.*

Ad Annos 1085. 1372. & 1380. *Rafaele Careſino, Cronica Veneta.*

Ad Annum 1085. *Bernardo Giuſtiniano, Storia Veneta.*

Ad Annos 1102. 1137. 1149. 1202. 1224. 1289. 1330. & alibi: *Marcantonio Sabellico, Storia.*

Ad Annos 1102. 1155. 1177. 1181. & 1282. *Chronicon Fratrum Sancti Salvatoris.*

Ad Annos 1166. & 1445. *Chronicon Bartholomaei Veronenſis, Ordinis S. Benedicti.*

Ad Annum 1176. *Fra Pietro di Chioggia, Cronica.*

Ad Annum 1177. *Chronicon Domini Alexandri Papae Tertii.*

Ad eumdem Annum: *Liber Malonus apud Sanctum Petrum de Urbe Roma.*

Ad Annum 1201. *Liber Albus Cancellariae Venetorum.*

Ad Annum 1202. & 1330. *Biondo Forliveſe, Storia.*

Ad Annum 1282. *Liber Vetus Translationis Sanctorum utriusque Nicolai, & Theodori.*
Ad Annum 1293. *Libro, Luna.*
Ad eumdem Annum: *Libro, Pilosus.*
Ad Annum 1300. *Libro, Cerbero.*
Ad Annum 1305. *Zaccaria da Pozzo, Cronica.*
Ad Annum 1308. *Dante nell' Inferno Capitol.* 28.
Ad Annum 1310. *Libro, Papyrus.*
Ad Annum 1312. *Commemoriale Primum.*
Ad eumdem Annum, & 1310. *Libro, Presbyter.*
Ad eumdem Annum: *Cronica Fiorentina.*
Ad Annum 1316. *Libro Pactorum, il Terzo.*
Ad Annum 1319. *Libro, Phronesis.*
Ad Annos 1327. 1339. & 1343. *Libro, Spiritus.*
Ad Annos 1343. & 1381. *Commemoriale Octavum.*
Ad Annum 1349. *Notatorio Quarto.*
Ad Annum 1350. *Commemoriale Tertium.*
Ad Annum 1354. *Andrea Dandolo, Mare Magnum, dell' origine delle Famiglie di Venezia.*
Ad eumdem Annum: *Andrea Dandolo, Compendio Storico di Venezia, in Latino.*
Ad Annos 1355. 1356. & 1373. *Libro, Novella.*
Ad Annum 1358. *Liber Vigesimus secundus Consilii Venetorum de Quadraginta.*
Ad Annum 1359. *Libro Secondo de' Pregadi.*
Ad Annum eumdem: *Historiae Sacrae Legis, & Antiquitates. Particula de Alexandro III. Papa.*
Ad Annum 1364. *Commemoriale Septimum.*
Ad eumdem Annum: *Francesco Petrarca, Epistola de Victoria Venetorum nella ricuperazione di Candia.*
Ad Annum 1366. *Libro Segreto Kappa.*
Ad Annum 1367. *Libro, H.*
Ad Annum 1379. & 1380. *Libro Trigesimo sesto de' Pregadi.*
Ad Annum 1381. *Notatorio, Rosa.*
Ad eumdem Annum: *Notatorio Ottavo.*
Ad eumdem Annum: *Libro Trigesimo quarto Rogatorum.*
Ad eumdem Annum: *Libro Trigesimo terzo Rogatorum.*
Ad Annum 1382. *Libro Trigesimo settimo de' Pregadi.*
Ad eumdem Annum: *Libro Trigesimo ottavo de' Pregadi.*
Ad Annum 1387. *Notatorio Nuovo.*
Ad Annos 1387. 1388. & 1406. *Libro, Leona.*
Ad Annum 1392. *Libro Quadragesimo secondo de' Pregadi.*
Ad Annum 1398. *Notatorio Undecimo.*
Ad Annum 1410. *Capitulare Dominorum Advocatorum Communis.*
Ad Annum 1415. *Libro, Ursa.*
Ad eumdem Annum: *Poggio Fiorentino, della morte di Girolamo Boemo.*
Ad Annum 1420. *Tommaso Mocenigo, Libro degli aringhi fatti da lui.*
Ad Annum 1452. *Notatorium Collegii.*
Ad Annum 1473. *Coriolano Ciprio Dalmata, Storia.*

Ceterum a Literariae Historiae cultoribus duo *Marini Sanuti* distinguendi sunt. Alter senior, cognomento *Torsellus*, qui claruit Anno 1310. Is Terrae Sanctae devoto amore fervens, quinquies in Orientem profectus, omnia sacra loca diligentissime perlustravit. Ut etiam Christianorum in Oriente res promoveret, Occidentalis Ecclesiae Reges ac Principes adiit, ac praecipue Johannem XXII. Summum Pontificem, cui & inscripsit Opus a se compositum, ac in tres Libros distinctum, cum hocce titulo: *Secreta Fidelium Crucis*. Illic res Aegypti ac Syriae, & in primis Terrae Sanctae, fusissime describit. Prodiit in lucem hoc Opus Anno 1611. Hanoviae typis Wechelianis, & constituit alterum Tomum Historiae Orientalis. Egregii hujus viri nullam mentionem reperi in praesenti Historia, aut eadem oculos meos fugit. Alter *Marinus Sanutus* junior ille est, cui Chronicon nunc mihi evulgandum debemus, vir certe multis nominibus commendandus. Sed ejus laudes praestabit accipere ab Auctore synchrono, videlicet a Jacobo Philippo Bergomate, cui perspectissima fuit illius virtus & ingenium. Ita ergo ille scribebat in Supplemento Chronic. *Marinus Sanutus optimi Patricii Veneti Leonardi filius, vir non solum lite-*

literarum multarum apprime eruditissimus, sed & in administranda Republica admirabilis, per hoc tempus in dicendi facultate, atque in quocumque genere doctrinarum clarus habetur. Qui quum sit acri ingenio vir, ac singulari doctrinâ insignitus, licet assidue publicis negotiis sit deditus, numquam tamen a scribendo & componendo Tractatus desistere videtur. Nam quum sit summâ modestiâ praeditus, nihil tanti facit, quam Librorum supellectilem habere perpulcram; & quum sit propter ipsius eminentem doctrinam inter viros doctrinis excellentes merito adnumerandus, etiam illius Opusculorum tituli heic ex more sunt adnotandi. Scripsit itaque praeclarissimus Patricius ingeniose & erudite primo De Magistratibus Venetis Librum Unum. De Vitis Principum Venetorum omnium usque ad haec tempora Librum Unum. Item de Bello Gallico quosdam Libros, quos Latine, Vulgariterque conscripsit, ut a doctis pariterque & indoctis legerentur; & alia quaedam. Ejus autem summa felicitas atque voluptas est Librorum tam novorum quam veterum jugis elucubratio. Ex his habemus saltem ante Annum 1505. quo Johannes Philippus Bergomas Opus suum ad umbilicum perduxit, conscriptos fuisse a Marino Sanuto Vitas Venetorum Ducum; immo & ante Annum 1503. quo altera editio Supplementi Bergomatis facta fuerat Venetiis. Ejusdem quoque Historiae a Sanuto jam confectae meminit Aldus Manutius senior in Veneta editione Operum Politiani, eidem Sanuto dicatâ. Verum Annus editionis illius desideratur. Ad haec Gerardus Johannes Vossius Libro III. Cap. XI. Sanutum nostrum insalutatum non dimisit. En illius verba: *Marinus Sanutus junior, Leonardi filius, Patricius Venetus, cui Aldus Manutius Opera Politiani a se edita dicavit, scripsit Librum de Magistratibus Venetis ab Urbe condita usque ad sua tempora. Item de Vitis Principum Venetorum. Ad haec de Bello Gallico ingeniose & erudite scripsisse ait ibidem Aldus. Etiam cum honore ejus meminit Franciscus Modestus Ariminensis Venetiados suae Libro X. ubi eum, qui accurate vetera novaque omnia Imperii Veneti requirat, Marini hujus ad scripta remittit, ut quibus fuse tradantur omnia, quae ipse vellicatim ac strictim exponat.* Cur vero illustris hujus Viri Historia tamdiu in tenebris jacuerit, divinare nescio. Meliori fortunâ certe dignior erat; ac propterea me optime meriturum puto cum de Veneta, tum de Literaria Republica, quod illam tamdem vitae restituerim, & ab injuriis temporum deinceps tutam ac immunem praestiterim.



MARINI SANUTI LEONARDI FILII PATRICII VENETI

DE ORIGINE URBIS VENETÆ ET VITA OMNIUM DUCUM

FELICITER INCIPIT.

LA Città di Venezia, al presente in Italia primaria e potentissima nella region di Venezia, nell'intimo seno del Mare Adriatico, situata nelle acque salse, e attorniata di paludi, questa, come si legge nelle antiche Storie e Croniche nostre, nell'anno CCCCXXI. nel giorno XXV. di Marzo ebbe principio, non da' Pastori, come ebbe Roma, ma da potenti e nobili, i quali fuggendo la persecuzione d'Attila, cognominato *Flagellum Dei*, Re degli Unni, & altre genti barbariche, che in Italia vennero guastando e rovinando molte Cittadi, vennero colle loro famiglie e suppellettili in queste Lagune per vivere sicuramente, le quali dalle acque erano difese, e sopra varie Isole edificarono tugurj e domicilj per loro abitazione. E quelli, che vennero da Aquilea, fuggendo a i lidi maritimi, edificarono Grado; Concordiani Caorle; e Altinati venuti alle Isole vicine in memoria de le porte della Città loro, da' barberi rovinata, chiamarono così

A dette Isole, dove abitavano, cioè Torcello, Mazzorbo, Burano, Murano, Constantiaco, e Amiano. Ancora i Padovani vennero in un' altra Isola, la quale chiamarono Rivoalto, la quale era vicina ad altre Isolette, nelle quali abitavano solamente pescatori. E così scorrendo la loro vita con le barchette loro si davano all'esercizio maritimo.

Benchè di questo principio del tempo fu varia opinione. Il Biondo Forlivese nel Libro *De Gestis Venetorum*, scrive, che fu nell'anno CCCCLVI. facendo la ragion de' tempi, ne' quali regnavano alla morte d'Atila Leone I. Pontefice, Marziano Imperadore Constantinopolitano, Genserico Re de' Vandali in Africa,

B e Meroveo Re di Francia, e Valentiniano Giuniore. Ma la verità fu, che nell' anno CCCCXXI. come ho scritto, a dì XXV. di Marzo in dì di Venerdì, circa ora di Nona, e ascendendo, come nell' Astrologica figura appare, gradi XXV. di Cancro, fu posta la prima pietra de' fondamenti, come molti scrivono, della Chiesa di San Jacopo di Rivoalto. Nel qual giorno, *ut divinæ testantur Literæ*, fu formato il primo nostro padre Adamo al principio della creazione del Mondo. Nel quale *etiam* la Beata Vergine Maria dall' Angiolo Gabriello fu annunziata, e il Figliuolo di Dio nel suo ventre entrò, e poi nacque Cristo, che fu la Redenzione nostra. Ancora

in

in questo giorno, secondo alcuni Teologi, Gesù Cristo nostro Redentore fu dagli Ebrei nel Monte Calvario crocefisso. Sicchè è giorno molto memorabile.


E pe' Padovani furono mandati tre Consoli a dar principio all'edificazione di questa nuova Città, come *etiam* scrive Marcantonio Sabellico nella Storia Veneta. I quali furono nell'anno CCCCXXI. Aldebrotto Falier, Tommaso Candiano, cioè Sanudo, e Paolo Comite; altri scrivono che fu Zeno Daulo. E fu nell'anno dopo la Creazione del Mondo 5950. E poi furono mandati altri Consoli, Gallieno Fontana, Simone Glauco, e Antonio Calvo, i quali del CCCCXXIII. vennero. Dopo tre anni vennero altri tre Consoli, i quali per due anni governarono gli abitanti sopra le dette Isole, e furono Marin Livio, Ugo Fosco, e Luciano Graulo. E gli altri furono Marco Aurelio, Andrea Clodio, e Albino Mauro. E dipoi fecero i Tribuni tra loro, i quali durarono nel reggimento loro fino alla creazione del primo Doge fatto nell'anno DCXCVII. come scriverò di sotto. E così fu dato il nome alla Città VENEZIA; o pel nome della provincia, ovvero tratto da' Eneti Popoli, che vennero di Paflagonia con Antenore Trojano dopo la rovina di Troja, & in questi monti Euganei edificarono la Città di Padova, non però dov'essa è al presente, ma più verso i monti, dove ancora se ne vedono alcuni vestigi, e fu nell'anno del Mondo 3750. altri scrivono nel 4058. e avanti l'avvenimento di Cristo anni 1141. E dopo la Città di Padova fu edificata, dove al presente si vede da questi Popoli Eneti, come per l'Epitafio di Antenore predetto, che è a Padova nell'Arca marmorea sopra quattro colonne, vicino alla Chiesa di San Lorenzo, chiaro si vede, il quale dice così.

Inclytus Antenor, patriam vox nisa quietem,
Transtulit huc Henetos, Dardanidumque fugas.
Expulit Euganeos. Patavinam condidit Urbem;
Quem tenet hic humili marmore caesa domus.

Sicchè fu mutata la prima lettera di Henezia, e Venezia questa Città fu chiamata, la quale di tempo in tempo poi è venuta in mirabile accrescimento. E si truova scritto, che il beato e santissimo Magno Vescovo d'Altino, essendo *etiam* egli fuggito in queste paludi, ispirato da Dio, fece edificare in varj luoghi delle Isole predette sette Chiese, cioè essendo in Eraclea, dove continuamente quella s'empieva d'abitanti, come capo e Vescovo di queste Isole, il prefato Magno andava confortando tutti, e che dovessero ringraziar Dio d'essere scapolati dalle crudeltà barbariche. E gli apparve San Pietro, ordinandogli, che in capo di Venezia, ovvero della Città di Rivoalto, dove trovasse buoi e pecore a pascolare, dovesse edificare una Chiesa sotto il suo nome. E così fece, che nell'Isola Olivolense edificò San Pietro, dove al presente è la Sede e la Chiesa Cattedrale di Venezia. Dopo gli apparve l'Angiolo Raffaele, commettendogli, che da un'altro capo, dove trovasse assai uccelli insieme, edificassegli una Chiesa, e così fece, la quale è l'Angiolo Raffaele in Orsoduro. Poscia gli apparve Messer Gesù Cristo nostro Signore, e gli commise, che in mezzo della Città dovesse edificargli una Chiesa, dove vedesse di sopra una nuvola rossa. E così fece, & è San Salvadore. Poi gli apparve la Santissima Maria Vergine molto formosa, e gli comandò, che, dove vedesse una nuvola bianca, edificassele una Chiesa, la quale è Santa Maria Formosa. Ancora gli apparve San Giovan Batista, dicendogli, che dovesse fare due Chiese, vicine l'una all'altra, che fu l'una al suo nome, l'altra al nome di suo padre. Le quali fece, e sono San Giovanni in Bragola, e San Zaccaria. Poi gli apparvero gli Apostoli di Cristo, volendo *etiam* eglino avere una Chiesa in questa nuova Città, e gli commisero, che dove trovasse dodici Grue in uno, ivi la edificasse. E così fece, & è la Chiesa de' Santi Apostoli. Ultimamente gli apparve la beata Vergine Giustina, e ordinogli, che dove trovasse viti produrre nuovo frutto, edificassele la sua Chiesa. E così fece. E avendo notate sette Chiese, connumerandole, sono otto. E perciò che si legge, che i Padovani edificarono San Giovanni in Bragola, è da considerare, che a San Zaccaria fu ivi appresso una Chiesiola di San Giovan Batista, sicchè fu una sola Chiesa. Or questo santissimo Vescovo tornato in Eraclea, ivi morì, e poi nell'anno 1206. il sei del mese d'Ottobre il suo corpo fu portato in questa Città, e fu posto nella Chiesa di San Geremia in Canalregio, dove fece molti miracoli, e fino al giorno presente si mostra.

Questi dunque, che vennero ad abitare queste lagune, cioè Isole, cominciarono ad abitare Chioggia, Malamocco, e Albiola, dove edificarono Cittadi, e pel Pontefice Severino furono loro conceduti Vescovi. Questi attendevano a fare mercatanzie, portando sale e pesce colle loro barchette a i lidi vicini. Non erano molto superbi, nè stimavano ricchezza, *licèt* ricchi fossero, ma pietà, innocenza, e sopra tutto religione. Non vestivano ornamento, nè per affettazione cercavano gli onori, ma sforzati entravano in quelli. E come Benitendo scrive nella sua Cronaca, poiche i Padovani ebbero edificate Chiese e tugurj in Rivoalto e in Orsoduro, que' di Monselice fuggirono *etiam* eglino in queste paludi, & edificarono Malamocco, Abiola, Pelestrina, e Chioggia, perocchè i barberi Longobardi durarono per molti anni in Italia. E chi voleva fuggire la loro persecuzione, si riduceva in queste parti ad abitare, portando con loro il meglio, chè potevano. Questi erano molestati dagl'Istri e da i Dalmatini, e massime da i Triestini, onde da loro si convenivano guardare; e fecero navili, co' quali contro di questi combattevano.

Ottanta anni dopo l'edificazione di Venezia, cioè dell'anno DI. Narsete Eunuco venne in Italia con gente, mandato da Giustiniano Imperadore di Costantinopoli; i quali coll'ajuto de' Longobardi erano da dodici mila armati, volendo essere contro a Totila Re degli Ostrogoti, il quale era venuto in Italia con buon numero di gente, e sopra la riva dell'Adice si ritrovava. E volendo i detti Longobardi andare a Ravenna per unirsi col detto Narsete, non potendo passare per l'acque, i Veneziani diedero loro le barche, e li passarono a Ravenna. I quali poi stati alle mani co' gli Ostrogoti, li ruppero. Onde per grazia di tal beneficio, che gli avevano fatto i Veneziani, Narsete mandò a Venezia alcuni Maestri, da i quali *ex hostium manubiis* fece edificare sopra la piazza di Broglio la Chiesa di San Teodoro, dove al presente è la Chiesa di San Menna e di San Geminiano. Ancora


Taurus 14. 22.
Caput Draconis 29. 18. Tauri
Luna 14. 28.
Geminorum
Geminorum
20. 19.
Mercurius. 60.
Virgo. 30.
Aries 4. 39.
Sol 4. 39. Arietis
Venus 4. 22. Tauri
Disecta
Pisces 10. 20.
Juppiter 13. 11
Mercurius 8. 55.
Aquarius. 16. 59
Figura Coeli
in aedificatione Urbis Riuoalti
Anno Domini CCCCXXI
XXV Martii
Die Veneris, Horâ Meridiei
Cancer 20. 19
Luna 24. 28.
Capricornus
25. 22.
Leo 16. 59.
Mars 14. 18. Retrogradus
Libra 4. 39.
Sagitarius 20. 19
Saturnus 27. 10.
Retrogradus.
Virgo 10. 20.
Cauda Draconis
29. 18.
Scorpio 4. 22.

ta Paolo Patriarca d'Aquilea fuggendo tali barbariche insidie, venne col suo tesoro a Grado, dove edificò la Chiesa di Santa Eufemia, e si chiamò Patriarcha di Grado, e fu confermato da Pelagio Pontefice, il quale lo fece capo di queste Isole e di molti Vescovi circostanti. E i Padovani edificarono San Giovanni in Bragola, dove *antiquitus* si faceva il Mercato, come al presente si fa il Sabbato a San Marco, e il Mercordì a San Paolo. Ancora la Chiesa di San Martino per loro su fatta edificare.

Ma poi Fortunato Aquilejense Patriarca coll'ajuto de' Longobardi venne a Grado, e spogliò quella Chiesa. Onde Onorio Pontefice inteso questo, vi mandò un Vescovo con assai oro, e portò con se i Corpi di Sant'Ermagora e Fortunato. Oltre di questo Opitergio, che adesso Oderzo si chiama, da Rotari Re de' Longobardi fu rovinato, il quale era Città, e il suo Vescovo Magno venne in queste parti, e fece quanto ho scritto di sopra. E nota, che la Città d'Eraclea era ne' confini di Jesolo da questi edificata; e perchè Eraclio Imperadore in que' tempi regnava, a suo nome la nominarono Eraclea, la quale fu detta poi Città Nuova. Ora è rovinata, e non ne appare vestigio alcuno. *Solùm* la Chiesa di San Pietro. E questa persecuzione di Rotari sopradetto fu nell'anno DCXXIX. Paolo Vescovo d'Altino mise la sua sede Episcopale a Torcello, e fino al presente evvi il Vescovo. E quello di Padova venne a Malamocco, perchè Astolfo Re de' Longobardi espugnò la detta Città di Padova, la quale già per Narsete Eunuco era stata ristorata dalla prima rovina, che le fecero i Goti. E i Padovani fuggendo pure alle paludi, questa fu la seconda venuta; e però è questa discordanza dal CCCCXXI. al CCCCLVI. Onde si può dire, che in questo tempo venisse in mirabile augmento la detta Città; e, come ho detto, Severino Pontefice confermò i Vescovadi nelle dette Isole.

Dopo quarant'Anni dalla persecuzione di Totila Re degli Ostrogoti, che fu rotto da Narsete, cioè dall'anno DXLI. Clefi secondo Re de' Longobardi crudelissimo vessò la Lombardia di varie persecuzioni. Onde molti temendo la rovina loro, si vennero a salvare in queste Isole maritime, dove stavano sicuri colle famiglie loro, e facevano case di legno per abitazion loro, nè attendevano a pompa, ma bensì a far danari. Sicchè i Popoli delle Città rovinate da i Barberi, come scrive Ricobaldo Ferrarese Storico delle guerre Longobarde, furono cagione dell'edificazione di questa Città di Venezia, la quale al presente è venuta sì grande, opulenta, e bella, e in somma altezza. E di tempo in tempo ebbero diversi Privilegi dagl'Imperadori d'immunità & esenzioni, e che non dovessero dare alcun Censo all'Impero, come fanno l'altre Città in Italia, per essere Isole in mare situate, e da loro medesimi fabricata la Città. Questa Città si governò a Tribuni annuali anni dugento trentadue. Ma poi vennero in discordia queste Isole per cagione de' detti Tribuni. Per la qual cosa Liutprando Longobardo, che dominava il Friuli, mosse guerra a i confini di dette Isole, il qual confine di Venezia era solo per lunghezza miglia ottanta dalle acque di Grado fino al Castello di Loreo, il quale fu poi edificato per Vitale Falier Doge, come dirò di sotto. Onde i Veneziani, che non erano bene uniti, deliberarono di fare un convento in Eraclea, dove si trovò Cristoforo Patriarca di Grado col Clero, Tribuni, Proceri, e Plebe, e tra loro deliberarono di non fare più Tribuni, ma di fare un Capo, il quale avesse nome di Doge, al quale il resto delle Isole ubbidissero. E così elessero Paoluccio d'Anafesti Eracliano, siccome scriverò di sotto di quello che seguì nel suo Dogado. E fu l'anno *ab Urbe Condita* 282. altri vogliono 297. altri 276. e negli anni di Cristo 697. altri dicono 706. e dal principio del Mondo 5905. in tempo di Giustiniano Imperadore di Constantinopoli vigesimo settimo, di Sergio Pontefice Romano nonagesimo, di Liutperto quartodecimo Re de' Longobardi in Italia, e di Dagoberto quintodecimo Re di Francia. Ora quì porrò la figura Astrologica del giorno, e della prima ora dell'edificazione di Venezia.

Currente Anno Domini CCCCXXI. die XV. Martii, capta fuit pars in Consilio Patavienfi, construere Civitatem Rivoalti. Et missi fuerunt tres Consules ad dictam Civitatem construendam, scilicet Albericus Faletrus, Thomas Candianus, & Zeno Daulus. Et die XV. Martii principium fundamenti jactum est circa horam Meridiei. In qua hora dispositiones Planetarum cœlestium corporum, & partes Cœli tales fuerunt, ut in antescripta figura patet. Et sciendum est, quod annus prædictus præcesserat horam Arabum per septem collectiones minutis duobus annis expansis & sex mensibus ac quinque diebus. Fuit autem motus Octavæ Sphæræ grad. 2. minut. 58. secund. 49. in diminuendo, ut apparet per argumentum ejus, qui fuit Sign. 11. grad. 13. minut. 44. secund. 47.

Nota, che gli Aquilejesi edificarono Grado, i Concordiani Caorle, gli Opitergini Asolo; gli Altinesi si ridussono a Torcello, que' di Cividale di Belluno, e di Feltre edificarono Eracliana; e gli Altinesi e i Concordiani edificarono Malamocco. Le Isole, ch'erano in queste lagune di Rivoalto, furono Orsoduro, Jubanigo, Jemeneo, dov'è Sant'Ermagora, Canalregio, Luprio, Santa Trinita, e Bragola, dove si faceva il Mercato. I Padovani edificarono Rivoalto, dov'è Venezia al presente. Malamocco vecchio si sommerse; era dieci miglia in mare. Del DLIII. Elia Greco Patriarca d'Aquilea fu confermato Patriarca di Grado per Pelagio I. Papa. Dalla casa d'Enteropi Architetto Greco uscì fuoco, e abbruciò in Rialto ventiquattro case. Si fece voto di far fare la Chiesa di San Jacopo in Rivoalto nel luogo dell'incendio. Fu fatta la Chiesa e consecrata pe' Vescovi Padovano, Altinate, Trivigiano, e Opitergino. A Grado fu edificata la Chiesa di Santa Eufemia. Furono tolte le ruine d'altra per fabricare . . . . I Rettori e i Tribuni in diverse contrade furono costituiti. Facevansi Maestri de' Cavalieri, e furono cinque.

Dogi creati in Eracliana, cioè in Città Nuova secondo una Cronaca.

In Eracliana Tribuni.

660. Paoluccio Primo.
681. Marcello Tagaliani.
690. Orso Ipato.

In Malamocco Maestri de' Cavalieri.

701. Domenico Leo, primo Maestro de' Cavalieri.

701. Felice Cornicola. A
703. Diodato.
705. Giuliano Ipato.
706. Giovanni Fabriciaccio.

In Malamocco Dogi.

707. Diodato primo Doge.
720. Galla.
721. Domenico Meneguccio.
729. Maurizio.
752. Giovanni figliuolo di Maurizio.
777. Obelerio ex Berengerio.

Dogi in Rivoalto.

777. Beato Doge primo in Rivoalto.
782. Angiolo Particiaccio, cioè Badoeri.
800. Giustiniano Particiaccio, suo figliuolo.
811. Pietro Tradonico. B
840. Orso Particiaccio.
857. Giovanni Particiaccio suo figliuolo.
875. Pietro Candiano, cioè Sanudo.
882. Giovanni Badoer.
884. Pietro Tribuno.
911. Orso Badoer.
930. Pietro Candiano II.
937. Pietro Badoer.
940. Pietro Candiano III.
957. Pietro Candiano IV.
975. Pietro Urseolo.
977. Vitale Candiano.
978. Tribuno Memo. Il resto sta bene come quì avanti li tempi.

Questi sono tutti i Dogi stati in Venezia. C

Prima regnarono i Consoli anni 35. Poi i Tribuni anni 232. Poi i Maestri de' Cavalieri; e finalmente in Rialto fecero Doge

697. Paolo Lucio Eracliano primo Doge, il quale dogò anni 19. ovvero Anafesto 706.
717. Marcello Tagaglian, anni 9. giorni 21.
726. Orso Ipato, anni 11. mesi 5.

E dopo furono fatti Maestri de' Cavalieri in Malamocco.

737. Domenico Leo, un' anno.
738. Felice Cornicola, un' anno.
739. Diodato, un' anno.
740. Giuliano Ipato, un' anno. D
741. Giovanni Fabriciaccio, un' anno.
742. Diodato, figliuolo d'Orso Doge, sedette anni 13. mesi 2., e fu decapitato.
755. Galla, anno uno, mesi 2.
756. Domenico Monegaccio, anni 8. mesi 11. Gli furono aggiunti due Tribuni appresso il governo per la sua severità. Altri vogliono, che fosse Selvo.
764. Maurizio Eracliano Calbajon, anni 13. mesi 3. giorni 5., e fu cacciato dal Dogado.
787. Giovanni suo figliuolo, anni 17. mesi 2. giorni 2., e fu cacciato dal Dogado. E
804. Obelerio di Malamocco, anni 3. Fu degli Antenori.
807. Beato Fratello del predetto Doge, trasferì la Sede Ducale, ch' era in Malamocco, a Rivoalto, e con Valentino suo fratello dogò anni 2. mese uno.

Dogi in Rivoalto.

809. Angiolo Particiaco Eracliano, cioè Badoer, primo Doge creato in Rivoalto ebbe due Tribuni annuali. Sedette anni 18.
827. Giustiniano Particiaco, figliuolo del sopradetto, e consorte nel Principato, sedette dopo la morte del padre, un' anno, un mese, e giorni 7.
828. Giovanni Particiaco, fratello del sopradetto Giustiniano Doge e suo consorte nel Dogado, sedette anni 8. mesi 2. giorni 9.
836. Pietro Tradonico, anni 28. mesi 2. giorni 15. Ebbe Giovanni suo figliuolo consorte nel Dogado, il quale mancò avanti di lui.
864. Orso Particiaco, anni 17. mesi 2. giorni 6.
881. Giovanni Particiaco, figliuolo del predetto Doge, anni 6.

Pietro Particiaco, fratello del predetto Giovanni, con esso dogò anni 3.

887. Pietro Candian, cioè Sanudo, anni ..... mesi 5.
Dopo fatta la gran giustizia del suo predecessore, il giorno dietro a' 18. d'Aprile i Consiglieri e i Capi de' Quaranta fecero chiamare il gran Consiglio per dare spacciamento, quanto più presto si poteva, di fare il nuovo Doge. Sicchè il Martedì a' 21. del detto mese fu eletto da' Quarantuno. Era vecchio d'anni 76. savio, e dotto sì nelle divine come nelle umane Lettere. Stava a Santo Stefano. Veniva chiamato *il Nasone*, perchè avea gran naso. Ora questi furono i cinque Correttori eletti alla sua promessione a dì 19. d'Aprile, come ne' Libri della Cancelleria appare, cioè in *Novella*. Ma prima i Consiglieri e i Capi de' Quaranta misero a dì 18. alcune parti, il sommario delle quali fu questo: Che le spese da essere fatte a coloro, che stanno in Palazzo, sieno fatte di danari, dove si trae il salario del Doge; e che pel caso occorso tutti que' del maggior Consiglio, che sono e verranno, possano venire al Consiglio colle loro armi, finchè sarà creato il Doge. *Item* che i Consiglieri possano far chiamare a tutte l'ore il Consiglio grande, e non come si faceva, che conveniva sonare la sera, per far la mattina il gran Consiglio, e ciò pel tempo, in cui vacherà il Ducato. Che tutti i Giudici di Palazzo e di Rialto, che sono del numero del gran Consiglio, possano venire a' detti Consigli. E così gli altri del Consiglio in pena di soldi dieci, da essere dati quel giorno agli Avogatori, non essendo trovati al Consiglio. E niuno possa uscir di Venezia sino a tanto che non sarà creato il Doge, in pena di lire cento; e che *vacante Ducatu* i Giudici di Palazzo e gli Avvocati non siedano. Ora questi furono poi i cinque Correttori eletti per due mani d'elezione, e que' che venivano doppj, senza ballottare rimanevano. Ser Giovanni Gradenigo, Ser Marco Giustiniani Procuratore, Ser Filippo Aurio, Ser Niccolò Lioni, e Ser Zufredo Morosini Avogadore di Comune. Questi Correttori poi misero le sue parti, cioè; che il Doge dia le onoranze a' Giudici di Proprio, e che uno de' detti Giudici vada col Doge a man destra, se non sarà il Primicerio, e a' giorni solenni. *Tamen* sia in libertà del Doge di chiamare appresso di se alcun' Oratore ovvero Forestiere. Che il Doge faccia proclamare i banditi per omicidio di Venezia. Che i forestieri, che falsificheranno le monete nostre sì in questa Terra come fuori, e saranno presi, sieno puniti colla pena del fuoco. E poi principiata a far l'elezione, fu fatta sì presto, che a' 21. d'Aprile a ora di Vespro il detto Doge fu creato. E questi furono i Quarantuno Elettori: Ser Bernardo Giustiniani Procuratore, Ser Paolo Donato, Ser Giovanni Gradenigo, Ser Niccolò Lioni, Ser Pietro Zane, Ser Filippo Orio fe' il Doge, Ser Giovanni Foscarini, Ser Dardi Polani, Ser Giovanni Contarini, Ser Pietro Pisani, Ser Niccolò Faliero, Ser' Orio Pasqualigo, Ser Marco Basilio, Ser Niccolò Volpi, Ser Niccolò Nani, Ser' Andrea Barbaro, Ser Giovanni Dandolo, Ser Jacopo Trivisano, Ser Giorgio Loredano, Sere Stefano Belegno, Ser Francesco Buono, Ser' Andrea Cornaro, Ser' Andrea Foscolo, Ser Giovanni Foscari, Ser Zufredo Morosini, Ser Giovanni Marcello, Ser Jacopo Bragadino, Ser Lorenzo Barbarigo, Ser' Andrea Erizzo Procuratore, Ser Luigi Vitale, Ser Marino Veniero, Ser Marco Bembo, Ser Marino Badoero, Ser Marco Soranzo, Ser Marco Celsi, Ser Pietro Dolfino, Ser Marco Polo, Ser Bertucci Grimani, Ser' Andrea Quirini, Ser Marco Capello, Ser Jacopo Bolani.

Questo Doge poi pubblicato al popolo nella Chiesa di San Marco giusta il consueto, e da quello accettato, entrò nel Ducato. Fu uomo molto conservatore delle cose del Comune, e de' danari pubblici. E subito eletto Doge si andò dietro nel Consiglio de' Dieci procedendo, e fu proceduto contro Ser Bertucci Faliero per quello, ch'egli sapeva del tradimento e del Doge, che vi era dentro, e di Bertuccio Isarello. E fu preso, che il detto Faliero dovesse finire la sua vita in una prigione forte. E se per alcun modo egli scappasse, tutti i suoi beni mobili e stabili vengano nel nostro Comune, non potendo egli stare in alcuna Terra del Comune di Venezia dentro del Golfo nè fuori. E s'egli sarà preso,

ſo, ſiagli tagliata la teſta con altre clauſole. Ancora fu proceduto contra Niccolò Zuccuolo, perchè ſeppe del trattato, e non venne a rivelarlo alla Signoria, ch'egli ſia confinato in vita a ſtare nella Città di Candia, non potendoſene partire, e che non eſca di prigione, ſe non quando egli monterà ſul navilio per andare in Candia; e che i ſuoi figliuoli e diſcendenti non poſſano più avere parti in alcun navilio armato nè diſarmato, nè eſſere capi d'alcun navilio. E s'egli romperà i confini, tutti i ſuoi beni vengano nel Comune, non potendo abitare in alcuna noſtra Terra; & eſſendo egli preſo, debba morire in prigione. *Etiam* contro Nicoletto Fedele ſuo figlio di Filippo Calandaro, perchè egli ſeppe del trattato, e conſentì col padre, che debba finire la ſua vita in prigion forte colle condizioni di Ser Bertucci Faliero. E contro Marco Torello detto Iſarello, il quale mai non confeſsò, che ſapeſſe quello, che Bertucci Iſarello voleſſe fare, benchè la notte del trattato egli foſſe con lui, fu condennato a morire nella prigion forte inſieme cogli altri. E Zanello del Bruno, perchè in quella notte armato a caſa del detto Bertucci Iſarello fu ritrovato, e perchè non fu provato a pieno ch'egli ſapeſſe del detto tradimento, nè egli lo confeſsò, ma diceva di credere, che ſi andaſſe in ſervizio della Signoria a prendere Malfattori, e ſcoperta la coſa diſſe, che volle venir via, e che non potè, fu ſentenziato a ſtare un' anno in prigione. E a tutte le dette condennagioni fu meſſa pena di Ducati mille d'oro a chi metteſſe parte in contrario di ritornare o di far grazia a coloro. E tutto fu fatto in queſto meſe d'Aprile. Et è da ſapere, che i Deputati al Collegio in queſta materia furono queſti, Ser Giovanni Mocenigo Conſigliere, Ser Giovanni Marcello Capo del Conſiglio de' Dieci, Ser Luca da Legge Inquiſitore, Ser' Orio Paſqualigo Avvogadore. Oltre di queſto fu principiato a premiare coloro che accuſarono il trattato, tra' quali fu Marco Negro da Caſtello, uomo da mare, il qual diſſe a que' di Caſa Contarina il fatto, e gli fu data pel detto Conſiglio de' Dieci perpetualmente parola dell'arme per ſicurezza della ſua perſona, e Ducati cento d'oro ogni anno di provigione in vita ſua dal noſtro Comune. A Roberto Triviſano con due ſuoi figliuoli fu data *etiam* parola dell'armi, e finchè detto Roberto vive, Ducati quaranta d'oro all'anno di provigione. Queſto gli fu dato, perchè egli fu ricercato a' 15. d'Aprile da Nicoletto Doro, ed egli venne a Palazzo a rivelare al Doge tal coſa. *Item* che Marco Fava Calafato, perchè preſe Nicoletto Fedele, figliuolo di Filippo Calandaro, al qual Nicoletto fu ritrovata certa quantità di moneta addoſſo de' detti danari, gli furono donati Ducati cinquanta d'oro all'anno in vita ſua di proviſione, e parola d'armi. Ancora fu preſo nel detto Conſiglio de' Dieci, ch' ogni anno a' 16. d'Aprile il dì di Sant' Iſidoro, ſi debba far proceſſione, come ſi fà il dì di San Vito; e il Doge debba andare in Chieſa di San Marco alla Meſſa, dove ſieno i Capi de' Dieci, e i Comandatori portino torchi, ſenza accenderli, grandi in mano. E queſto per ringraziare Iddio, che ci ha liberati da tanto pericolo, che ſe aveſſe avuto effetto, Venezia ſarebbe ſtata del tutto diſfatta: e ſino al preſente ſi oſſerva. Fu data taglia pel

A Conſiglio de' Dieci a Nicoletto Bracciodoro, e a Jacomello Bianco, e a Criſtoforo di Fontana, tutti e tre uomini da mare, i quali erano autori nel detto tradimento. I quali furono chiamati, e non comparvero; che chiunque prenderà cadaun di loro, e il condurrà nelle forze vivo, abbia dal noſtro Comune Ducati 600. d'oro, e chi gli ammazzerà Ducati cinquecento d'oro per cadauno. E che tutti i beni loro de' preſi ſieno meſſi nel Comune. *Etiam* fu data taglia a Checco Beſino Tintore, il quale era Caporale di gente, a chi lo daſſe vivo Ducati novecento d'oro, e morto Ducati ottocento del Comune, e i ſuoi beni meſſi in Comune, *ut ſupra*.

B E cercando la Signoria di volere proviſionare quel Vendrame, ovvero Beltramo Pelliciajo, che fu il primo, il quale rivelò il trattato a Ser Niccolò Lioni, e avendo egli data una petizione, furono creati pel detto Conſiglio de' Dieci tre Savj a conſigliarla, però che il detto Beltramo domandava coſe enormi, cioè la Caſa che fu del Doge Faliero a San Paolo, Ducati cento d'oro al meſe in ſua vita di provigione, e d'eſſere creato egli e i ſuoi figliuoli in perpetuo del noſtro maggior Conſiglio, e di avere parola d'arme con alcuni ſuoi compagni in vita ſua. Le quali dimande pareano troppo irragionevoli e grandi. E ſebbene egli avea rivelato il trattato, fece come perſona, che lo dovea fare.
C E pure volevano per eſempio di cadauno rimeritarlo. E tutti del Conſiglio aveano buon volere, e gli volevano dare Ducati mille all' anno di provigione a lui e a ſuoi eredi, e una Caſa di Ducati du' mila, e parola dell' arme. *Tamen* in un' altra Cronica ho veduto, che lo volevano fare del maggior Conſiglio, e dargli parola dell'armi con alcuni compagni, e Ducati 400. d'oro di provigione. Ma egli voleva *etiam* Valdimarino, che fu del predetto Doge Faliero. Ma la Terra avea molte coſe da fare, & era in guerra co' Genoveſi, e non avea ancora fatta la pace, ſicchè s'avea molto da fare. E non vollero così
D compiacere alle richieſte del detto Vendrame, il quale era uomo diſſoluto, e diſordinato della bocca sì per ſua mattezza, come iſtigato da altri. Onde parve a colui, che la Signoria tardaſſe molto a dargli provigione, e ſi laſciò uſcire alcune parole beſtiali, dicendo, ch'e' non voleva più alcuna provigione, e ch'egli ſe la prenderebbe da ſe ſteſſo, e ſe aveſſe voluto, già tre anni ſarebbe ſtato Signor di Venezia. E raunava gente attorno, che l'udivano, alle quali dava da deſinare e da cena ogni dì, ad uomini non ben diſpoſti all'onore della Signoria noſtra. E uſavanſi per lui e pe' ſuoi ſeguaci parole ſconvenevoli, e d'importanza, per le quali dimoſtrava che aveſſe gente a ſua poſta. Sicchè
E eſſendo ſtata la Terra in que' giorni in tanta novità, benchè tutto foſſe ceſſato, inteſe tali parole, parve al Conſilio de' Dieci di far prendere il detto Vendrame. E trovandolo colpevole sì del primo, come di queſto ſecondo, parendo a que' del detto Conſiglio di non eſſere colui degno d'alcuna grazia, ma bensì di pena, fu preſo, ch'e' vada in eſilio a Raguſi per anni dieci, nè poſſa rompere il detto confine ſotto certe pene. E n'ebbe buon mercato. Nè mai ſi potè partire di prigione ſe non quando fu per montare ſul navilio e andare a Raguſi.

Nel 1355. a' 11. di Maggio, come appare nel Libro *Novella*, fu posta pe' Consiglieri l'infrascritta parte cioè. „ Quum Dominus Bertuccius Faletro, qui fuit in culpa per ea, „ quæ habita fuerunt contra eum, proditionis ordinatæ fieri contra statum & honorem Dominationis, exstiterit sententiatus „ per Consilium Decem, ad standum perpetuò in carcere forti, & ibi mori debere; & „ non sit honestum, nec per consequens honor Dominationis, quod aliqui sui attinentes, qui exirent de Consilio secundum formam Consilii, sint de prædicto Consilio de „ Decem, vadit Pars, quod aliqui prædictorum attinentium suorum, donec dictus Ser „ Bertuccius vixerit, non possint esse de dicto „ Consilio Decem. Et si aliquis esset ad præsens, ex nunc sit extra dictum Consilium, „ & si Consilium est contra reum.„ E fu presa. I Consiglieri erano Ser Giovanni Sanudo da San Casciano, Ser' Almorò Veniero da Santa Marina, Ser Tommaso Viaro, Ser Pantalione Barbo, Ser Giovanni Mocenigo, e Ser Niccolò Lioni. *Etiam* il Doge mise la detta Parte. Erano Capi de' Dieci in questo mese Ser Marino Veniero, Ser Lando Lombardo, e Ser Luca da Legge. Non voglio restar di scrivere quello che ho letto in una Cronica, cioè, che Marino Faliero trovandosi Podestà e Capitano a Treviso, e dovendosi fare una Processione, il Vescovo stette troppo a far venire il Corpo di Cristo. Il detto Faliero era di tanta superbia e arroganza, che diede un buffetto al prefato Vescovo, per modo ch' egli quasi cadde in terra. Però fu permesso, che il Faliero perdette l'intelletto, e fece la mala morte, come ho scritto di sopra.

Ritorniamo alle cose dello Stato. Fu mandato primo Podestà in Valdimarino, ch' era del Doge Faliero confiscata pel Comune, eletto pel Maggior Consiglio Ser Giovanni Baldonio; altri dicono, Ser Giovanni Badoero. In questo tempo furono armate sette galere contro i Genovesi, Capitano Bernardo Giustiniani. Il quale fece molti danni a' Genovesi, e pare che fosse Procuratore di San Marco il detto Capitano, sicchè i Genovesi si vedeano molto stanchi di tante guerre. E così col nome dell'Onnipotente Iddio fu conchiusa la Pace co' Genovesi, trattata per Benintendi Cancelliere nostro Ducale, cioè tra Messer Bernabò, e Galeazzo Visconti di Milano e altri collegati da una parte, e dall' altra tra 'l Doge e la Signoria nostra con alcuni capitoli. *Tamen*, come nella Cronica Dolfina ho letto, era il Signor Giovanni Visconte Duca e Arcivescovo di Milano, al quale i Genovesi s'erano raccomandati. E fu chiusa al primo di Giugno del 1355. E fatti i capitoli, che fussero liberati i prigioni dell' una e dell' altra parte, così du' mila Genovesi in circa, ch' erano prigioni, furono liberati; i quali il giorno della Maddalena a' 22. di Luglio, tutti vollero andare con una candela di cera in mano a visitare la sua Chiesa, e a ringraziare Iddio d'essere stati liberati. E questo giorno della Maddalena a Venezia non si guardava, e d'indi in poi fu solennemente celebrato. E a Venezia per allegrezza della Pace seguita, furono fatte grandi feste e bagordi per segno di letizia, e così per l'altre Terre e Luoghi nostri. E il mare fu aperto, onde le galere di mercato poterono andare al viaggio loro in Cipro, in Romania, e in altri luoghi. E Bernardo Giustiniani Procuratore Capitano ritornò a Venezia. Et essendo in Dalmazia, tolse Scardona, Terra vicina a Sebenico, per certa novità seguita in quelle parti. E giunto fatta la pace co' Genovesi, i nostri cominciarono a fare mercatanzie. Fu mandato Lorenzo Celsi del mese di Gennajo a dì 10. Capitano di Pasnadego in Istria. E come in una Cronica ho veduto, i Genovesi non avendo più bisogno del Duca di Milano, mandaron via il suo Podestà, ch' era nella Città loro, e fecero il loro Doge, e da loro incominciarono a governarsi. Furono mandati in questo tempo Ambasciadori a Lodovico Re d'Ungheria, Marco Cornaro, e Marino Grimani per conchiudere la pace con lui. Ma quel Re non li volle udire, perchè quel Re dimostrava di voler venire alla guerra co' Veneziani. La cagione fu, ch' egli domandava navili a' Veneziani per passare in Italia con gente contro la Reina Giovanna. E i nostri per non essere cagione di guerra, si scusavano di non poterlo servire. Laonde giunti i detti Ambasciatori da lui, non volle udirli, nè volleva far loro Privilegio della Dalmazia, se i Veneziani non gli davano tributo, ovvero Censo d'un cavallo bianco. E i nostri volevano più tosto dargli de' danari per una volta, che volergli essere obbligati a tributo annuale, che davano a niuno. E così i detti Oratori tornarono a casa. Dopo il detto Re, fatto esercito, venne nella Dalmazia, e per la grande moltitudine di gente che avea con se, in un tempo s'accampò a Zara, Spalatro, Traù, e a Nona, e fece occulta intelligenza col Sig. Francesco di Carrara di Padova, e coll' ajuto del Duca d'Austria, e del Patriarca d'Aquilea venne nel Friuli con diecimila persone. E venne sul Trivigiano in un subito. Il qual giunto i Conti di Collalto si renderono. Conigliano, dov' era Podestà Zaccaria Contarini si rendè, e così Sacile. E venne a metter campo alla Città di Treviso. I Veneziani erano occupati nella guerra di Dalmazia, dove era parte de' detti Ungheri alle nostre Terre. Pure determinarono di far gente terrestre. E mandarono tre Provveditori in campo, Marco Giustiniani, Giovanni Dolfino, e Paolo Loredano Procuratore. In Treviso era Podestà e Capitano Fantino Morosini. E nota, che detti Ungheri stettero a campo a Conigliano giorni 22. prima che quel Podestà si rendesse. Poi andati ad Asolo, Giovanni Foscarini Podestà si rese. E così fece Niccolò Micheli Podestà di Serravalle. E molto i detti Ungheri danneggiarono il Trivigiano. Et *tamen* il Padovano non era danneggiato per la segreta intelligenza, che il detto Re avea con quel Sig. di Carrara. Ora posto campo attorno a Treviso, vi stettero sette mesi all'assedio. E Papa Innocenzo VI. volendosi interporre a pacificare tali differenze, *frustra* s'affaticò. E nella Dalmazia, le Città di Zara, Nona, e Sebenico, si renderono, e poi Traù e Spalatro. Sicchè tutta la Dalmazia si perdette. Fu fatta questa guerra col Re d'Ungheria a sette per cento d'imprestiti. Il luogo d'Oderzo in Trivigiana fu combattuto e si mantenne. Noale e Mestre si preservarono sotto la Signoria nostra.

Nel 1356 a' 5 Dicembre, fu preso nel gran Consiglio, attesochè i Procuratori della Chie-

sa

sa di San Marco erano molto vecchi, e non poteano attendere, che fosse creato alla detta Procuratia un terzo Procuratore, e così fu eletto Ser Niccolò Lioni. E del mese di Giugno del detto anno, uno chiamato Marco Pellegrino da Chioggia fu preso, il quale era stato nel trattato del Doge Faliero. E fu pel Consiglio de' Dieci sentenziato, che fosse appiccato per la gola tra le due Colonne; e così fu eseguito. Il campo degli Ungheri era tuttavia attorno a Trevisо, dandogli gran battaglia. Ma que' di dentro si mantenevano virilmente. E gli Ungheri, cioè il Re in persona, fece un Gatto, e miselo nelle fosse, nel quale era un suo german cugino, e altri Ungheri, il quale da i nostri fu morto insieme con assaissimi Ungheri. Sicchè il detto Re vedendo di non poter' avere Treviso, si levò dall' impresa, lasciando i Castelli presi ben forniti, e tornossene in Ungheria, siccome dirò più avanti. Ma non fu sotto questo Doge. E mentre che l'assedio era sotto Treviso, questo Doge morì a dì otto d'Agosto. E' da sapere, che i nostri aveano in questo tempo un'armata per mare per le cose della Dalmazia, e l'esercito da cavallo e da piedi in Trivigiana. E fu preso al principio d'eleggere 25. Savj, i quali fossero col Doge e colla Signoria sopra il fatto della presente guerra col Re d'Ungheria. Questo Doge avendo dogato un'anno mesi tre, e giorni ventisette morì a otto d'Agosto. E fu sepolto onorevolmente a' Frati Minori. E poi gli fu fatta un'arca dorata molto bella nel Capitolo de' Frati nel primo Chiostro. *Tamen* senza Epitafio. E ivi è una cosa notabile, della quale ho voluto farne quì nota, cioè che non v'è arme Gradeniga con beretta di Doge sopra; ma l'arme Gradenighe, e sopra l'ultimo scalino dell'arme v'è la beretta del Doge, che è un dire, che bisogna passare molti scalini per venire alla dignità Ducale. E questo è il suo breve:

Memoriâ & Juris peritiâ clarui. Cum Januensibus utile fœdus inii.

MCCCLVI.

Giovanni Dolfino, Doge LI.

ERa Procuratore di San Marco, e Provveditore in campo a Treviso contro gli Ungheri; e fu da i Quarantuno Elettori eletto a' 13. d'Agosto, il quale fu prima secondo il consueto fatto, e i Correttori a' 9. d'Agosto furono Ser Bernardo Giustiniano, Ser Simon Dandolo del Doge, Ser Niccolò Lioni Procuratore, Ser' Andrea Contarini Procuratore, Ser Giovanni Foscarini il Ziera. E questi misero, che un Consigliere, e un Capo de' Quaranta stieno al banco, quando si cavano le pallottole per que' che debbono essere elezionarj; e chi è stato in una elezione, non possa essere nell' altra. E che gli Elettori debbano entrare in pena di lire 200. nè niuna scusa valga loro se non della persona. Che que' del Consiglio de' Dieci, il qual'è la conservazione del nostro Stato, così come al presente si fanno per elezione de' Consiglieri, e de' Capi di Quaranta, e una mano d'elezione, così *de cetero* sieno eletti per la banca e per due mani d'elezione. e que' che rimarranno, abbiano da anni trenta in sù. I Quarantuno entrarono a dì 11. e a dì 13. fecero il Doge, e furono questi, Ser Bernardo Giustiniani Procuratore, Ser' Andrea Cornaro, Ser Pietro Michele, Ser Giovanni Foscarini, Ser Marco Loredano Procuratore, Ser Niccolò Lioni Procuratore, Ser' Andrea Erizzo Procuratore, Ser Filippo Orio, Ser Pietro Zane, Ser Marco Capello, Ser Jacopo Trivisano, Ser Marco Morosini, Ser Francesco Buono, Ser' Orio Pasqualigo, Ser Pietro Faliero, Ser' Almorò Gradenigo, Ser Lorenzo Dandolo, Ser Paolo Belegno, Ser' Angiolo Marcello, Ser Marco Celsi, Ser Mattia Soranzo, Ser Niccolò Zeno, Ser Niccolò Barbarigo, Ser Lorenzo Bragadino, Ser Giovanni Mocenigo, Ser Francesco Bembo, Ser Bertucci Boccasso, Ser Francesco Cocco, Ser Luca Justo, Ser Pietro Pisani, Ser Paolo Veniero, Ser Pietro Giorgio, Ser' Andrea Quirini, Ser Giovanni Tiepolo, Ser Bianco Dolfino, Ser' Andrea Barbero, Ser Marco Basilio, Ser Giovanni Contarini, Ser Luigi Vitale, Ser Matteo Emo, Ser' Andrea Badoero. E così questi elessero il suddetto Doge, il quale era assente dalla patria. E i Consiglieri e i Capi di Quaranta restarono in Palazzo. E fu Vicedoge Ser Francesco Loredano maggiore degli altri Consiglieri. E subito fu scritto al prefato Doge a Treviso della sua creazione, e venisse ad entrare nel Dogado. Il quale *statim* venne a Venezia, ed entrò nel Dogado. E fu mandato in suo luogo Provveditore a Treviso Marco Giustiniani il grande, cioè ch'egli fosse Capitano della gente in Trivigiana. E furono creati altri 25. Savj oltra i venticinque, che prima erano, sicchè sieno cinquanta, i quali fossero sopra la detta guerra d'Ungheri. Ma in questo mezzo gli Ungheri diedero una gran battaglia a Treviso, e i custodi virilmente si difesero. Sicchè non potendo far nulla, essendo stati ammazzati molti parenti del Re, ritornò il Re colle sue genti in Ungheria. E pure tenne ancora Conigliano e Asolo, dove lasciò custodia. Ma i Veneziani conoscendo d'essere stati ingiuriati dal Signor Francesco da Carrara di Padova, rivocarono Marino Morosini, ch'era Podestà in Padova, il quale si teneva per le nostre giuridizioni, che avevamo nella detta Città. E vietarono il Sale a' Padovani, che più nol potessero avere. E bandirono i Padovani di Venezia, e di tutte le Terre e nostri luoghi. E fu scritto a Marco Giustiniani Provveditore in Trivigiana, ch' e' dovesse andare colle genti in Padovana, e danneggiare quel terreno, come d'un nostro nimico. In questo mezzo s'incominciò a entrare in pratica di far pace col detto Re d'Ungheria. E fu fatta tregua per cinque mesi. E furono mandati Ambasciadori al detto Re per trattare la detta pace, Andrea Contarini Procuratore, Michele Faliero Nobile, e Benintendi Cancelliere Ducale. E questo fu fatto per mediazione del Vescovo di Pati, il qual volle interporsi in tanta buona opera. La tregua fu fatta fino al 1357. a' 9. d'Aprile. Ma compiuta la tregua, e non essendo conchiusa la pace, gli Ungheri tornarono in Trivigiana e fecero i danni, ch' ho notati di sopra. E presero Serravalle, e in Dalmazia Spalatro, Sebenico, Trau, e altri luoghi. Ma la Città di Nona si tenne, dov'era Conte Giovanni Giustiniano, finche ebbe egli le vettovaglie, e poi si rendè. E Zara fu scalata e presa. *Tamen* la Rocca si tenne per la nostra Signoria; sicchè il tutto in Dalmazia e Treviso era in guerra. Fu ordinato che Fantino Morosini re-

restasse Podestà in Treviso, e Marco Giustiniani Capitano. E fatta armata di mare, Capitano generale Giustiniano Giustiniani, non si mancò di fare ogni provigione.

Nel 1357. a' 8. d'Agosto cadde il Campanile di San Giovanni di Rialto, e non fece male ad alcuno: che fu cosa miracolosa. La Città di Zara a dì 2. di Settembre di notte si perdette. Era ivi Conte Michele Faliero; e fu per cattiva guardia fatta pe' nostri; e gli Ungheri entrarono dentro per un luogo, che si chiama San Damiano. E fu proditore l'Abate di San Grisogono, dove scalarono le mura, che mai da' nostri non furono sentiti. Ammazzate le guardie vennero alle Porte, e quelle aprirono, sicchè entrarono dentro, e con poca gente ebbero quella Terra. Il Conte predetto co' Soldati si mise in fuga, e scampò in Castello, e già mesi sette avanti il detto Re avea avuto Spalatro e Traù, che si renderono come ho scritto di sopra. Ma giunto a Venezia il detto Michele Faliero, fu preso di ritenerlo, e fu messo in prigione, e intromesso per gli Avvogadori di Comune. Ora perduta a questo modo tutta la Dalmazia, il Doge lasciò il titolo *Dalmatiæ atque Croatiæ Dux*, e *de cetero* si dava il titolo *Dux Venetiarum* &c. Sicchè *solùm* restò a' nostri poco; e da Durazzo fino a mezzo Quarnero si perdette. *Tamen* la Città di Zara si perdette per la poca custodia de' nostri. Furono mandati di nuovo tre altri Ambasciadori al predetto Re d'Ungheria, i quali furono Pietro Trivisano, Gradenigo, e il predetto Benintendi Cancelliere Ducale, e datagli ogni libertà, purchè conchiudessero la pace. E andati i prefati Ambasciadori, conchiusero la pace col prefato Re d'Ungheria con questi Capitoli. E pare che fosse conchiusa a Zara, dove si ritrovava il detto Re d'Ungheria nel 1358. a' 18. di Febbrajo. Che la Signoria di Venezia dovesse restituire al detto Re il Castello da mare di Zara, che ancora essa teneva, e dovessegli dar tutto da Durazzo fino a mezzo Quarnero. Che il Doge non si desse più il titolo di *Dalmatiæ & Croatiæ*. E che a' Veneziani rimanesse Treviso con tutte le sue Castella, ragioni, e pertinenze. E così fu conchiusa la detta pace. E il Doge lasciò il titolo come sopra. E i Veneziani mandarono tre Ambasciadori a Carlo IV. Imperadore de' Romani, per avere da lui l'investizione di Treviso, e di Trivigiana. I quali furono Marco Cornero, Giovanni Gradenigo, e Lorenzo Celsi. E stati alcuni giorni, e non potendo ottenere tale investitura, il Celsi restò, e gli altri due ebbero licenza di ritornare a Venezia. E in cammino venendo, arrivati a certo Castello del Duca d'Osterich, furono ritenuti, e tolta loro la roba. Ma il Celsi, inteso il caso seguito, venne a Venezia per mare a salvamento. Ma poco stette, che fu mandato Capitano in Golfo, siccome dirò di sotto. E' da sapere, ch'oltre i Capitoli predetti conchiusi col Re d'Ungheria, che a suo luogo non ho notati, vi fu, che il Re restituiva a' Veneziani tutti i Castelli presi nell'Istria e nel Cenedese, e que' ch'egli teneva in Trivigiana. *Item* che niun Corsaro fosse lasciato in Golfo, al che i Veneziani mettessero buona custodia, acciocchè non danneggiassero i suoi luoghi di Dalmazia. Nel 1360. fu fatto fare il Ponte di pietra di San Marco, chiamato dalla Puglia, che prima era di legno, e stava al contrario

A

di quello che sta al presente. Ancora incominciò una grande mortalità nel Febbrajo del 1360. e morì gran quantità di gente. E così fu nel Friuli e nell'Istria, *adeo* che gli ammalati in tre giorni morivano. Conchiuderò che questo Doge fu sfortunatissimo nel Dogato, e perdette un'occhio essendo Doge, e fu mal sano. Morirono della peste molti nobili, la più parte giovani da anni dodici in giù, e molti fuggirono dalla Terra. E l'anno seguente fu quasi per tutto il mondo grandissima mortalità. E avendo questo Doge dogato anni cinque e giorni tre, morì a' 11. di Luglio a Terza. Sepolto fu a San Giovanni e Paolo nella Capella maggiore, e gli fu fatta un'arca, e per di sotto lettere d'oro gli fu messo un' Epitafio, il quale al presente non si può vedere nè leggere. *Tamen* pare, che vi fossero lettere scritte. E questo è il suo Brieve nel gran Consiglio:

B

Tarvisium obsidione liberum feci, pace cum Hungaris initâ.

In tempo di questo Doge per un Don Jacopo *de Curte*, Vescovo, Luogotenente del Papa in Roma, fu scritto al prefato Doge una Lettera, la quale sarà scritta quì avanti, per la quale avvisa essere stato trovato negli annali antichi, quando Alessandro III. Papa fuggì a Venezia. Questa è la copia. *Nos Frater Jacobus de Urbe Dei gratiâ Episcopus Capeneus, Locumtenens in Urbe, ejusque suburbiis & districtu, reverendi in Christo Patris & Domini, Domini Pontii eâdem gratiâ Episcopi Urbevetani Domini nostri Papæ, in eisdem alma Urbe suisque suburbiis, & districtu in spiritualibus Vicarii generalis, illustri Domino Johanni Delphino, Dei gratiâ Duci Venetiarum inclyto, & Consiliariis, nec non Nobilibus viris & Dominis Marco Lauredano & Nicolao Justiniano Procuratoribus Ecclesiæ Sancti Marci Civitatis prædictæ, salutem in eo, qui est omnium vera salus. Quoniam & verbo Evangelico pro talento abscondito servus reprehenditur, & ex latenti notitia, quasi videtur admissâ culpâ formidare, in tali unoquoque thesaurus quia absconditus, & scientia invisa, quæ utilitas in utroque? Hinc est, quod ad hoc nonvolentes dubio esse penitus alienos, vestroque pro studio non tam placere sed & proficere posse, noscentes quædam, mandavimus Vestræ Magnificentiæ authentice significari, magna utique gloriæ, majoris concordiæ, & remissionis præmaximæ, quæ nos ex originali de verbo ad verbum pluries audire voluimus de antiquo Volumine, utique fide digno & difficulter reperto. Cujus est titulus de Historiis Sacræ Legis & Antiquitatibus, Particula de memorabilibus Alexandri Papæ III. Cujus prædictæ particulæ initii, processus, & finis sacramentaliter tenor est talis*: „ Hic vir, natione Tuscus, sed ratione, fide, & sufficientiâ præditus, & sanctimoniâ inclytus, multipliciter est probatus. Nam illo suggerente, cujus anhelitus prunas etiam mortuas in ardorem hæresis reviviscere facit, quatuor in Ecclesia Schismata surrexerunt, quibus potius quàm Christi Vicario Ecclesiæ primogenitus Imperator indivisibiliter hærens, unà cum sponsa dilecta, videlicet Roma, præfatum Alexandrum Papam ex Urbe secedere compulerunt, dolore cinereque conspersum, ut olim David jam senex in Hierusalem, etiam nudis pedibus fugiens, cedendum quandoque docuerat minorum iræ, & furori etiam filiorum. Quo usus consilio ad Christianissimum Francorum Regem se transfe-

C

D

E

„ transferens, ut pastor omnium benignissime
„ est receptus. Tunc furens Fridericus ad
„ ferrum convertitur, & opus pium in gla-
„ dium acuens, prægrandem exercitum con-
„ gregavit Regum Angliæ, Bohemiæ, & Da-
„ ciæ, auxilio fretus, in Burgundiam veniens,
„ per ipsum fidelissimum Francorum Regem
„ magis est cœlitus quàm armis conflictus.
„ Sed ne præsentia Papæ occasio foret & causa
„ effusionis sanguinis filiorum, in se volvens
„ discrimen potius quam in filiis, idem pius
„ Papa clam fugere cogitavit, clamque di-
„ scessit, ut in se potius quærendum, quàm
„ de conflictu ulciscendum Imperatoris ani-
„ mum provocaret. Apuliamque veniens,
„ quia cognitus ex eadem causa ibidem gra-
„ dum sistere noluit, per mareque ut ignotus
„ pervenit Venetias Civitatem. Itaque in tu-
„ tissima omnium, & in Religiosorum loco,
„ qui Sancta Maria dicitur de Caritate, ut
„ simplex Sacerdos Capellanatus functurus of-
„ ficio, se locavit. Ubi tam humiliter quam
„ frequenter celebrans, post aliquam diem à
„ quodam Veneto Cive, utique nobili, ejus
„ orationi affecto, qui aliquando ejus pedes
„ osculari meruerat, evidentibus signis est cer-
„ titudinaliter agnitus. Ducemque Civitatis
„ ipse adiens, secreto dixit, Domnum Apo-
„ stolicum in Civitate esse in loco Sanctæ Ma-
„ riæ dictæ superius.

„ Quo audito Dux ipse facie & animo læ-
„ tus factus, occulte missis Exploratoribus
„ aliis, qui eum optime vultu noverant, de-
„ prehenderunt eum esse Pontificem Sum-
„ mum, paratisque vestibus, calceis, & Mi-
„ thra, accedens Dux ipse cum omni Civita-
„ te, Nobilium comitiva, & viris, qui eum
„ noverant, ad locum pervenit. Et eo viso,
„ cunctis genibus provolutis, se esse non ne-
„ gavit, & oblatis, quæ ei tulerant, cum in-
„ genti lætitia concurrente Populo universo,
„ in magnum ipsum Palatium per Ecclesiam
„ conduxerunt, honores ei honoribus præfe-
„ rendo. Ejusque assensu ambasciatam solem-
„ nem pro pace & concordia reformandis Im-
„ peratori mittentes, nusquam ut nec dum à
„ Deo tactus assensit, sed Ambasciatores
„ exasperans, petebat sibi captari Pontificem.
„ Quod illi nequaquam se facturos dicentes,
„ ad propria redeuntes, diffidavit ut hostes,
„ paratisque stoliis ex utraque parte, & multis
„ galeis ampliori numero excedente Impera-
„ toris exercitu, cui præerat legitimus Im-
„ ratoris filius, juxta Venetorum litora ad
„ bellum convenientes exercitus, crudeli pu-
„ gna peracta, tamdem magis Deo faciente
„ quam gladio, expugnata succumbit Impe-
„ ratoris virtus, incolumesque capti ipse
„ Imperatoris filius & Barones multi. Qui
„ postmodum ad fidem relicti, adeuntes Im-
„ peratorem, manumque Domini sibi adver-
„ sam monstrantes, post multam filii, No-
„ bilium, & bonorum instantiam, jamque à
„ Domino incipiens deliniri, ad pacem assen-
„ sit. Etiam usque Venetias se venturum
„ asserens, culpamque suam coram Christi
„ Vicario recognoscere velle, quod & fecit.
„ Nam usque ad fores Ecclesiæ Sancti Marci
„ Civitatis ipse perveniens, ibidem coram
„ Summo Pontifice se prosternens, veniam
„ petiit. Nec amplius libenter lætius Papa
„ remisit. Simulque Ecclesiam ipsam intran-
„ tes, universi *Te Deum* &c. solemniter can-
„ taverunt, & Missam, quam ipse Pontifex

A „ celebravit devote, ab Imperatorisque verbo
„ ex instantia Venetorum in æternam memo-
„ riam pacis tam gratæ, Ecclesiam ipsam am-
„ pla benedictione dotavit perfecte, videlicet
„ expurgationis animæ in festo Ascensionis
„ tantummodo die ipso perpetuis temporibus
„ valitura, ut inquit, dumtaxat vere pœni-
„ tentibus & confessis, in illam ingressis. Ibi-
„ dem autem sanctissimus Papa & inclytus
„ Imperator festa diebus aliquibus celebran-
„ tes, versùs Romam iter aggressi, ad Urbem
„ venientes, Imperator Papam in sedem Bea-
„ ti Petri festinus locavit, Ducemque Vene-
„ tiarum eorum comitem factum, spirituali-
„ bus privilegiis & honoribus insigniter de-
B „ coravit, sicque Ecclesiæ, Urbi, & Orbi fe-
„ liciter pace data, Papa in sua sede manen-
„ te, unusquisque lætus ad propria remeavit.
„ Hanc autem partem scripsi, ut quilibet
„ noscat quantum obsit veritati & Ecclesiæ
„ obicem sedare, & quantum possit dura fe-
„ rens pro Fide & Ecclesia etiam in arduis
„ optimum finem sperare, quem Christus no-
„ bis concedat. *Et quia sit credendum supra-
scriptas Particulas de Libello facto de verbo ad
verbum, prout in eo particulariter continetur,
manu Sancti quondam Bartholomæi Omniasancti
de Philippinis de Urbe Notarii publici nostri
scribere mandavimus, & fecimus transumtari,
ac Notariorum publicorum infrascriptorum sub-*
C *scriptionibus roborari, & sigilli nostri Pontifica-
lis impressione muniri, sub anno MCCCLIX.
Pontificatus Domini Innocentii Papæ VI. anno
VII. die XVII. mensis Junii, Indictione XII.*

„ Ego Franciscus quondam Petri de Stran-
„ gialimosinis, Romanus Civis, Præfecturæ
„ auctoritate Notarius publicus, auscultatio-
„ ni dicti exempli cum originali simul cum
„ infrascriptis Notariis præsens fui, & me
„ subscripsi.

„ Ego Paulus Aschi Jacobuccii Romanus
„ Civis, sacræ Præfecturæ Notarius &c.

„ Ego Jacobus Petri Domini Stephani de
„ Strangialemosinis, Romanus Civis, Impe-
„ rialis Notarius &c.

D „ Ego Sanctus quondam Bartholomæi Om-
„ niasancti de Philippinis de Urbe, Imperiali
„ auctoritate Notarius, prædicta ex originali
„ exemplavi, & cum præfatis Notariis au-
„ scultavi & publicavi.

*Johannes Delfino Dux Venetiarum, Procura-
tor Ecclesiæ Sancti Marci, & Provisor in Civi-
tate Tarvisii, & obsessus in ea, electus fuit anno*
1356. *die XIII. Augusti, quo anno Rex Hunga-
riæ recessit repente ab obsidione dictæ Civitatis
& reversus est in Hungariam. Et anno* 1357.
*per proditionem Abbatis Sancti Chrysogoni de
Jadra, instinctu & ordinatione Francisci de
Carraria Domini Paduæ, fuit prodita Jadra,
in qua tunc pro Dominatione erat Comes Domi-
nus Michaël Faletro. Anno* 1358. *Indictione XI.*
E *in die Dominico XVIII. Februarii, facta fuit
pax inter Dominum Ludovicum Regem Hunga-
riæ, Dominum Nicolaum Patriarcham Aquile-
jensem, Dominum Franciscum de Carraria, Al-
bertum & Mainardum Comites Goritiæ, Domi-
num Guaspertum Episcopum Cenetensem, Bian-
chinum de Purcilis, Franciscum della Parte,
Nobiles de Vonico, Guecelonem de Camino, Co-
mites de Collalto, omnes colligatos ex una par-
te, & Serenissimum Dominum Ducem & Com-
munitatem ex altera. Pactorum forma hæc est.*

„ Ludovicus Dei gratiâ Hungariæ, Dalma-
„ tiæ &c. Rex, universis Christi fidelibus

„ præ-

„ præsentes nostras literas inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Rex pacificus pro redemtione generis humani de supremis cœlorum ad ima mundi descendens, & tamdem mortem subiens temporalem Dominus noster Jesus Christus &c. Tamdem inclytus Dominus Johannes. Delfino Venetiarum Dux, & tota Communitas Civitatis ejusdem, post plures ambasciatas factas hinc & inde, honorabiles viros Petrum Trivisanum, Johannem Gradonico, ac Benintendium Ducatus Venetiarum Cancellarium, Cives Civitatis prælibatæ, ad nos cum pleno & sufficienti mandato, ut apparet ex forma Instrumenti publici, dum in Civitate nostra Jadræ fuissemus, transmiserunt, & nos, declaratis ipsorum voluntatibus, ad perpetuæ pacis & concordiæ vinculum amicabiliter invitarunt per eosdem. Nos igitur, qui cum Christianis quibuslibet, & potissime cum Venetis, antiquâ amicitiâ Regno nostro conjunctis, pacem optavimus & optamus, ad infrascriptam pacem & concordiam, Deo propitio, perpetuò duraturam devenimus cum eisdem in hunc modum, videlicet. Quod idem Dux & Communitas Venetiarum & in eorum personis ac vice & nomine eorumdem Ambasciatores, Nuntii, Syndici, & Procuratores prælibati, habentes ad infra dicenda plenam & liberam potestatem vigore instrumenti jam dicti, quod penes nos retinuimus ad cautelam, contenti fuerunt renuntiare, & effectualiter renuntiaverunt de facto in manibus nostris, nostro, & successorum nostrorum Regum nomine, toti Dalmatiæ à medietate Quarnerii, usque ad fines Duratii, omnibus Civitatibus, Terris, Castris, Insulis, partibus, & juribus, quæ habuissent, & tenuissent, & habebant ac tenebant in eisdem, quoquo modò & specialiter Civitatibus Nonæ, Jadræ, Scardonæ, Sebenici, Tragurii, Spalatri, Ragusii, in terra firma existentibus. Item à Civitatibus & Terris Osseri, videlicet & Chersi, Veglæ, Arbæ, Pagi, Brachiani, Lesinæ, & Curzolæ, cum Insulis, & omnibus utilitatibus ac pertinentiis earumdem; ac titulis Dalmatiæ & Croatiæ, quibus uti consueverant Duces antedicti; & omne ipsorum jus, dominium ac proprietates, si quas habuissent, in nos & successores nostros, sponte, deliberate, & animi maturitate transferentes & renuntiantes. Insuper omni actioni & omni juri, & legis beneficio, quibus ullo umquam tempore possent contra prædicta, vel prædictorum aliquid se juvare. Promittentes solemniter sub vinculo sacramenti pro se & dictis Duce & Communi corporaliter præstito de ipsa Dalmatia, Civitatibus, Terris, Castris, Locis, Insulis, Juribus, & titulis, ac ipsorum dominio, seu possessione, ullo numquam tempore se intromittere, vel aliquatenus impedire usque ad confines antedictos. Obligantes se, omnes Civitates, Terras, Castra, Insulas, Portus, atque jura infra dicta confinia existentia, quæ sunt pro nunc in mera potestate ipsorum, libere, pure, & simpliciter nobis, vel quem ad hoc deputaverimus, absque omni dolo sive fraude, infra spatium XXII. dierum, à tempore datis Literarum præsentium, resignare.

„ De Terris autem & locis, quæ in ipsorum potestate non essent, & regerentur per Rectores eorumdem, revocare & extrahere quoslibet Rectores & Officiales, & gentes quaslibet, eorum nomine ibidem residentes. Et quod eis in posterum contra nos vel nostros aliquod auxilium vel juvamen non dabunt. Supplicantes ex nunc, quod ipsas Civitates, Terras, Castra, loca, quum ad nostram obedientiam devenerint, dignaremur sub favoribus & gratiis nostris recipere, sicut soliti sumus esse aliis gratiosi. Et versa vice nos volentes ipsum Ducem & Communitatem habere perpetuò in amicos carissimos, promittimus, quod omnes Terras, Castra, & loca, quas ipsi seu eorum subditi & sequaces tenebant in partibus Tarvisinis, & Cenetensibus, ac Istriæ, seu alibi, quæ ad nostras manus devenissent, vel devenirent, vel nostrorum, & nomine nostro tenerentur aut nostrorum, sibi & dictis suis subditis, & quorum erant, faciemus tradi, restitui libere, & resignari infra terminum XXII. dierum prædictis, seu quibus duxerint deputandis. Nec de ipsis Terris & locis ullo umquam tempore per nos & successores nostros, vel alios, nos intromittemus vel impediemus. Renuntiantes ac transferentes jus, si quod acquisivissemus in eis, ita tamen quod ipsas Terras, Castra, & loca, ac subditos eorum, nec non omnes amicos, adhærentes, & sequaces nostros tam nobiles quàm ignobiles tractare dulciter & benigne debeant, remissis omnibus injuriis & offensis, & sicut faciebant ante novitates præsentis guerræ, & sicut si nobis numquam adhæsissent. Et è converso nos promittimus facere & servare de omnibus amicis, adhærentibus, & sequacibus suis tam nobilibus quam ignobilibus. Et quod captivi ex utraque parte libere relaxentur. Item quod ex utraque parte remittantur, & ex nunc remissæ intelligantur omnes offensæ, injuriæ & damna præscripta, non intelligendo debita, quibus sibi invicem tenerentur speciales personæ, de quibus fiat justitia hinc inde. Item, quod bona fide prohibebimus, & ordinabimus cum effectu, quod in aliqua Terrarum, sive Insularum aut locorum, quæ perventuræ sunt ad nostrum dominium, & quæ jam pervenerunt, non armabitur in cursum, neque exercebitur piratica, seu damnum, aut violentia aliquibus navigantibus; nec receptabuntur in eorum portubus Corsarii & malefici, sed potius turbabuntur, sicut decet justitiam Regiam & honorem. Et è converso in eorum Terris & Insulis ipsi promiserunt se facturos illud idem. Præterea promittimus verbo nostro Regio, universos & singulos Cives, subditos, & fideles ipsius Domini Ducis & Communis Venetiarum, venientes ad portus, insulas, & loca quæque subdita præsentialiter, & in futurum Majestati nostræ, habere & haberi facere salvos & securos cum personis, bonis, & navigiis, atque rebus eorumdem, quod secure, & quiete possint ire, stare, & redire, ac transire per dictos portus, terras, & loca cum navigiis, personis, & mercimoniis suis. Immo ipsos tractabimus & tractari volumus dulciter & benigne, sub favore & gratia nostra. Et è contra idem Dominus Dux & Commune tractabit nostros tali vinculo interjecto in prædictis omnibus & singulis. Quod si partium

tium aliqua huic ordinationi, dispositioni, concordiæ atque paci contraire, & eam infringere vel violare conaretur, aliquas Terras, Insulas, Castra, aut Portus, de his, quæ renuntiata sunt, occupando, vel aliter paci contrafaciendo, ex tunc pars altera id Sedi Apostolicæ intimare debeat. Et Dominus Papa vigore emologationis & potestatis datæ per nos & per ipsos tenore præsentium Literarum teneatur, & velit infra spatium unius mensis, simpliciter & de plano, absque strepitu & figura judicii, solùm recepta fide & verificatione violationis & infractionis antedictæ, ad observantiam dictæ ordinationis & dispositionis illum vel illos adstringere censurâ Ecclesiasticâ mediante, in personam vel Communitatem contrafacientem, sententias videlicet interdicti, & excommunicationis proferendo, à qua nullatenus absolvatur, donec per partem prædicta infringentem, vel infringere procurantem, parti alteri observanti satisfiat, pro ut erit justum, illum vel illos nihilominus denuntiando fidefragos & perjuros. Si verò aliqua damna vel injuriæ aut offensiones committantur per subditos utrorumque alterutrûm, ex tunc per nos vel nostros Officiales locorum ipsorum & Rectores pertinentibus ad eosdem, & per ipsos vel eorum Rectores & Officiales pertinentibus ad vos, infra spatium unius mensis à tempore depositæ querelæ plenaria satisfactio impendetur, nec per hoc ordinatio, dispositio, & concordia atque pax intelligantur violatæ, sed in sua firmitate debeant permanere. Ad quæ nos & ipsi spontaneè nos obligamus voluntate præmissa. Et omnia & singula cum infrascriptis nostris Baronibus & Proceribus Regni nostri juravimus ad sacrosancta Dei Evangelia, tactis Scripturis, per nos & successores nostros, & omnes pertinentes ad nos inviolabiliter & integraliter observare, & non contra facere vel venire per nos vel per alios de jure vel de facto, directe vel indirecte, palam vel occulte, quovis ingenio vel colore, sub indignatione Dei Omnipotentis, & omnium Sanctorum suorum. Et similiter dicti Ambasciatores & Syndici nomine ipsorum Ducis & Communitatis & successorum eorum, ac pertinentium ad eos, in eorum animas solemniter juraverunt, præsentium sub nostræ Majestatis testimonio Literarum. Nomina autem Baronum nostrorum &c.

Actum Anno Domini MCCCLVIII. Indictione XI. die Dominico XVIII. mensis Februarii, feliciter. Amen.

Ludovicus, Dei gratiâ Rex Hungariæ &c. Quum in guerra & discordia, quam dudum habuimus cum Domino Duce & Communitate Venetiarum, de qua, divina disponente clementia, ad pacis unitatem & amicitiam durandam perpetuò devenimus cum eisdem, plures & plures adhæserint contra eos, & specialiter infrascripti, videlicet Reverendus in Christo pater Dominus Nicolaus Aquilejensis Patriarcha, Magnifici Dominus Franciscus de Carraria Dominus Paduæ, Albertus & Mainardus Comites Goritiæ, Venerabilis pater Gauspertus Episcopus Cenetensis, & nobiles viri Blanchinus de Purciliis, Franciscus de la Parte, Nobiles de Vonico, Guecelinus de Camino, & Magnifici viri Comites de Gollalto; item Civitates Imperiales Domino Patriarchæ commissæ, videlicet Feltrum & Bellunum, cum prædictorum omnium & singulorum adhærentium & sequacium nostrorum Civitatibus, Castris, Villis, Terris, possessionibus, subditis, servitoribus, subjectis, & sequacibus, ac omnibus aliis, qui in guerris, quas habuimus cum dicto Domino Duce & Commune, nobis quomodolibet adhæsissent, vel adhæsisse declararentur; Et versa vice aliqui eis adhæserint contra nos, specialiter infrascripti, videlicet Ulricus de Raysimberg, & Colentius, & si qui alias adhæsissent, vel adhæsisse declararentur: Idcirco volentes, ut dicta pax & concordia sincere perficiatur & fiat, quodque removeantur de medio cuncta scrupula & errores, qui eam possent quomodolibet perturbare, cum prædictis Domino Duce & Communitate, seu cum honorabilibus viris Dominis Petro Trivisano, Johanne Gradenico, & Benintendio Ducatus & Communis Venetiarum Cancellario, Ambasciatoribus & Syndicis suis, habentibus ad hoc plenum mandatum, sicut constat publico Instrumento scripto manu Raphaini &c. Super facto dictorum adhærentium composuimus & convenimus in hunc modum: Videlicet, quod prædicti omnes & singuli adhærentes & sequaces nostri, & sui, si qui fuissent, sint & ex nunc esse intelligantur in pace & concordia supradicta, & beneficio ipsius pacis plenarie gaudeant & fruantur, remissis omnibus injuriis, damnis, & offensionibus hinc & inde, non intelligendo in hac remissione debita specialium personarum, quæ sibi invicem tenerentur, de quibus hinc inde jus & ratio reddi debet. Et quod per ipsum Dominum Ducem & Communitatem prædicti nostri adhærentes & sequaces cum Terris, locis, & subditis suis restituantur in eo statu, & sic tractentur dulciter, amicabiliter, & benigne, & in ea pura & sincera benivolentia & amore, & sub illis favoribus & libertatibus, quibus erant & tractabantur ante adhæsiones præfatas, & sicut si numquam alicui partium adhæsissent, ipsis versa vice facientibus.

Præterea convenimus & concordes fuimus, quod omnes & singuli Cives, subditi & fideles dicti Domini Ducis & Communitatis Venetiarum, habentes domos, terras, aut alias quaslibet possessiones sibi quomodolibet pertinentes in aliquibus Civitatibus, Terris, vel locis præsentaliter, vel in futurum subditis Majestati nostræ, seu earum districtibus, ipsis gaudere, uti, fruique possint libere & pacifice ac quiete, sine contradictione vel molestia alicujus. Et similiter fiat nostris per eos, eo excepto, quod ad tollendum omne scandalum, illi Veneti, qui haberent domos vel possessiones intra muros Civitatum nostrarum Jadræ & Nonæ, ipsas dare teneantur & debeant per æstimationem largo modo fiendam per duos viros idoneos eligendos pro parte nostra, & duos eligendos pro parte eorum, juramento adstringendos. Quam æstimationem seu pretium æstimationis faciemus eis solvi infra duos menses, postquam dicta æstimatio facta fuerit cum integritate. Quæ quidem æstimationes fieri debeant hinc ad sex menses computandos à die datarum præsentium literarum. Similiter etiam conveni-

„ mus, quod duobus Civibus Jadrensibus, qui
„ modò sunt Venetiis, videlicet Marino de
„ Cavaruco, & Zonæ de Pizzolo, restituen-
„ tur integre omnia bona sua, quæ habuerunt
„ in Jadra, vel aliqua parte nostri dominii.
„ Et quod ipsi gaudere, uti, & frui possint
„ libere, licite, & quiete ac pacifice absque
„ impedimento vel turbatione cujusque, dum-
„ modo cum personis suis stent, & habitent
„ extra Civitatem Jadræ & ejus districtum.
„ Quæ omnia & singula supradicta per nos &
„ successores nostros, & omnes pertinentes ad
„ nos, promittimus & juravimus cum infra-
„ scriptis nostris Baronibus ad sancta Dei
„ Evangelia tactis Scripturis inviolabiliter &
„ bona fide servare, & facere observari, &
„ non contravenire per nos vel alios de jure
„ vel de facto, directe vel indirecte, sub in-
„ dignatione Omnipotentis Dei & omnium
„ Sanctorum suorum, & sub pœnis & solem-
„ nitatibus & conditionibus omnibus, quæ
„ continentur in literis utriusque partis, &
„ instrumentis publicis confectis super pace
„ & concordia principali firmata inter partes
„ easdem. Et similiter dicti Ambasciatores &
„ Syndici nomine ipsorum Ducis & Commu-
„ nitatis & successorum suorum & pertinen-
„ tium ad eos in eorum animas solemniter ju-
„ raverunt præsentium sub secreto nostro sigil-
„ lo testimonio Literarum, quas, dum nobis
„ reportatæ fuerint, sub sigillo nostro duplici
„ faciemus privilegialiter emanare. Nomina
„ autem Baronum nostrorum, qui nobiscum
„ juraverunt, sunt hæc, scilicet Dominus Ste-
„ phanus Episcopus Gagabuensis, &c.

„ Actum in suprascriptis Millesimo, Indi-
„ ctione, & die &c.

